Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

K.K. Poes. No. 1554.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

~~Elzevier~~
~~C.99~~

Kw 224
F 23
1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illuſtri Nobiliſſimoque Viro

D. CORNELIO VANDER MYLE, Equiti, Domino de Myle, Dubbeldam, Baccum, Alblas, &c. Academiæ Lugdunenſis Curatori

NICOLAVS HEINSIVS, DAN. FIL.

S. D. P.

Vir Illuſtris,

REdeunt tandem ad te Parentis mei poëmata, poſt aliquot editiones denuo excuſa. Quorum editio cum ab ipſo autore, aliis quippe ac ſeverioribus jam oc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

cupato ſtudiis, ſperanda non eſſet, nos, quod officii videbatur noſtri, curam libentiſſime hanc ſuſcepimus. Poteram quidem ab hoc qualicunque labore meo ſuperſediſſe, ſi illi potius, qui, vt jam dixi, pridem his renunciauit, quam amicis noſtris, viris quibuſdam præſtantiſſimis, obtemperare maluiſſem. Inter quos, & tu, Generoſe Myli, cui non ingratum fore hoc confidebam. Sed nec ipſo me indignum arbitrabar, ſi hoc opus, a quo famam olim ſuam auſpicatus erat Parens meus, pietatis in illum meæ tyrocinium quaſi ac primitias, tibi ac litteratis conſecrarem omnibus. Sæculum hoc quam inficetum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ficetum ſit ac ſordidum non ignoras: in quo eruditus vix habetur, qui non eruditos allatrat. Vnde fit, vt cordati & ſupra ſæculi ineptias euecti, ab edendis plerumque ſcriptis deterreantur: probe gnari, judicantium malignitati præclaras meditationes exponi. Nobis tale nihil hic metuendum fuit. Eo enim priores hujus libri editiones eruditorum omnium applauſu, ac conſentientibus quaſi ſuffragiis, exceptæ ſunt, vt Invidiæ, velit nolit, vix locus relinquatur. Vnius Scaligeri, viri, qui vt parem hactenus non habuit, ita forſitan nec habiturus eſt, judicio triumphare poſſem. niſi, non tantum tibi, Vir No-

biliſſime, qui familiariter eo olim vſus es, aliiſque quamplurimis, qui adhuc ſuperſunt, coram, verum & publice non ſemel omnibus id teſtatus eſſet. Accedebat præterea Illuſtre tuum nomen, ſub cujus patrocinio hic liber proditurus eſſet. quod vel vnum illi ſuffeciſſe, ſi deeſſent cætera, ad æternitatem poterat. Quid enim tutius Invidiæ, quam Tu, opponi potuit, qui tot immortalium ſcriptorum patrocinio poſteritati conſecratus es, vt eruditorum præſtantiſſimi, mutuari a te poſſint, quod in alios jam contulerunt ipſi? Quantum porro prioribus antiſtet hæc editio, paucis expediam. Præter Heroden Infanti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ſanticidam ac Odarum librum, alia non pauca ſuis acceſſerunt locis. quæ Lectori facilius occurrent, quam vt diffuſius a nobis hic exponantur. Græcis quoque Poëmatiis non parum adjecimus. quibus & Latinam verſionem a præclaro quodam viro concinnatam, & ex alio terrarum orbe ad nos tranſmiſſam, addere decreveramus. qui & Græca in Peplum Scholia, ab erudito quodam alibi conſcripta intelligimus. Iuvenilia præterea nonnulla, ex ipſis pene flammis, quibus ab autore deſtinata fuerant, retraximus, ſeruauimus. Vt eorum vitam jure meritoque mihi vindicem. cum non ſuo tam judicio, quo nititur, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

meis precibus, vt legerentur, autor dederit. Adoptivorum denique libro non parva quoq; a nobis facta eſt acceſſio. Quæ prætermiſiſſe quidem poteram, ſi malevolorum quorundam habere rationem voluiſſem: qui aut commendari velle aut probari probis, arrogantiam exiſtimant. Adde quod hic maximorum nobis hominum, quibus acquieuimus, non defuêre exempla. Habes poſtremo in his Adoptivis, quaſi in tabula, compendium eruditi tui ſæculi. Quod qui in Scaligero, Douſa, Grotio ac Baudio, principibus doctrinæ ac ingeniorum, nec agnoſcit nec veneratur, fruſtra id profecto quærat alibi. Tu interim, Illuſtris

Myli,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DEDICATIO.

Myli, officium hoc noſtrum boni conſule. quod ſi gratum tibi acceptumque intelligam, mea quoque brevi poëmatia expecta. Vale, Vir Nobiliſſime, ac patrocinari porro nobis perge. Lugduni Batavorum. CIↃIↃCXL. XXV. Septembr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DEDICATIO,

penultimæ editioni ab autore ad eundem præfixa.

ANni jam ſunt plurimi, Vir Nobiliſſime, cum oblectationes noſtras, hoc eſt, mentis occupatæ diverticula, illuſtri tuo nomini inſcripſimus. Creuit interim lectoris ſtudium ac ardor, & cum eo noſter animus. qui, quo vlterius in litteris progrederetur, majorem cum antiquitate erudita, ac præſertim ſapientiæ doctoribus, vſum interim ac conſuetudinem contraxit. Quorum antiquiſſimi ſunt Pythagorici; ita autem eruditi, vt vnius hujus ſectæ (& tum plurimæ extabant) maximam in diſputando rationem Ariſtoteles habuerit. Ii ergo, cum propemodum e cœlo ſapientiam in terram de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

deduxiſſent, quam poëtæ primi, iidem qui & primi philoſophi, animæ diuinæ, & quæ aliquod ad tempus tantum, cœlo ſic volente, mutuatæ hominibus videntur, ſoli ante excoluerant, tanta muſicæ, præſertim vero poëticæ, inuaſit eos reuerentia, vt cœleſtes orbes & amœnos illos ignes, quorum naturam, motus atque interualla, quemadmodum ab illis acceperant, primi in terris deſcripſerunt, poëtas eſſe traderent: concentum autem ita delicatum edere ac jucundum, vt beatæ animæ, poſtquam naturæ corpus reddidiſſent, ſola iſta voluptate fruerentur. Hos ſecutus fuit generis humani Siren & inuſitatum naturæ prodigium, Athenienſis Socrates. qui in poëtarum quaſi educatus gremio, eadem omnia, cum poëtico præſertim incaleſcit furore, de poëtice commemorat. Raro autem temperare ſibi poteſt, quin quacunque de re diſſerit, ex Pindaro, Sophocle, Euripide, Pythagorico Æſchylo, ſed præ-

cipue Homero, verſiculum aliquem, aut aliquod venuſtius dicendi genus, ſæpe ſuppreſſo, ſæpe & expreſſo autoris nomine, admiſceat. Sed ante omnia, operæ eſt audire, cum de primo pulchro in muſêo ſuo, quod ſub platano illi ad Iliſſi ripam Plato fabricauit, cum amoribus ſuis, formoſiſſimo adoleſcente Phædro, diſputat, quibus eam efferat præconiis. Nam cum, vt diei forte erat medium, eo diſſerente ſupra caput ſtreperent cicadæ, ſuauiſſimam occaſione hac fabellam e fœcundo pectore depromit. Eas quippe ipſas, quæ tum canerent, homines fuiſſe quondam, ſed qui ante Muſas ipſas viverent in terris. Illæ ergo cum in terris naſcerentur, & quæ antea in cœlo didiciſſent, ea canere cœpiſſent, ibi voluptate tanta delibutos fuiſſe omnes ac perfuſos, vt ſine cibo ac potu, rerum omnium obliti, perpetuo cantarent. dum ignari tandem expirarent, & in locum hinc communem, tan-

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

quam ſomno placido ſopiti, abirent. Ex illorum genere cicadas eſſe natas, quibus hoc Muſarum munere conceſſum, vt ſine vllo paſtu, pura & innocua hac oblectatione vitam ſuſtineant. donec redeant ad Muſas: quibus nunciare ſolent, quis earum ſingulas hic colat. Alios quippe, vt diuerſa hominum ſunt ſtudia, Calliopen, alios Terpſichoren, alios Vranien, neque paucos Eratonem, eam quæ amoribus præeſſe creditur, dum vivunt, celebrare. Quæ ſine dubio, e narratiunculis Pythagoræ, cujus capſas omnes, omnes pyxides ac arcas Attica hæc Venerilla penitus exhauſerat, delineata ſunt. Muſas interim, quas ſeptem veteres credebant, nihil aliud quam ſeptem illas eſſe ſtellas, quas ingenium moreſque hominum ac fata moderari, docta credidit antiquitas. quæ cum interuallis imparibus, proportione tamen certa diſtinctis, ſonum edant admirabilem, vbi jucundiſſimum hoc cœli arcanum,

num,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

num, homines qui ibi ſe vixiſſe meminiſſent (nam ſic Pythagorici loquuntur) in terris primum prodidiſſent, ibi animos cœleſtes, cum in loco hoc inferiore ſuam quiſque Muſam, a qua eſſent oriundi, agnoſcerent, niſi ſi quæ penitus obbrutuiſſent, aut honorum ſtudio ac facultatum mentem animi pollutam corruptamq; haberent, præ diuina illa voluptate ipſum quoque corpus neglexiſſe: donec a ſeruitio illius prorſus vindicati, ad originem redirent ſuam, totamque voluptatem illam toti vſurparent, cujus ante vix imaginem tantopere amplectebantur. Cætera, vt vides, conueniunt. vni tantum rei a natura diligentius proſpectum velim: vt, quemadmodum cicadæ, ita ſolo quoque rore viuerent poëtæ, aut, vt mavult Socrates, ſine cibo ſine potu vllo, vitam ſuſtentare poßent. Nunc vero ita comparatum, vt nonnulli hodie famelici ac miſeri, non-

nulli

nulli mera tantum ventris mancipia, è cicadis ſcarabei fiant aut crabrones, & cœleſtem artem turpiter proſtituant. Quare mihi quidem ſic videri ſolet, qui pro dignitate eam colat, regem oportere eſſe aut philoſophum. quorum nihil deeſſe illis, hi quam minimo egere ſolent. vtrique vero vitam ſuam & quas profitentur diſciplinas, a contemptu vindicare poſſunt. Quod diuina illa ſapientiæ lumina, Pythagoram, Parmenidem, Meliſſum, Cleanthem, Xenophanem, Empedoclem, feciſſe ſatis conſtat. qui, qua erant vitæ continentia, eam quoque tanquam dotem ad poëſin contulerunt: cujus dignitatem nemini gratificati ſunt. Neque noſtra alia eſt ratio, vbi ex profeſſo ac præſertim (quod in libris De *contemptu mortis, vt & alibi, a nobis factum) ſapientiam tractauimus. qui nec in luſibus aliud nonnunquam argumentum amauimus. Quod ſi minus alibi*

ſublime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ſublime eſt, maximos autores habet, & fortaſſe non minores ſapientiæ magiſtros. Ego ſane cum hoc olim adoleſcens agerem, vt poëticam facundiam, quæ numeris inſtructa ad diuinitatem mentis & æternas rationes propius accedit; cauſa alterius, quod veteres feciſſe intelligebam, quanto poſſem ſtudio excolerem, cujus vnicum autorem fere & ducem, cœleſtem Scaligeri animum fuiſſe mihi libentiſſime recordor, malui, vt olim apud te locutum me memini, neſcio quid ſomniare, ac, ne nihil agerem, amorem quendam, qualis Platonica Reſpublica eſt, imaginari, quam principibus ingratis Muſas meas conſecrare: libertatis meæ vſque ad jocos iſtos tenaciſſimus. quos qui aut ſugillant aut non capiunt, eos magis æquum eſt ex noſtro & antiquitatis, quam ex more illorum, nos viuere. cum præſertim nullis litteris inſtructi, niſi quas peruerſe didicerunt, quantum liceat ignorent. Tibi vero, Vir

Illu-

Illuſtris, tanquam Deo tutelari, iterum hæc conſecramus. ad cujus admirationem, tanta poſt editionem primam facta eſt acceſſio, quantam capere vix poteſt animus, aut voluntas candida fateri. Non eramus nos tanti, vt, quis eſſes, cum abunde Academiæ, patriæ autem, cujus inter primos Batauicæ Nobilitatis clavum jam tenes, tribus illuſtriſſimis legationibus, duabus ad Henricum Magnum, tertia ad Illuſtriſſimos Venetorum Patres, probaſſes, etiam in nobis teſtari velles. de quibus ita es meritus, vt quicquid hic ſumus, tibi cum paucis, quod ignorat nemo, acceptum feramus. Verum magnitudo tua, quod ad Deum immortalem proxime accedit, ita ſe exiſtimabat fore illuſtriorem, ſi in eum ſua beneficia conferret, in quo nihil alienum agnoſceret, & quem opus ſuum merito vocare poſſet. Ab eâdem mente, etiam diuina illa tua proficiſcitur humanitas.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quæ profecte mens tua, niſi ſemper eadem, hoc eſt, ſupra omnia externa eſſet, mutari cum fortuna poſſet & conuerti, quam nunc intra ſe complectitur, ipſamque quanta poteſt eſſe maxima, inuoluit. Hac eſt illa virtus, quam Heroïcam vocauit primus Ariſtoteles. quam in nato ſuo Priamus commendat: nos in ipſo vultu tuo & in oculis videmus, quoties in Academiam hanc venis, & pro ejus cura quam tueris, in ſtudiorum rationes ac Muſarum ſacra inquiris. Nemo enim hic eſt, quem non ſolo prope intuitu, tanquam Phœbus aliquis, Muſarum verus dux & præſes, lubentiorem reddas, quem non de amore tuo erga ſtudia humanitatis penitus ſecurum eſſe jubeas. Quas virtutes, ac præſertim iſtum erga litteras affectum, cum ipſo lacte imbibiſſe, aut a patre tuo maximo heroë accepiſſe, & cum hæreditate quaſi adiiſſe videris. Qui vir ſummus ac incomparabilis, per omnes

prope ordines, ad auguſtam ac excelſam tandem præſidis euectus dignitatem, nullam eruditionis prætereundam ſibi eſſe partem credidit. In poëtice autem eos fecerat progreſſus, vt hoc vno nomine cenſeri potuerit. Cujus, tanquam amuletum quoddam, vt auctoritatem profanis opponerem, poëmatium in fine libri hujus olim divulgaui. qualia nonnulla apud te extare memini: digna quæ cæteris oſtendant ac perſuadeant, etiam hoc tempore præclaros viros, longe aliter quam vulgus ociari, neque minus admirandos eſſe cum remittunt animum, quam cum intendunt. Non enim ratione ſed magnorum hominum exemplis jugulandi ſunt, qui eruditioni bellum ac humanitati indixerunt. Accipe ergo, Muſas has, Virorum maxime, ingenui parentis filias. quæ ſeruire nulli didicerunt, nulli ingenuitatem ſuam ſpe aut mercede addixerunt nullum præter te patronum denique hactenus agno-

ſcunt:

ſcunt: cujus beneficia ſi poſſent, æri ad diuturnitatem inſculperent ac ferro. nunc, quod vnum poſſunt, nomen tuum, ſi non ad æternitatem, certe ex officio præſcribunt.

Errata in fine habes. quibus hæc addantur.

Pag.384.v.29. *dîs natus Ariſto.* p.530.v.3. *caſſes quos.* p. 122. v. 16. ſectione 2. *ſe pedibus.* p.124. v.10. *iterum.* p. 135. v. 11. *referet.* p.145. v.6. *ſtamina.* p.166. l.21. *Idem in Poëmata ejuſdem.* p. 180. l. 16. *Idem Hugoni Grotio, &c.* p. 181. v. 7. *quod viris.* p.187. v. 30. *In pretio.*

DANIE-

DANIELIS HEINSII
SYLVARUM
Liber I.
Qui Epithalamia aliaque ejuſdem generis ac characteris habet.

DOMINICO BAUDIO ſuo.

OFFERO *tibi, vir Clariſſime, novum hunc libellum: & in eo varia, ut nomini reſpondeat. Etiam lepida quædam & feſtiva, nihil minus tamen quam impura aut ſpurca. Nuptias aliquot celebravimus, & inprimis Grotii noſtri: viri, quem, ut noſti, difficillimum eſt laudare, quia ut merito laudatur, ita ſatis non poteſt. Hæc nunc ad te eunt: non ut legas tantum, verum etiam, ut cenſeas. Character, niſi forte Panegyricum excipias, fere uniformis eſt: qualis naſci in præſenti re ſolet, cum dicendum eſt aliquid, aut flagitium eſt tacere. Amyclis noſti quid evenerit. Sæpe tamen melius ſuccedit hæc temeritas, quam ſi vivos ungues diu rodas, & agendo omnia, nil agas. Scis, niſi fallor, Claudiano genus placuiſſe quoddam mediocre dicendi, quod acumen quidem nullum affectat, & propterea commendat magis id quod habet. Cæteri quos una damus, Sylvarum libri argumento multum differunt & charactere. Hujus vero vel inprimis patrocinium,* οὐκ ἀναφροδίτῳ *viro committendum fuit:*

Qualem te patriæ cuſtodes Dii genuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

& qualem, ipſum Homerum noſtrum, olim fuiſſe non ignoras: qui, ut Ariſtoteles obſervat, etiam iocorum autor fuit. Neque de Margite iam loquor, è quo nata eſt Comœdia (plane is enim perijt) ſed in ipſo illo libro, quo Græcorum res ad Troiam proſequitur, Iovi ſuo, minime ſevero, hercule, Deo, thalamum e nubibus ædificat, mirus faber: in quem lepidus Κρονίων, *molli quadam cogitatione liqueſcens, optimam Iunonem ſuam, cuius meminiſſe raro alias ſolebat, omnia cauſantem, ſuaviter amplectitur, & cum conjuge illa ſua & ſorore, hoc agit, cui ſola coniux ſufficere poterat. Quod ſi nihilominus hæc malevoli arrodant; væ illis, qui maiora à me non expectant. Efficiam enim, cum ad epos, aut cothurnum, aut philoſophorum ſcita me convertam, ut iudicii ſui dent pœnas: tanta illis gravitate os obſtruam. Non enim (ut ne hic quidem ab Homero recedam) Iupiter minus expedite fulmen tractat, cum ætatem ſuam in Iunone fatigavit, nec Patroclo minus ab Hectore periculi fuit, quod recenter ab Andromache veniret. Vale, noſter amor, & certiſſimum ſæculi decus.*

EPITHA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

EPITHALAMIVM
in Nuptias
HUGONIS GROTII,
Et
MARIÆ REIGERSBERGIÆ.

VIderat armorum vacuas incedere gentes,
Et Batavas ceſſare manus, complexaque Martem
Cypris, & æternos aſpirans vultibus ignes,
Hactenus his, inquit, ſatis eſt confidere telis;
Quod ſupereſt, concede meis. gens omnis Amorum
Riſit, & auratas manibus ſtrinxere ſagittas.
Cætera geſtat humus: medio Cytherea reſedit
Gramine. formoſus ſocios Hymenæus Amores
Claudit, & extinctos paulatim ſuſcitat ignes,
Auſpicium ſolenne ſui. Nemus arbore multa
Surgit, & Haganam gremio complectitur urbem,
Illic ſollicitos deponit Curia vultus,
Et triſtes lachrimas & noxia verba reorum
Abripit, & lenes Zephyrus diffundit in auras.
Venerat huc blandis Mariæ complexibus hærens
Innocuus Vates. illam trans æquora ponti
Nereidumque domos patriæque è littore terræ
Vexerat, aſpirans faciles Cythereïa ventos,
In Batavos: huc fata vocant, huc vellera ducunt
Quæ triplices nevere manus. Aſpexit euntem
Pulcher, & è Divûm numero præſtantior omni,
Nec vulgo metuendus Amor. biſque omnia tela,
Bis pharetræ concuſſit onus, bis ſingula luſtrat,
Et patrias percurrit opes. Pars ferrea tota eſt,
Et non diſſimilem ferro promittit amorem.
Hinc gemitus triſtiſque dolor, lachrimæq; ſequuntur
Semper, & ad ſurdos dominæ convicia poſtes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sunt & odoratis Libani quæ cædere ſylvis
Feſtivus conſuevit Amor. pars ultima tantum
Cuſpide munitur: ſed quæ, ſi dicere verum
Vatibus, & luſus fas eſt noviſſe Deorum,
Crinali non major acu, tamen oſſibus ipſis
Hæret, & attonitam percurrit vulnere mentem.
Præterit has omnes, nec enim tum cura, ſagittas,
Aut opus eſſe videt, geminaſque educit ab alto
Humentes vatum lachrimis. Has Thracius Orpheus
Senſerat incumbens deſerto languidus Hæmo,
Et non oblitos fato tranſmiſit amores.
Senſerat has caſto juvenis quem perculit igne
Aſteris: & ſi quem tædis felicibus uſſit,
Aut famæ donavit Amor. pars humida multo eſt
Ambroſiæ ſucco, ſemperque virentibus herbis.
Quas Cyrrhæ producit apex. pars triſte venenum
Et non innocui prætendit ſpicula ferri.
Arripit extemplo quæ viſa eſt pulchrior harum,
Eque oculis acres accendit mollibus ignes
Ridentis Mariæ: volucremque hoc igne ſagittam
Imbuit, & totos juveni dimittit in artus.
Pertentatque animi latebras. Ille inſcius ora,
Et riſus faciles, nec duram in virgine formam,
Diligit, incepiens, & adhuc ſecurus amorum;
Nollet abeſſe tamen. Batavis diſcedere certa eſt
Finibus, & rurſus patrias defertur in oras.
Aſpicit abſentem, totuſque in imagine formæ
Vertitur, & ventos animo metitur & undas.
Paulatim gemitus, paulatim vota ſequuntur,
Et quicquid plebs læſa ſolet. mox carmina manant,
Et doctæ lachrimæ: lachrimæ de vulnere manant,
Victuruſque dolor. Sic quondam Cous & Vmber,
Et ſi quem Veneri læſum dilexit Apollo,
Quiſque ſuas ſeros lachrimas dimiſit in annos.
Ergo omnes Mariæ complentur nomine ceræ,

Fe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Felicem tabulæ Mariam chartæque loquuntur.
Cœperat infelix majores volvere curas,
Et Tragicos tentare modos: ter pulpita Cypris
Fregit, & audaces fluxerunt crinibus hydri,
Delapſiſque hederis frontem mitiſſima myrtus
Circuit, & Paphiæ velarunt tempora vittæ.
Ah quoties mœſtos ad læta negocia vultus
Tranſtulit, & cœcos celando prodidit ignes,
Ardoreſque ſuos turbataque civibus ora,
Et geſtus quos ſuaſit Amor! jam diſplicet illi
Si quæ viſa fuit reliquis præſtantior olim,
Et formæ ſubeunt faſtidia. vota relinquunt
Finitimas vrbes, patriæque excedit imago
Senſibus attonitis. pelago mens errat, & undæ
Fluctibus abripitur, proprioſque in pectore verſat.
Quid faciat? duris abiturum curia nodis
Detinet, & vinclis mentem gravioribus urget;
Plus dominæ promittit humus. Sic Seſtus Abydum
Traxit, & una duos facies conjunxit amantes,
Quos crudelis hyems, quos ſævum diſcidit æquor.
Littera quæ triſtes domini denunciet æſtus
Mittitur, & docto pinguntur carmine curæ,
Spemq; fovet juvenis. nondum tamen omnibus illa
Flectitur obſequiis, & adhuc ſine conjuge noctes
Et matris præfertur amor. Quid, dura, negare,
Aut differre potes quantum tibi contigit uni?
Illius attonitæ ſperarunt oſcula matres
Virginibus ceſſura ſuis. quos ſola recuſas,
Qualibet amplexus emiſſent dote puellæ.
Stet licet hæc virtus, Boreas ubi frigore duro
Sævit, & humanæ nequeunt miteſcere mentes;
Accurrent ſoceri. ſoli tibi fata dederunt,
Quicquid ſæva negant. Vtinam, ſi dura fuiſti,
Nec formoſa fores: poteras contempta videri
Quæ dilecta noces. Seu te laus æmula tangit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vatibus antiquis, ſeu non delebile fato
Et cum Phœbeo diffuſum lumine nomen;
Conſule quos ortu populos, quos lumine ſero
Spectat pulchra dies: ſeu te facundia major
Et plauſu populi creſcentis copia linguæ;
Cedentem toties divinis vocibus Hagam
Aſpice cum juſtis cauſarum fortis in armis
Staret, & adverſas premeret ſub judice partes.
Acceſſit ſublimis honos, majorque videri
Purpura. Quanquam ô ſi teneris ſuccumbere poſſes
Vatibus, & noſtras nimium non ſpernere Muſas.
Poſt rabidas tigres, poſt triſtia corda leonum,
His pudor eſt non poſſe capi. quis cedere nollet
Laudibus, & famam venturi admittere ſæcli?
Interea triſtes augeri pectore curæ,
Nec ſe flamma capit. ſubit ire, & quærere ponto
Eximios vultus: tantum prætextus eundi
Quæritur, ut ſalva ſtet majeſtate Cupido.
Hunc quoq; pulchra Venus lepido concedit amanti.
Ergo iter inſiſtit, finiſque Valacria voti
Et tellus petitur Neptunia. ſolus eunti
Iungitur & vatis ſequitur veſtigia vates.
Sic quondam dubius fraternis ignibus autor
Aſtitit Amphion: ſic vidit lumina Phœbes.
Et fratri exhibuit geminam Leucippida Pollux.
Ipſa manu fauſtum genitrix Æneia puppim
Appulit, & læti ſenſerunt omina nautæ.
Totaque tum primum terris prælata Batavis
Riſit, & excelſas erexit Veria turres.
At vero, ut vidit ſperatæ lumina Divæ,
Speratos orbes oculorum, & virginis ora,
Hæſit, & infelix incerto palluit æſtu;
Hæc illi vox prima fuit: gemituſque ſubinde
Ad partes venere ſuas. hæc ſemper amanti
Sufficit, & primas peragit facundia cauſas,

Dum ſenſim dubiæ ſederunt pectoris undæ,
Tempeſtaſque animi cœcuſque evanuit horror.
Tum pariter vires mens ingenioſa Venuſque,
Commiſere ſuas. tum, qualis ubique videri
Quantaque conſuevit facundæ gloria linguæ,
Adfuit, & partes ſeſe diffudit in omnes.
Non tot ſollicitum diverſos Protea vultus
Aſſumpſiſſe ferunt, cum triſtibus undique vinclis
Cingeret Atrides, arctoque includeret orbe.
Nec toties alios admittunt alba colores
Vellera, cum nondum Tyrium duxere venenum.
Paulatim dat victa manum, metuitque videri
Ferrea, nec veterum patitur meminiſſe laborum.
Quis tanto Batavas damnavit judice formas?
Cur vilis tibi terra tua eſt? cur poſtera diſcet
Exemplo peccare tuo, quæretque juventus,
Fluctibus & ſævis aliquid debere procellis,
Nec tuto flagrare domi? ſaltem addite Divi
Annorum ſeriem, cauſaſque involvite nocte:
Aut ſi nulla latent diſcrimina, me quoque fata
Adjungant comitem: ne ſim ſapientior vllo
Quem Valachris blando Nympha inflãmavit amore
Et noctu faciles ſolatur pectoris æſtus.
Felices animæ, vobis nunc Heſperus Oetam
Deſerit, & fauſtam promittunt ſidera noctem.
Felices animæ, toti jam deſtinat orbi
Grotiadem Natura ſuum. ſtat præſcia rerum
Et teneras expaſſa manus, quæ tollat alumnum,
Obvia Calliope. quicquid ridebitur illi
Et primum male facundo tentabitur ore,
Carmen erit: donec patrias aſſurgat in artes,
Et juſta Batavum moderetur voce Senatum.

EPITHALAMIVM

in Nuptias

JOHANNIS MILANDRI,

Domini de Poederoÿe, Principi à ſecretis,

&

MARIÆ HOHENLOIÆ.

IAM prope bis denæ fugerunt ordine meſſes,
Et toties ſucceſſit hyems, cum præmia laudum
Victrices populi viderunt cingere laurus
Naſſovios poſtes. ſcit corniger omnia Rhenus,
Et ſæpe Heſperio mutatus ſanguine Moſa.
Ipſa Venus bello gravidas contingere ſedes
Horruit, ac quanvis Getico dilecta marito,
Fugit: & imbellis (quid enim, qui mallet Iberi
Vulnera mille pati, levibus ſuccumberet armis?)
A foribus conceſſit Amor. cum Principe vivit
Cœtera turba ſuo, furtimque elabitur ætas
Omnibus, & primi pereunt victoribus anni.
Viderat hoc quondam, domuique vt parceret vni
Iupiter, horrorem Batavis ſecedere terris
Iuſſerat armorum: vacuum Cythereïa regnum
Occupat. inſurgunt levibus certamina telis,
Nil metuenda viris, deſuetaque corda puellis
Paulatim incipiunt miteſcere. Primus in hoſtem
Incidit, arcanos cui fas cognoſcere ſenſus
Principis, & vulnus Poedroïus abſtulit heros.
Prima domi vidit, vacuum clangore tubarum
Caſtrorumque metu, tuto ceſſare cubili,
Primaque ceſſantem flammis immiſcuit æſtas.

Ille quidem nollet, primoſque vlciſcitur ignes,
Et pudet ætatis memorem ſervire ſenectam :
Nec videt eſſe Deam: dum captus imagine tali
Fata minor ſequitur, meliuſque indulget amori,
Quem plus poſſe videt. Non tales Cynthia vultus
Nubibus exeruit, cum plenis lucida fulget
Cornibus, & totos mortalibus imputat ignes.
Nil ſic Phidiacæ, nil tantum Mentoris olim
Formavere manus: nec Coæ viribus artis
Talis ab æquoribus patriiſque emerſit ab undis
Senſim nata Venus ; quanvis ſpumæ undique circum
Vincere neſcirent niveos candoribus artus.
Nec talis Phrygio ſub judice conſtitit olim
Cum meruit viciſſe Deas: nec Tyndaris olim
Talibus evertit Priamum pulcherrima cauſis.
Hanc videt infelix, trahiturque, omnemque rigorem
Exuit antiquum: veluti magnetica ferrum
Ducere gemma ſolet. quanvis illi omnia cedant,
Cogitur ire tamen, dominaſque agnoſcere vires
Eminus, & certas naturæ admittere leges.
Sic quoties oculos, quoties formoſa puellæ
Ora videt, quotieſque ebori certantia colla
Aut nivibus puris, quas necdum lumine primo
Cynthius, aut ſolvit delapſus nubibus imber,
Vel duri læſere pedes; quotieſque genarum
Purpureos, ſed enim quos candor diluit, ignes,
Aſpicit infelix; pudor eſt meminiſſe ſenectæ,
Paulatimque ſuos mens obliviſcitur annos.
Æſona ſic fama eſt, ſic fama eſt Æſona quondam,
Poſt virides herbas & non innoxia verba,
Ætatem neſciſſe ſuam: plus virginis ora
Et teneri mores, & vis intacta juventæ,
Quam Medea valet. minus eſt quod carmina poſſunt,
Quanvis attonitæ deducant cornua Lunæ,
Quam formæ divinus honos. His utitur herbis,

Et puer eſt, laſcivus Amor: poſt ſæcula mille
Nondum illi teneros læſerunt ſæcula vultus,
Aut vitæ crudelis hyems. Iungantur eodem
Tot menſes pariterque dies, tot luſtra, tot anni,
Quot nec fatidicas fama eſt duxiſſe Sibyllas,
Et totum Pylii vincatur ſæpius ævum;
Quem dominæ vultus, quem tangere lumina poſſunt,
Iam primævus erit. redeunt animuſque vigorque
Cum Veneris nato, collapſaque defluit ætas.
Sæpe illum Dryades, ſæpe illũ in gramine Nymphæ,
Formoſæ Dryades, formoſæ in gramine Nymphæ,
Viderunt, medios cum Sol accenderet æſtus,
Flectere cornipedem breviuſque includere gyris,
Admirante Dea. ſtupuit vicina juventus
Diſplicuitque ſibi: ſpacio ſeu ſæpius uno
Stringeret indignantem animo, vireſque ſuperbas
Frangeret, aut curſu volucres præverteret auras.
Illa animum vireſque dabat, totamque juventam,
Eminus & priſcos oculis afflabat honores
Aſpectuque ſuo. Non ſic Tritonia virgo
Viribus exhauſtum ſenio ſubduxit Vlyſſem:
Nec ſic, cum varii redierunt tempora veris,
Et primum Zephyrus fœcundas elicit herbas,
Exuit antiquos ſerpens Epidaurius annos.
Felices oculi, ſeu vos fatale venenum
Spargitis, & noſtro manſuras corde ſagittas,
Seu vobis ſuperi, ſeu vobis ſidera vires
Aſſcripſere ſuas, totuſque indulſit Olympus
Sufficere humanæ ſpaciumque extendere vitæ,
(Audiat ipſa licet Lacheſis duræque ſorores)
Vobis cuncta licent. nec nos contendere contra
Poſſumus, & ſacras obnixi ponimus aras.
Vos modo, ſed faciles miteſque, accendite curas:
Nec Dea dura veni. Si ſemper parcere gaudet
Supplicibus Diana ſuis, ſi Gorgonis ora

Diri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Dirigit inſontes, viſoſque vlciſcitur haſta
Cecropis, & ſolos invadit Delius hoſtes:
Te quoque donavit geminis natura ſagittis,
Et puer armavit gemino Cythereïus igni.
Sortem diſce tuam. nullum eſt ſine cuſpide numen.
Nec tibi ſuccubuit quiſquam de gente pudenda,
Indignuſve tuis ſubmittit pectora telis.
Sed cui conſilii, cui vis non ultima fandi,
Naſſovios inter titulum ſibi vindicat actus.
Cætera quid referam non aſpernanda Deorum
Munera? quid longo fulgentes ordine gazas,
Et quicquid ſapienter ames? errore ſub illo
Volvitur, & per te volvatur plurimus orbis.
Tu quoque pauperiem, virgo, laudare memento,
Et ſpecta patienter opes. non vilius aurum eſt,
Quamvis Socraticæ conentur plurima chartæ.
Stat precio dos ipſa ſuo, nil indiga laudum,
Autorem complexa Deum, qui tempora nutu
Dirigit, & totum regno complectitur orbem.
Ah quoties ſævos percuſſit fulmine poſtes,
Nec clauſæ ceſſere fores, cum limina centum,
Et duri vectes, multuſque in limine cuſtos,
Et circum Danaën ſervaret ahenea turris!
Non alias toto tam dira tonitrua cœlo
In terras vibraſſe ferunt. ſæpe æthere puro,
Et nondum emerito fulſerunt ſidera Phœbo,
Mœrorem teſtata Dei: ſæpe ordine verſo
Nondum elapſa ſuos flexerunt ſidera curſus.
Dum ſapiens blandis infuſus virginis ulnis
Pro Iove munus erat, preciumque indutus amoris,
Paulatim rutilo deſcendit plurimus auro.
Tu quoque pande ſinus. nec te fœcundior illo
Terreat, & fulvus nequicquam depluat imber.
Huic niveos vultus caſtumque oppone pudorem:
Plus in dote tua eſt. Nec te maturior ætas

Et quæ purpureis albeſcunt tempora canis
Tam moveant, quam certus amor. Sic nata Saloni,
Et facie præſtans & primis nubilis annis,
In gremium jacuit longævi effuſa Catonis,
Et patriæ ſacros gaviſa eſt tangere vultus.
Sic Venus Anchiſen teneris dum condidit vlnis,
Edidit Ænean: quo tota à ſanguine Roma,
Et rerum domini primum fluxere Latini.
Talibus Egerie quondam dictavit in ulnis, (vam
Quod jus cunq; foret: nec pulchram incumbere Di-
Canitie piguit, nec longos horruit annos.
Ipſa parens frugum, Cretææ in vallibus Idæ
Iaſiona ſuum, viridi quem foverat ævo,
Nunc quoq; ſemper amat; poſtquam illum ſerior æ-
Attigit, & ſparſi nivibus ceſſere capilli. (tas
Nunc quoque Tithoni lepidæ conjuncta ſenectæ
Memnonis alma parens, roſeo tot ſæcula vultu
Fulget, & ignavas aſpectu diſcutit vmbras.
Nec nocet amplexu veterem foviſſe maritum,
Sed Cephali laſcivus amor, ſed callida noctis
Gaudia, ſed blandis juvenem cinxiſſe lacertis.
Hinc Dea mane rubet, teneroque offuſa pudore
Prodit, & erectos vix audet tollere vultus.
Sed tibi nec matres Grajorum è finibus ortæ,
Romanæque nurus, vivendi exempla dedere,
Aut mores finxere tuos, quos nota libido
Et non inſolito traxerunt ſæcula luxu:
Sed patrii ritus, caſtiſque exculta Batavis
Vna verecundas præſcripſit regula leges.
Nec tibi laſcivos pudor eſt non tangere vates,
Et quicquid peccare docet. ſors illa virorum eſt,
Eruere annales, ſcelerumque inquirere formas,
Quos aliquid neſcire nefas, quos ponere jura
Criminibus Natura dedit. doctrina pudorque
Non bene conveniunt. decet ignorantia caſtas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et quantum liceat tuto neſcire fatetur
Quam thalamo ſacravit Hymen: cui tangere vittas
Legiferæ Cereris ſacriſque aſſiſtere fas eſt.
Sed neque torpori gelido triſtique ſenectæ
Virginitas devota tua eſt: qua pectore toto
Vritur infelix. nec quiſquam ardentius illo
Optavit tenero primum percuſſus amore
Sidereos ignes toto increbreſcere cœlo,
Et tardum properare diem. nec gratior vlli
Heſperus auratos formoſus protulit ignes.
Et tibi nocturnas pluſquam ſermonibus horas,
Et pluſquam nimio ducendum eſt tempora ſomno:
Quæ ſimul ingratam damnabunt tempora lucem,
Ad juvenum deſcendet opus, totumque maritum
Afferet, aut, formoſa, tuis deſumet ab annis.
Namque vbi divino tepefactus membra jacebis
Molliter in gremio, circumfuſuſque lacertis
Dulcia feſtivæ libaris munera vitæ,
Eque tuo primum manarit ſpiritus ore,
Spiritus, æthereo quem nectare dia Iuventus
Imbuit, & caſto flagrantem afflaverit igne;
Protinus inverſo properabunt ſtamine fata,
Ad limen reditura ſuum. ſic volvere juſſit
Iupiter, & duras vetuit properare ſorores.
Quippe è deliciis, quippe è complexibus illis,
Debita Poedrojæ ſoboles promittitur arci.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

EPITHALAMIVM
in Nuptias
HADRIANI MANMAKERI,
Equitis,
&
MARIÆ BERCHEMIÆ.

SVmſerat inſignem vario diſcrimine ceſtum
In terras abitura Venus, quem pontus & æther
Vere novo, quem ſentit humus: quo tacta repente
Parturit, & læto teſtatur gaudia vultu,
Muneribus formoſa ſuis. jamque undique Divam
Hauſerat, & caſto gremium pandebat amori
Qua ferret formoſa pedem: thalamoque corollas
Ipſa ſuo, mixtas fundebat floribus herbas.
Carmina ne deſint (quis enim non carmine gaudet?)
Nupturam ſolantur aves. his vatibus illa
Iungitur, & cœlum tepidis complectitur ulnis.
Straverat & ſummas Zephyris felicibus undas,
Et placidas frænarat aquas; delapſaque ſummo
Æquore, fœcundo Neptunum ſparſerat igne.
Tertia lux illam patriis inſiſtere regnis,
Irrita librantem vacuo veſtigia ponto,
Viderat. egreſſam Valachræ cepiſtis arenæ;
Hoſpitium prædulce Deæ. Non gratior illi,
Imminet æquoribus, prætentaque littora Cypros
Porrigit, erranti ſtatio fidiſſima nautæ.
Sæpe illic madidos fertur ſiccare capillos,
Sæpe illic laſcivit Amor: poſitaque pharetra

Cum

Cum face, cum jaculis, venientem littoris æſtum
Aut fugit, aut ſequitur fugientem: inſtatque viciſſim
Fluctibus, & motis inſtantes effugit alis.
Sæpe illum delectat ager, ſed ſæpius errat
Vrbibus in mediis: mediis plerunque vagatur
Vrbibus, & caſtos animis inſpirat amores.
Plus nunquam quod ludat habet. par gratia morum,
Et formæ divinus honos, ſimplexque venuſtas,
Sponte ſua mites ludentibus inſerit ignes.
Nec lædi non gaudet amans, nec cedere curæ
Abnuit, & nutrit feſtivum pectoris æſtum,
Applauditque ſibi: dum pulchri indagine vultus
Cingitur, & nullos metuit, niſi captus, amores.
Sæpe etiam veniens aliquis de gente Batava
Integer, & blandum fato delatus in orbem,
Saucius egreditur: vectuſque per æquora, ſæpe
Reſpicit extantes ardenti pectore turres.
Majus adhuc reſtabat opus, quo vertere ceſtum
Et vires Cytherea ſuas, quo ſpicula cuncta
Optaret laſcivus Amor, digniſſimus ore
Quolibet, & quovis juvenis digniſſimus ævo.
Sæpe illum facili tentarat vulnere Cypris,
Sæpe illum graviore manu Cythereïus ales,
Cum terris aliis aliiſque inſiſteret oris,
Oblitus patriæ. fruſtra tamen aſpicit omnes,
Fruſtra aliquas non durus amat (ſic fata jubebant)
Occupat ignarum Berchemia: primus in illa
Siſtitur infelix, centumque ulciſcitur una:
Sanguinis antiqui Berchemia; dives avorum,
Et laus ipſa ſuis. ſed quantum Cynthia Phœbo
Cedit, & extinguit formoſos Cynthia vultus
Stellarum, cum tota nitet; tantum eminet inter
Virgineas pudor & divina modeſtia dotes.
Illis luminibus Venetæ ceſſere puellæ,
Et dat Roma manus. illis componitur orbis,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et pariter cedit. Veneris victoria quanta eſt,
Aut quantum eſt viciſſe duas ſub judice, qualem
Antra nemuſque darent: qualem procul vrbe remo-
Obtulit in ſolis eductum ſaltibus Ida! (tum
Plus tibi conceſſum eſt, Berchemia: vincis vbique,
Quamvis in patria, quamvis Nereidas inter:
Illo judicio cunctis prælata puellis,
Quo luſtravit humum, quo pulchras mille puellas
Vidit, & inſignes alio ſub ſidere formas.
Et vinci patiare tamen. nec cede neganti,
Magne animi juvenis. Si quid communia vatum
Pro te vota valent, quos tu miſeratus amantes
Immitem dominæ ſueviſti frangere mentem
Mollibus officiis & blandæ flumine linguæ;
Tandem victor eris. Pro te Parnaſſia rupes,
Et Muſæ faciles & non crudelis Apollo,
Incipiet facunda loqui: tecum ibimus omnes,
Omnes perpetuis evincti tempora lauris,
Muſarum quos tangit amor, quos reſpicit autor
Carminis: & ſupplex formoſam affabimur agmen.
Me miſerum, cur dura manes, tantumque recuſas
Quantum optare ſoles? cur nec ſuſpiria, nec te
Humentes tangunt lachrimæ, nec verba precantis?
Saxea, ſi neſcis, non ille immitis & aſper,
Sed flecti facilis, pronuſque audire querelas
Et luctus miſeros, lamentaque triſtia vatum,
Nec meruit ſordere tibi. ſi gloria cenſus
Quæritur, aut vrnæ non aſpernanda poteſtas;
Oſtendunt tibi fata virum: nec dignior illo
Quiſquam nocte tua eſt. Sed proſit gratia morum,
Sed proſit miſero clementia. qualis amanti
Sæpe fuit, talem meruit non durus amorem.
Ipſe egomet, quamvis pelago diviſus & vndis,
Senſi animum, miſerande, tuum, luctuſque notavi,
Et tecum gemui, quamvis ignarus & abſens;

Sæpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sæpe etiam nullo ſtupuit mens noſtra dolore;
In te cauſa fuit. pars noſtri vixit in illa,
In qua tu dominam neſcires flectere, terra.
Nec non & Veneri, nec non & plurima nato
Pro te vota tuli: nec non & carmine duras
Flectere tentavi, quo gaudent numina, mentes.
Vicimus, ô Superi. lætas Hymenæus ad aures
Fertur, & optata victor ſtatione recepit
Gaudia, jam promiſſa ſibi: ſed gaudia tantum
Sunt promiſſa tamen; quæ jam vicina videntur,
Percurruntque animum, defixaque ſenſibus hærent.
Iam tibi ſuſcepit ſperatam Cynthia noctem
Solvere. jam Phœbus, quoties caput exerit undis
Purpureum, quoties obducit gurgite. vultus,
Obligat optantem nil jam niſi baſia mentem.
Iam tua lábuntur tibi tempora, jam tibi grata eſt
Lux, ut quæque perit. quæcunque elabitur hora,
In lucro, miſerande, tibi eſt. jam feſſus, & ægro
Proximus, inſomnes exerces pectore curas.
Aut ſi quis miſerum lentis ſopor irrigat alis,
Somnia cernuntur veras imitantia tædas.
Sic thalamis præludit Hymen. Berchemia vultum
Applicat abſenti, rurſuſque elabitur ulnis.
Ah quoties illi niveis formoſa lacertis
Hæret in amplexu (quid enim non ſomnia poſſunt?)
Baſiaque indulget. forte & non baſia tantum.
Sed virgo poſt illa manet. quæ reſtat ab illa
Altera, tam caſtæ non eſt abitura voluptas,
Nec nimium metuenda tamen. quod luditur illic,
Fas & jura ſinunt. Sic ſe Natura tuetur
Vindex ipſa ſui. ſic poſt immania ſaxa
Et quæ Deucalion non recte ſparſerat oſſa,
Humani generis melius reparatur origo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

EPITHALAMIVM
in Nuptias
CORNELII NICOLAI,
Senatoris,
&
CORNELIÆ PAVLI.

STAT procul extremum qua fulcit vertice cœlum
Tellurique humeris curvatus conſulit Atlas,
Fatorum formoſa domus. qua dicitur
Iapetionides terram formaſſe parentem (olim
Sanguinis, & noſtros finxiſſe in pulvere vultus.
Stat matrona Venus, poſitiſque in limine pennis
Perpetuo manſurus Amor, vulguſque volantum
Arcet, & infidos foribus propellit Amores.
Ante alias, Spes lenta ſedet, vultuque ſereno
Ridet, & inſtantes à tergo reſpicit annos.
Ipſe puer totum, quacunque it, ſpargit in orbem
Gaudia cum lachrimis, & mixtas nectare curas,
Et non inſolitos, juvenum ſolatia, luctus.
Ipſa manu, vitæ placidas molitur habenas,
Fataque diſponit: nec triſtia vulnera ſemper,
Sed diverſa movet. Paret, dominumque fatetur
Atropos, & juſſæ peragunt ſua fila ſorores.
Quaque jubet, ſequitur triplicis concordia fuſi.
Nec ſimile eſt quod creſcit opus. pars ſtamina lenta
Tardaque, pars faciles meruit lætoſque labores.
Exitus in dubio eſt. Rapiunt ſua vellera quenque
Fataleſque oculi, nec duræ gloria formæ.
Te quoque (nam memini) crudeles volvere curas
Septi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Septima jam ſpectat, læſoque elabitur æſtas.
Vix tanti Priamus luſtriſque obſeſſa duobus
Olim Troja fuit. quamquam tot pignora divum,
Et vix ceſſurum ſuperis laſſaret Achillem.
Non tamen hic ferro, nec ſævis cominus armis
Res geritur. non tela volant, non plurimus æris
Impetus obſeſſas balliſtave concutit arces.
Sed multo gemitu, ſed queis concedere ſaxa
Quanvis dura queant precibus, mœſtiſque querelis,
Dulcia feſtivæ pulſantur mœnia Divæ.
Pro foribus ſtant caſtra viri: quas nocte ſerena
Obſidet, ac clauſos ſpectat ſua vulnera poſtes,
Quos fruſtra lachrimis ſoloque oppugnat amore,
Tum quotiens Phœbes nocturnos aſpicit ignes,
Felicem toties, facilis cui contigit ardor,
Endymiona vocat: lepido quem victa furore
Detinuit, lentoque irrorans membra ſopore
Condidit, & totis vix jam dimittit ab ulnis.
Non ſic Sicanias accendunt ſulphura cautes.
Ætnaque tota calet; quoties fuligine nubes
Fertur in oppoſitas, proprioque abſumitur igne,
Et ſemper pars una perit. nec talis, ut olim,
Admittitque manum: nec qualis inertia vulgi
Fervor & ignavæ percurrunt pectora curæ,
Detinet attonitum: nec feſtinata libido,
Sed divina rapit conſtantes gratia ſenſus,
Et pius eſt ſanctuſque calor. Sic Pyramus olim
Arſit, & exarſit juvenem Babylonia virgo.
Nec magis illorum tenuit concordia mentem.
Sed magis hos disjunxit Amor: quantuſque Batavos
Dividit & Valachros Nereus ſecat æquore fines,
Sæpius infauſtum pelago diſcernit amantem.
Mens vicina manet. totque obſiſtentibus undis,
Sponte ſua pulchram dominæ defertur in urbem.
Nec Fliſſinga tenet pariter cum corpore votum,
Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quanvis grata ſatis, quanvis hic aëra primum
Hauſerit, & primos vitæ libaverit vſus,
Et dulci imbuerit Muſarum nectare mentem.
Haga tenet vinctum divina compede pectus,
Haga tenet vinctum, vinctum non deſerit Haga;
Aſtrææ Veneriſque domus. quam plurima cingit
Fagus, & hoſpitio lenique amplectitur vmbra
Ardores juvenum, pronaſque in vulnera Nymphas.
Plus tamen ante oculos dominæ verſatur imago,
Et tenet aſtrictos oculis Cornelia ſenſus,
In parteſque rapit varias, perque æquora tanta
(Quod genus hoc hominum? quæve hæc tam certa potestas?)
Vrit, & aſſiduos abſenti ſuſcitat ignes.
Nec modus eſt, triſteſque dies ducuntur & horæ.
Nox tamen auget onus. pariter tempuſque locuſque
Admonet infelicem animum. ſopor exulat omnis,
Et fieri quod poſſit, adeſt. Sic carpitur abſens
Pectora: dum rurſus patriam mœſtoſque Penates
Deſerit, & rerum dominam delabitur Hagam.
Hic videt & metuit. minus eſt præſentia formæ
Quam quod vellet amor. nec tantum baſia proſunt,
Quantum ſola nocent. Di talem avertite morbum
Mentibus: aut noſtros ſaltem miſerare labores,
Æneadûm formoſa parens. ſi cedimus vltro,
Et tua percuſſa teſtamur numina mente.
Si procul Auſonios inter genteſque tuorum
Ipſaque quæ vidit collapſæ mœnia Romæ,
Te coluit, nunc læſus amans, nec durus & excors
Creditur accenſas nimium torſiſſe puellas.
Quas faciles, ut ſemper, habet: Priameïus ex quo
Debita prælatæ tribuit tibi præmia formæ
Paſtor, & huc illinc Phrygii venere Penates.
Nunc facilis, nunc, Diva, veni, ſi pectora curis
Non queis ante calent: cum primos duceret annos
Læſus, & incertos (quis enim non?) paſceret ignes.
Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hic cœlo plus debet amor. ſic omnia conſtant,
Et vitæ aſſiduus per te, Dea, volvitur ordo,
Nec fruſtra Vranien docti dixêre parentes.
Et jam Diva faves. patitur Cornelia vinci,
Nec jam diſſimulat quos nollet prodere curas;
Succumbitque tibi, tandemque admittit amantem.
Ipſa Venus longos animi miſerata dolores
Tempora præcipitat, volvendaque ſidera ducit
Ocius, & nullam patitur ſubſiſtere lucem.
Ipſa manu fauſta teneros componit amantes,
Speratamque jubet toties procedere noctem.
Sol abit hinc: illinc, Veneris qui præſidet aulæ,
Legatum quem mittit amor, cum dulcia bella
Nunciat, & triſtes miſerorum ulciſcitur ignes,
Ocius exiliit, formoſaque prodidit ora
Heſperus, & lætæ prælufit ſidere nocti.
Ille avidus rerum, cunctas effundit habenas,
Collectumque diu vix jam diſpenſat amorem,
Et ſeptem, felix operum, obliviſcitur annos.

EPITHALAMIVM
in Nuptias
ADRIANI BLYENBURGII,
Equitis, Prætoris Dordraceni, &c.
&
SARÆ ROVERIÆ.

ADvenit ſperata dies. victricia ſerta
Inter honoratos, Batavorum inſignia, faſces,
In foribus ſuſpendit Amor: lætuſque ſatelles,
Lictorum immixtus numero, turbæque faventum,

Præto-

Prætorem comitatur Hymen: interque ſecures
Ludit, & optatos tædarum ventilat ignes.
Perque vias paſſim, thalamis felicia vota
Concipit, & feſto teſtatur gaudia cantu.
Conveniunt caſtæque nurus, puerique, virique.
Omnis Hymē Hymenæe canit domus. aſſonat Echo,
Et jam non dubios populo diffundit amores.
Hoc totum, Blypurge, tuum eſt. ſuprema poteſtas
Diluitur, rerumque alius tibi naſcitur ordo.
Felix ſorte tua. quantum dare numina poſſunt,
Indulsêre tibi. Batavi regina ſenatus
Dordrechtum, cui prima dedit cunabula mater,
Et proavos de ſtirpe ſua: quos plurima tollit
Gloria, quos longo commendant ordine faſti.
Acceſsêre Deæ, Parnaſſia numina quondam,
Nunc patriæ; poſtquam cunctas Helicone ſorores
Tranſtulit, & doctas Lugdunum vindicat artes;
Et decor, & felix facundæ copia linguæ.
Vix juveni prædulce viri, prædulce parentis
Nomen, & e primo conjunctis omine tædis
Par generi fortuna ſuo, geminataque venit
Erectis animo non aſpernanda poteſtas,
Et Quæſtoris honos primis maturior annis,
Quæque Monetalem ratio determinat artem.
Mox proceres inter primaque in ſede locavit,
Qua Vahalin Moſamque ſuo cum flumine Rhenus
Colligit, & primam patriæ prælabitur urbem.
Acceſſit ſecura ſui generoſaque virtus,
Et ſimplex, ſed caſta, fides: & pectore eodem
Ingenii nix dulcis, & æmulus ardor Olympo:
Menſque hilaris, ſemperque ſuis juvenilior annis;
Fortunæ nec lege minor. Quæ læta renidet
Hactenus, & nullo turbat tua tempora nimbo:
Ni Venus incurrat puerique volatile ferrum:
Ni pacem interrumpat Amor, fatumque puella
Diſpen-

Diſpenſet formoſa tuum: niſi dulce venenum
Hæreat, ex oculis conceptum & virginis ore.
Vultus in vrbe fuit, viridi pulcherrimus ævo,
Nobilitate ſua veterumque inſignis avorum;
Effigies ſedeſque Deæ, quam Golgos & udæ
Arva colunt Cypri. nec enim Cythereius ales,
Cum face, cum pharetris, formoſaq; mater Amorum,
Tantum aras aut templa colit, quantum ora genaſq;
Virgineoſque oculos, primævaque membra juventæ.
Hoc calet infelix, viſaque in Gorgone dulci
Vritur. ingeminant hauſtæ ſub pectore flammæ:
Quas nec celſus honos, nec lux venienſq; cadenſque,
Nec dulces epulæ, nec Bacchi munera, nec nox,
Nec toto prohibet conceptus pectore ſomnus.
Et ſomnus quo lædat habet. Roveria præſens
Imminet abſenti, mediiſque intervenit actis.
Plus tamen eſt, noctē quod vindicat improba rerum,
Quam toties diverſa negat. nox omnia reddit
Sopito. vigiles reſpondent omnia ſenſus,
Et tanquam in ſpeculis divina occurrit imago.
Excitus, ardenti præfert ſua gaudia vultu.
Vellet adeſſe tamen quod amat, propiuſque perire
Optat, & accenſos quos nollet, ſaucius, ignes
Diligit, & ſequitur. Dordrechti mœnia ſordent;
Cum formis damnata ſuis: niſi quatenus uni
Natales bis jure ſuos debere fatetur,
Quæ tulit & dominam: quam nunc felicior Haga
Poſſidet, & totum pariter ſibi poſcit amantem.
Huc abit, huc toto connixus pectore fertur:
Dum videt, optatoque oculos ardore moratur
Cominus, & præſens præſenti carpitur igni.
Quoque magis ſpectat, magis uritur. illa dolores
Votaque, quæ procul à domina conceperat abſens,
Diluit aſpectu, pariterque accendit amantem.
Et ſeu dura negat, ſeu læto blandior ore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Spem fovet, & dulci præreptam temperat arte;
Hoc magis accendit. timor hinc, ſpes ducitur illinc,
Nec ſatis indulget miſero, nec ſufficit illi
Quicquid ſperat amans. quantum placet inclyta vir-
Et decor & facies in virgine, diſplicet illi (go,
Virginitatis amor: viduum quoque nomen amando
Damnat, & exactos ardore ulciſcitur annos.
Igne ſuo Dominæque ſuæ mœſtiſſimus heros
Carpitur. hinc cœlum, proprio quod pectore geſtat,
Hinc Venus impellit, dubioque accenditur æſtu.
Non capiunt humiles heroum incendia mentes,
Quos toto premit igne Deus. ſubſeſſor, & ultor
Majeſtatis Amor, privato in vulnere vires
Temperat, & modicis impellit pectora curis
Ignorata ſibi. cum Dîs, genitiſque Deorum,
Dîs genitus, majorque Deus, concurrere gaudet;
Et cœli dominos in cœlum dirigit ignes.
Præterit imbelles aut deſerit. æthere ſummo
Ludit, & æthereis intentat mentibus arma:
Mox placidus, blanduſque ſuæ ſolator & ultor
Sævitiæ, cum finis adeſt, cum præmia reddit
Militiæ ſuprema ſuæ, cum cedit amori
Virginitas devota ſibi: qua languidus, & jam
Emeritus donatur amans. Poſt vulnera, poſt tot
Quas male damnavit ſteriles ſine conjuge noctes,
Advenit ſperata dies; quia gratior omni
Nox inſtat ſperata die. Roveria dulcis
Vincitur, & captas victori porrigit ulnas,
Datque manus. triſtes abeunt à limine curæ,
Et gemitus. Spes ſola manet, quæ tempora longa
Damnat & antevenit, blandaq; in imagine pendet,
Et nondum inſtantem queritur procedere noctem.
Quid dulcis non audet Amor! multabere Virgo
Parte tui: quantis damnata ac tradita flammis
Victima! quos animo ille ignes, quos pectore motus
Conci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Concipit! obtutu ſtupet, aſpectuque minatur,
Et ſæpe attonitos oculorum conjicit orbes
In prædam quam ſpondet Hymen. ſic Martius ales,
Sic Iovis invicti trepidantem è nube columbam
Armiger, aut nondum depulſam conſpicit agnam
Matre ſua, viſamque ardet, totaque remotam
Spe tenet, & necdum potitur. Pavet illa minantem
Et rubet, & tota perfundit virgine vultum,
Et magis irritat, quem nondum extinguit amorem.
Haud impune tamen. lux occidit. aurea cælo
Nox pariter victorque urget. poſcitque piari
Fervidus, annoſo percuſſus vulnere mentem,
Et crudum intendit gremio graſſator amorem.

PANEGYRICVS

in Chronicon Euſebianum, ſive Temporum Theſaurum,

à

JOSEPHO SCALIGERO

editum.

BEnaci proceres, quos virtus addidit aſtris,
Ejecere ſuis crudelia numina regnis,
Nec patiens res tanta ſui, ſi tempora recte
Ponimus, & longos ſæclorum evolvimus orbes,
Ex quo Romulides Hunnorum terror Alanus,
Veronamque ſuam pariter, terramque ſuorum
Fixit, & hoſtilem Venetos deduxit in urbem,
Exitio majore ſui; nihil arma, nec enſes,
Nec tantum trabeæ, nec longi inſignia regni,
Quam Fortuna poteſt. quæ de victoribus vna
Ludit, & ereptis melius veſtitur opimis.

Primus ab invictis toties cum certa tuliſſet
Hoſtibus, & fauſto congreſſus prœlia Marte
Cæſar in adverſam direxit pectora ſortem,
Et regnum, Fortuna, tuum, totamque parentum
Eripuit ſeriem poſcentibus omnia fatis.
Seu quia naturæ ſpatium tranſgreſſus, & ævo
Æmulus, anguſto ſubduxit pectora mundo;
Seu nati virtute ſui, qui ſæcula terris
Reddit, & antiquum reſtaurat gentibus ævum,
Antiqui vindexque ſui. Scit Graja vetuſtas,
Iupiter æterno poſtquam ſucceſſit Olympo,
Et terræ profugum Saturnus reddidit aurum,
Ex illo Libyas vicinaque Syrtibus arva,
Et ſi quis dubias Nili ſibi vindicat undas,
Nondum certus adhuc, aut qua manifeſtus arenas
Colligit, & raros excuſat fluctibus imbres;
Quæſiviſſe Deum: veteres quæſiſtis Athenæ,
Oraque ſubjecto leviter diſtracta Peloro,
Auſoniis exculta viris, quæ priſca remiſit
Nomina, cum Latiis latuit quæſitus in oris.
Quamvis fatidicæ toties cecinere Sibyllæ,
Et ſacro jacuit toties totieſque ſub antro
Egeriæ conjux: quamvis cum conſule Roma
Viveret, & certum trabeis inſcriberet annum.
Quamvis grata ſuis ventura nepotibus olim
Euſebii donaſſet opus, qui ſæcula cuncta
Conderet, & totum ſervaret gentibus orbem,
Quas diſtinguit humus, quas omnis dividit ætas,
Ignorata ſibi. Nam quanvis ſæpe vetuſtas
Expugnanda fuit, quanvis tot vulnera membris
Duxerit infelix, quoties Theſeïus heros
Pars non vna ſui, medio quærendus in agro,
Et rurſum jungendus erat, cum fraude novercæ
Occidit, impulſu volucrum diſtractus equorum,
Aut Amphioniis notiſſima fabula Thebis

Infel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Infelix juvenis, materni præda furoris;
Plus tamen eſt, quem non populi videre, nec vrbes,
Inveniſſe Deum, totque annum ſæcula retro
Reddere ſepoſitum, totoque arceſſere cœlo.
Stat Meroë, longis qua circumfunditur vndis,
Accuſata tibi, cœloque intenta Canopus,
Et fruſtra reſono gaviſæ Memnone Thebæ.
Stat Mithræ gens ſacra ſuo: queriturque, nec aris,
Nec tot cornipedum cæſis reperiſſe ſub extis,
Depoſitum, Sol magne, tuum. ſtat Græcia mater,
Temporaque Alpheus Piſæa vinctus oliva,
Victoreſque ſuos & præmia longa ſuorum
Confeſſus debere tibi, quos cæca vetuſtas
Abſtulerat tenebris, totoque exemerat ævo.
Quanvis vana ſuis indixit tempora faſtis,
Mendax ſæpe ſibi, quanvis annoſque dieſque
Iupiter Eleæ decepit pulvere pugnæ.
Quæ nox, ô Superi, cœcæve ignavia mentis,
Hactenus obſeſſos hominum caligine ſenſus
Involvit, totumque genus? tot ſæcla virorum
Illuſtreſque animas? cur nunquam Delphica rupes,
Aut volucres, Dodona, tuæ, Clariique vetuſtas
Numinis, Iſmeni vel qui bacchatur ad vndas,
Reſponſo juvere ſuo? Xanthique beatæ
Explorata fides, ſiccæque habitator arenæ
Et fruſtra genitor Pellæo creditus Ammon?
Cur non ambiguas miſerunt numina ſortes,
Tantaque tam longis jacuit depreſſa tenebris
Relligio? noſtro, Superi, cur redditis ævo
Quod mundus neſcivit adhuc? cur ſæcula cuncta
Iam tenebris damnata ſuis conceditis vni,
Quo nullus virtutis honos, quo tempora deſunt
Artibus, & ſolum faciunt nil ſcire beatum?
Seu te Triptolemi, ſeu te Gangetica vexit
Bellua, ſeu totum Cybele circumtulit orbem,

Seu quo Bellerophon ſapientes prodidit vndas
Nixus humo: Phœbuſque ſuas tibi flectere ſoli
Quas male ſuſcepit Phaëton conceſſit habenas,
Endymioneæ ſeu te præſenia Lunæ
Afflat, & occulto ſopitum condidit antro;
Hæremus taciti. virtutis maxima noſtræ
Laus anguſta tibi eſt. ſtupor eſt quo magna coluntur
Numina. Sic tædas cum myſtica jactat Eleuſis;
Hæret in ambiguo trepidæ pars maxima turbæ,
Cunctaque miratur. juvat ignorautia veri,
Et ſatis eſt horrere Deum: pietaſque pavore
Creſcit, & ignaris majeſtas mentibus hæret.
Aut ubi quæſitum toties totieſque repertum
Liniger inſtanti populo demonſtrat Oſirin,
Conditaque inſani deducunt orgia myſtæ;
Plebs credit quod neſcit adhuc: ſtupet inſcia turba,
Et pietas cœcos animis inſtillat honores.
Quæ tibi nam noſtræ perſolvant præmia Muſæ?
Quæ merces ſat magna tibi eſt? quæ carmina curis
Non indigna tuis? aliis diuturna petuntur
Nomina, venturos inter manſura nepotes,
Et longævus honos. quicquid tibi reddere poſſit,
A te tempus habet. tua mundus ſæcula currit,
A te principium venientis ducimus ævi;
Proles vera Deûm. Quicquid mortale tenemus
Eripuit natnra tibi. non munus Iacchi,
Non Veneris fregit natam ad cœleſtia mentem,
Submiſitque tibi pavidus ſua tela Cupido;
Indignus virtute tua, niſi Iupiter illic
Eſſet, & ignavis ceſſiſſent fulmina telis,
Quæ ceſſere tibi. non gens laſciva puellæ
Imbelli dubios flexerunt lumine ſenſus,
Et conſanguineæ certiſſima mortis imago
Somnus iners, vitæ pars ignaviſſima noſtræ.
Sic tibi nec torpor nec deſidioſa voluptas

Propo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Propoſitum ſuſpendit opus, nec defuit annis
Tarda ſuis, ſemperque ſibi mens inſtitit ipſa,
Dum longum ſucceſſit iter. qua cærula Tethys,
Qua nondum Oceanus diverſo nomine dictus,
Incipit infuſus medias diſtinguere terras,
Et rurſus geminis Alcidæ finibus exit,
Quos natura ſecat populos, aut dividit aër,
Aut fluviis diverſa ſuis interluit vnda,
Pectore cuncta tenes: linguæ diſcrimina mille,
Et totidem populorum artes, & nomina rerum.
Nec Phœbus veniens, nec cum ſe condit in vndis,
Conſpexit plus mente tua. non terminus illi eſt
Quæ bene diviſum Borean pars mittit & Auſtrum
Nec qui luminibus ſubtertrahit aëra noſtris
Invidus, & latum finitor dividit axem.
Quod centum populis, quod toti ſufficit orbi,
Laudis ſumma tuæ eſt. pereant diſcrimina rerum:
In te mundus erit. toties mirabimur vnum,
Quot Veſper populos, populos quot reſpicit Eos.
  Sic tua cum feſſas ſuperent præconia Muſas,
Accedit tacito furtiva calumnia morſu,
Et ſolus populo qui ſis quantuſque fatetur
Livor iners animi: dignos tibi ſolvit honores
Æmula gens, nomenque auget, quod tollere Phœbus
Neſcit, & attonitæ nequeunt augere Camœnæ.
Namque vbi ſupremo rerum ſtetit ordine virtus
Divitiis innixa ſuis, quam tangere neſcit,
Impetit infelix & detrahit omnia livor:
Sic ubi cedentem Iovis armiger ire per æthram
Deſerta molitur humo, primum agmine denſo
Infirmæ comitantur aves, dum nubila ſupra
Fertur, & adverſos eludit fulminis ictus.
Pars infra trepidat, pars ſeſe attollere fruſtra
Nititur infelix, pars æthere fertur ab alto,
Et ſolis miſeras explet clangoribus iras.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Invidia præeunte, animo majora capeſſis,
Nec major virtute tua es. quot deſpicis infra,
Tot ſimul ingenti teſteſque hoſteſque paraſti
Nomine, cui teſtis virtutis ſufficit hoſtis.
Nec tua quæ nullis clauſa eſt ſapientia metis,
Sed virtus generis generiſque invaditur ordo,
Stirpſque invicta Deûm. Sic Guillandina papyrus,
Iam toties convicta tibi, Burdonia monſtra
Eruit è tenebris: regnique everſor aviti
Hadria de tantis queritur ſupereſſe ruinis,
Quod miretur adhuc: & de tot millibus uni
Majorum titulos totamque incumbere gentem.
Haud aliter, Divis ſi fas componere Divos,
Veronamque tuam primo deducere cœlo,
Iupiter, Idæis cum primum miſſus ab oris,
Curetum chorea, verſoque ad pectora ferro,
Et centum cinctus Corybantibus, æthera ſummum
Scanderet, & primos libraret fulminis ignes;
Dictæo genitum Cretes finxere ſub antro,
Et civem fecere ſuum; finxitque ſepulchrum
Livor, & æternum tumulo fœdavit Olympum.
At neque Saturnus genitor, ſuprema Tonanti
Gloria: nec fortes animi laudeſque tuorum
Laudibus acceſſere tuis. nihil addidit illis
Quicquid demit humus, populique ignava libido.
Omnia tollantur ſæcli monumenta vetuſti,
Si quid Scaligeris aſſcribunt tempora Divis,
Et quicquid Fortuna dedit, reddatur inerti
Invidiæ: tantos proavorum tolle triumphos,
Et pulchræ pereant, virtutis præmia, lauri,
Regaleſque aquilæ, priſcæque inſignia gentis;
Tanto major eris, quanto plus incipis eſſe:
Et minimum eſt in laude tua laudata tuorum
Progenies, à te ſtirpem numeramus avorum,
Et quicquid fuit ante, tuum eſt. tu ſanguinis autor,

Et

Et finis virtutis eris. tecum occidet illa,
Et generis ſeries à te ducetur in omnes,
Quos olim Verona tulit. numquam inclyta virtus,
Autores proavos, & nomina longa ſuorum,
Miſcet laude ſua. Decii, forteſque Camilli,
Majores generis primoſque habuere parentes
Quos Natura dedit (melius ſic incipit ordo)
Et pariter proavos, pariter junxere nepotes
Nobilitate ſua. ſtet quolibet ordine virtus,
Incipiet debere ſibi quod quiſque parenti
Imputat, & nullis deducet nomina faſtis.
Ipſa ſui compos, titulis incumbere neſcit
Anxia. Sic Peleus minor eſt collatus Achilli,
Nec tantum genetrix, nec tantum Iupiter illi
Quantum Troja fuit. minor eſt Cythereïa mater
Quam pater Æneæ, medio ſurreptus ab igne,
Et Thuſco toties ſudantes ſanguine campi.
At vos magnanimi reges, regumque parentes,
Hunniadæ proceres: quos inter maximus armis
Cæſar, ovans animi, Phœbo caſtæque Minervæ
Aſſidet, & lati miratur limen olympi,
Quem circum ingentes litui, fractæque ſecures,
Et detracta ſuis dependent hoſtibus arma;
Hoc gaudete die, qui totum vindicat ævum.
Illuſtri merito. magno gaudete nepote,
Qui modo, non inter galeas enſeſque ſuorum,
In templis, Verona, tuis, vbi nubibus æqua
Mauſolea ſui teſtantur funera regni;
Sed domitis late populorum erroribus, ingens
In mundo ſuſpendit opus: cui nulla nocebunt,
Aut nocitura ſuas evertent tempora leges.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

IN OBITVM RUDOLPHI SNELLII,

Mathematici Profeſſoris Veteraquinatis Batavi: cum publica oratione à

GVILELMO CODDÆO,

linguæ ſacræ profeſſore, celebratus eſſet.

Fortunate ſenex, quem non inimica Minervæ
Impulit ambitio vanis incumbere curis,
Nec populi plauſus & inania murmura vulgi
Avertêre altam Muſarum à tramite mentem:
Quem tranquillus amor veri, dulciſque lubido
Virtuti inſcriptas ſophiæque evolvere chartas,
Detinuit, ſanctoque infecit pectus honeſto:
Iam tibi formoſi panduntur limina cœli
Aurataeque fores, quarum percuſſus amore
In terra peregrinus eras, ſemperque beato
Luſtrabas oculo majoris mœnia mundi.
Seu te Lugdunum tenuit, domus hoſpita Muſis,
Felix voce tua, ſemperque aſſueta doceri
Autores rerum numeros, Samiique renati
Argumentum ingens: ſeu, quæ tibi lumina vitæ
Indulſere olim Veteres, tua gaudia, Nymphæ,
Iſelides Nymphæ: quæ leni murmure quondam
Naſcentem, & caſtis primæ excepere lacertis.
Nunc quoque quæ rapti circundant corpus alumni,
Intentæ ſemper choreis, tumulumque volenti
Attollunt, patrioque involvunt ceſpite civem.
Hic quoties doctæ donarent ocia Divæ,

Et

Et conſueta ſuas differrent munera curas,
Excludens populi pariter ſoliſque calores,
Ingenti cinctus ramorum atque obſitus vmbra,
Vrbano procul à ſtrepitu ſublimia cœli
Tecta pererrabas, perque aurea ſidera jam tum
Diffuſus, pulchros habitabas ætheris ignes.
Qui tibi nunc, divine ſenex, circum undique terris
Erepto, occurrunt pariter, circumque voluti
Concentus edunt varios, æternaque fundunt
Murmura, ſed ſenſus non admittentia noſtros.
Hic quoque, ne magno tellus concedat olympo,
Aut ingrata tuas Lugdunum atque impia laudes
Triſtibus involvat tenebris, cogatque ſileri;
Ille tuæ conſors patriæ gentiſque Batavæ,
Numinis interpres magni, cœlique ſacerdos
Haud minus illuſtres ſolvit Coddæus honores.

EPICEDIVM
cercopitheci defuncti, ad
PETRUM SCRIVERIUM.

ILicet occidimus, nec erant tua munera tanti
Vt nullos poſſem, Scriveri, ducere ſomnos,
Vt nox tarda mihi, nocte ipſa tardior iret
Importuna dies. tenebras damnamus inertes,
Et tenebræ fiunt inviſæ tempora lucis.
Sol quoque jam nobis pariter, ſuaviſſime, tecum
Occidit, & tecum fugerunt ſidera noctem.
Tu domini feſtiva quies, tu ſola voluptas,
Tu poſt compoſitas & portus & ocia curas,
Tu blandum ſolamen eras: tu veſpere ſero,
Tu cum lux aderat, primoque rubebat Eoo
Mox ventura dies, tu cum nox lumina cœlo
Spargeret, & terris ignavam induceret umbram,
Hærebas humeris, gremioque, aut pectore noſtro.
Quin & adulanti ſimilis, ſimiliſque roganti,

Languentes ſi forte thorus ſuſceperat artus,
Aſtabas, pariterque optabas ducere ſomnos.
Hac cælebs mercede fui, nec tædia lecti
Senſimus, & nullas vagitu impendimus horas.
Sed tecum, Muſiſque ſimul, diviſimus omne
Quod ſomno licuit poſitis ſubducere curis.
Mox ubi formoſus tenebras excuſſerat æther,
Ignarus torpere diu, feſſuſque quietis,
Ad faciles iterum gaudebas vertere luſus:
Ædibus in mediis domino ſpectante lacunar
Scandere, vel tecto pariter vincliſque ſolutus,
Arboreos ſaltu ſolitus tranſmittere ramos.
Aut corpus tenui libratum fune per auras
Mittere: non aliter, quam cum molimine docto
Subtilis tremulam deduxit aranea telam
Iam proprium decurrit opus, conſpectaque longe
Decipit, & filo dubium eſt tollatur an Euro.
Aut cum jam Batavæ portum tetigere carinæ,
Neptuni de gente aliquis, pernicius aura
Fertur in antennas, rurſuſque relabitur iiſdem
Funibus, & vento citius conſiſtit in imo.
Sæpius incertos edebas corpore motus.
Quales ſylvigenæ Nyſeïa numina Fauni,
Aut exultantes Satyri, cum corniger Evan
Signa movet, fervetque æris tinnitibus æther,
Et Naxos ſaltata Deo; componere geſtus,
Et formare modos, agitataque flectere membra
Gnarus, & ingratas ſaliendo avertere curas.
Talibus illecebris ſi quæ eſt aut gratia doctis
Vatibus, & magnos Phœbeïa munera poſſunt
Exorare Deos, non tu, dulciſſime rerum,
Tænaron, & mœſti ſpectabis limen Averni:
Nec te Cerberei, metuentem incognita quæque,
Terrebunt ſonitus, ternæque in gutture linguæ.
Non patrem Pelopis, quanquam tibi menſa placebat,
Aſpi-

Aſpicies epulas ſemper ſperare paratas.
Non prolem Danai, tantum pietatis amator,
Aſpicies fundo perituræ incumbere lymphæ.
Non Ixionios, imitari cætera doctus,
Spectator repetes, totieſque imitaberis orbes:
Sed mites animas, devotaque pectora quondam
Artibus ingenuis, noſtriſque ante omnia Muſis,
Inter odoratos nemorum gelidoſque receſſus,
Et liquidos fonteis, æternaque munera veris,
Et ſemper virides Muſarum præmia lauros,
Luſibus, & vario rerum oblectamine falles.
Cedet Aretullæ volucris, Stellæque columba,
Quæque ſenis Teii tenues mandata per auras
Detulit, & blandos domini tranſvexit amores.
Diſcedet toto feſtivus gramine paſſer,
Cui quondam teneros morienti Lesbia vultus,
Luctibus, & pulchros lachrymis corrupit ocellos.
Cedet & Eois Naſoni miſſus ab oris
Pſittacus, humanas edoctus reddere voces,
Quanquam illi exequias volucrum longiſſimus ordo
Iverit, & ruptis nudarit pectora pennis.
Et quem funeſto vixiſſe Papinius ore,
Pro Meliore ſuo gemuit, leniſque Secundus
Inſeruit nullo perituris tempore chartis.
Cedet & ipſe tuus, quanquam facundior illis,
Tot lingua mentitur aves, tot murmura voce
Scriveri mutare ſolet, quot maximus aër
Educat, aut totis errant animalia terris.
Haud aliter quondam ſinuoſi in gurgite ponti
Carpathius juvenis, rerum cui nota poteſtas,
Et cœcas reſerare Deûm per carmina ſortes,
Fit fera, fit volucris, variamque abjectus in alvum,
Sibilat, aut verſo mugitus intonat ore,
Aut reſponſuras latratu percutit auras.
Vix quoque ſe, quamvis meliori ſede recepta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Huic ferret ſe Mæra parem: quanquam aurea notis
Addita ſideribus, priſcum fateatur amorem:
Et quæ fallentem reditus agnovit Vlyſſem.
Iſſaque diſcedet, victuris luſibus Iſſa
Vatis nota tui, quanquam omnibus Iſſa puellis
Blandior, & cunctis laſcivior vna columbis:
Et nunquam gutta poſitos decepit amictus
Stertentis domini, colloque incumbere juſſa,
Perſenſit gemitus, & notæ gaudia mentis.
Nec queror extinctum (quis enim crudelia Divûm
Vertere jura poteſt, immotaque fata ſororum?)
Si nati morimur, ſi nec Sarpedona quondam
Iupiter eripuit, tenebraſque inflexit Averni,
Totque Deûm nati Phrygio cecidere ſub hoſte.
Ereptum, Fortuna, queror. Sol pronus in vndas
Heſperias, toto gaudentem corpore vidit,
Intentumque epulis poſitis, epuliſque remotis
Et vix ſubducta choreas deducere menſa:
Idem mane novo defunctum lumine corpus
Vidit, & indigno lachrimas in funere noſtras.
Tum quoq;, cum Clotho vacuam Lacheſiſq; teneret
Iam fato ceſſante colum, ſævaſque negaret
Hæc atque illa manus, media plus morte natantes
Attollens oculos: dominum ſuſpexit amice,
Biſque vale dixit. blandoque bis edidit ore
Murmura, quæ ſurdas poterant perrumpere cautes,
Et leti dominas, & fas inamabilis orci.
Tu quoque (ſic viſum Superis, rigidoque ſuperbæ
Stant adamante fores, nec votum janitor vllum
Crudus & indomitus Stygias tranſmittit ad undas,)
Extremum extremumque vale, telluſque jacenti
Sit lenis capiti, nec dura coërceat vmbram.
Quod supereſt, ſi non Pario tua marmore ſurgit,
Et domini ſublimis humus teſtatur amorem;
In titulo vives: chartaque extabit in illa

Marmora quod vincat. nec te tua neſciet ætas,
Nec te poſteritas ævo vixiſſe priorum.

PROMPEMTICON
in abitum
FREDERICI SANDII,
cum maximam in patria dignitatem conſecutus, tituli cauſa Galliam peteret.

SI quid adhuc, Divi, devicto reſtat ab hoſte
Quod ponto liceat, nec jam conſumpſimus omne
Pro patria votum, cum publica ſacra dieſque
Fecimus, & victos pelagus donavit Iberos
Matribus, & timidis pro libertate puellis;
Hoc uno probet eſſe aliquem, cui cura Batavi
Nominis eſt, noſtras qui ſuſtinet æquore terras.
Plus uno ratis iſta vehit, tot vota locorum
Et totam dubiis patriam commiſimus auris,
Et quicquid præſtare Deis vel publicus horror,
Vel ſuadet communis amor. Sic Theſea quondam
Littore cedentem trepidæ vidiſtis Athenæ:
Nec tantum nato genitor timuiſſe putatur,
Quam regi gens tota ſuo. Te non minor annis
Expectat genitor, nec tam felicior illo
Quam nati par laude ſui: non vtilis armis,
Sed pacis tranquillus honor; cui neſcia rerum
Tempora ſecuras iverunt prima per artes:
Donec compoſitos evexit purpura mores,
Et patriam præferre ſibi juſſaſque ſecures
Tandem Socraticis decuit præponere chartis.

Sat

Sat felix, nimiumque, ſuo ſi languida fato
Lumina, ſupremo nati ſaturaſſet amore,
Et reducis lætos laſſaſſet in oſcula vultus,
Iam finem viſura ſuum ſuprema ſenectus.
Soſpite ſed quicquid patria rebuſque luendum eſt,
Sit totum Fortuna tuum: dum major ab illo
Surgat, & antiquis patriæ ſuccedat habenis.
Hoc totum, Neptune, tuis ſperemus ab vndis,
Et fas ſit debere tibi: ſi nulla petuntur
Vellera, nec primis venti pelagique periclis
Auratam mercamur ovem: ſed debita laudi
Præmia, ſed magnæ ſeros virtutis honores,
Solamenque Aſtræa tuum: quæ ſæcula noſtra
Et deſolatas cum linqueret æthere terras,
Munera rara quidem, ſed non indebita, genti
Conceſſit ſupereſſe ſuæ, quæ faſcibus æquis
Et ſic manſuras frænaret legibus urbes,
Invidiam factura Deis: cum pilea ſanctæ
Libertatis apex, & magni cenſor honoris
Annulus, & ſacrum digitis inducitur aurum.
Sed pars magna ſuo titulum præmittit honori,
Et nudum modo nomen amat. te prima ſedentem
Inter honoratos accepit curia patres:
Principiumque tibi quo vix majora ſuperſunt,
Voti finis erat. præceſſit purpura nomen
Quod legum conſultus habet. cum prima petuntur,
Iam ſuprema tenes. Felix Aurelia tanti
Muneris, expenſi felix: quem ſolvis honorem,
Accipis: & tanto plus eſt petiiſſe quod optat,
Quam donaſſe tibi. Per dura pericula ponti,
Per dubios fluctus, & cœcas cautibus undas,
Invenies, quod quiſque dabit. Quid patria noſtra,
Aut tantum Batavi de te meruere Penates,
Quos fugis? An tanti eſt alienas viſere terras,
Ne pontum metuas? Itachive exempla ſecuto

Pars

Pars laudum eſt errare tibi, magnuſque locorum
Spectator venies? Abeas quocunque libebit,
Vel Libycos æſtus, fineſque binominis vltra
Fluminis, aut nondum poſiti diſcrimina mundi:
Vel quicquid vagus Alcides, vel corniger Evan,
Præmiſit Superis longarum errore viarum;
Iam nuſquam privatus eris: fortuna ſequetur
Lugentis patriæ. feriant hanc æquora puppim,
Nutabunt patriæ diverſo littore ſedes;
Naufragiumque hoc gentis erit. dolor ibit in omnes,
Et populi ſors tota tua eſt. Non fluctibus vnquam,
Nec tantum Boreæ licuit peccare Notoque,
Nil tantum commiſit hyems. non mœſta Calypſo
Cum feſtinantem lachrymans dimiſit Vlyſſem,
Vittaque jactatum gelida ſuſcepit in alga.
Nec cum Cecropidæ mediis erraſtis in vndis,
In pontoque vrbs tota fuit: populuſque relictis
Mœnibus, invictas pelago commiſit Athenas.
Nec tantum Phrygios cum terruit vnda penates,
Mox Divos, Romane, tuos. Pendemus ab aura,
Et levibus ventis, facieque vndæque polique,
Quos patriæ conjunxit amor. Sin proſpera curſus
Servent fata ſuos, & noſtro littore ſiſtat
Quæ puppim tulit aura tuam; gaudebimus vna,
Et communis erit quæ te fortuna reducet.
Accurrent trepidæ, populi pars vna, ſorores,
Et vicina domus, cognataque turba tuorum,
Et ſi quæ Superis ſuſpendit forſitan olim
Pro te vota Deis, nondum confeſſa calores
Virgo caſta ſuos: aut ſi quæ neſcia vultus
Accurret viſura tuos, immiſtaque turbæ
Hauriet occulto victuras pectore curas,
Indulgens miſeranda ſibi. Sic Pelea quondam
Viderat in cœtu juvenum pulcherrima Tethys
Finibus Æmathiis redeuntem, aut Cecropis vrbe,
Cum primas aleret curas, dubiiſque caleret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ignibus, & magnum ſic jam ſponderet Achillem,
Atque aliqua è matrum turba, cui filia longas
Vnica ſervat opes, & limine ſurgit avito,
Fallaces metitur aves, atque omnia de te
Sperat, & incertis generum fore credit ab aſtris,
Aut levibus parrhis, aut oſcinis omine corvi.
Quicquid erit, ſeu morbus amor, ſeu cœca voluptas,
Seu Superûm lex eſt & inevitabile fatum,
Ne tibi ſit tanti ſteriles deducere lunas,
Et male fœcundos conſumere molliter annos;
Vt nunquam pater eſſe velis. Satis approbat unus
Connubium, qui te talem prius edidit orbi;
Et nati virtute ſui magis inclyta mater,
Quam ſi caſta ſuos duxiſſet conjugis expers,
Sed ſine prole, dies. aliquid debetur amori;
Et vitæ pars una perit. ſomnuſque jocique
Et mentis dominæ rapiunt ſine fraude puellæ,
Quod permittit opus. quiſquis ſibi vindicat illud
Quod ſupereſt, ſat laudis habet. cum cuncta dediſti
Poſcenti patriæ, patriæ quoque poſcitur hæres,
Qui poſt fata tuis quod deſit ſuppleat annis.

DANIE-

DANIELIS HEINSII SYLVARUM Liber II.

JANI RUTGERSII, *Regij in Suecia Conſiliarij è Batavia abeuntis Propempticon.*

AEolij fratres, quorum ſub numine ſurgit
Pontus, & illæſæ decurrunt æquora puppes,
Hoc terris ſervate caput: cui junctus Apollo
Æternuſque Helicon dubiis committitur vndis,
Et patriæ ſperata ſalus. ſi tota precatur
Imploratque ſuos regina Batavia Divos,
Et gens indigno Muſarum oppreſſa dolore.
Nam neque ſic mœſto juvenis divulſus Oreſta
Phocæus, neque ſic mediis deprenſus in umbris
Ægides ſtupuit, cum victor ſidera retro
Alcides peteret, clauſoque evaderet orbe,
Cuſtodem referens tenebrarum è nocte ſilenti,
Centum ora, & centum torpentem colla catenis;
Vt nunc immenſo curarum involvimur æſtu
Phœbi ſacra cohors. Nec tu tamen ardua cœpta,
Invictoſque animos pone, & ſublimia vota, (tanta
Spes & amor patriæ, juvenis: quanquam æquora
Vndarumque obſtent montes, tam ſæva minentur
Frigora: quanquam Arctos vicino ſidere, quanquam
Immitis Boreas ſperatum diligit axem,
Et glaciem & fractos molitur ab aëre nymbos:
Nec te detineant lachrimæ vultuſque paterni,

Et fraternus amor, circumfuſæque ſorores,
Non alii, quos celſus honos è ſtirpe tuorum
Extulit, & noſtris affixit gloria rebus,
Illuſtres animas, claræque ab origine gentis:
Quorum humeris quanta eſt populi fortuna recum-
Nec te detineat patriæ præſentis imago, (bit.
Non pulchri aſpectus nemorum quos poſſidet Haga,
Aſtrææ Veneriſque Deæ gratiſſima ſedes,
Haga voluptatum genitrix, genitrixque laborum;
Totque vrbes hinc inde aliæ: vel quæ tibi lucem
Prima dedit, primumque indulſit munera vitæ.
Quanquam illam rex indomito cum flumine Moſa,
Et Linga, & genitor Vahalis circumerrat aquarum,
Quanquam olli curas omnis, triſteiſque dolores
Diluit, & grato ſolatur munere Rhenus.
Hoc quodcunque vides, qua cœli ingentia tecta
Incubuere ſolo, terramque amplexus inertem
Tot circum flammis diffunditur aureus æther,
Quaque impacatum terras prælabitur æquor;
Virtutis ſpacium eſt. hanc metam illuſtribus auſis
Indulſit Natura parens, tum cum æthere ab alto
Ignea victuræ libavit ſemina mentis,
Æternoſque animos imbelli in corpore clauſit.
Si non Æoliden Ithace, non Theſſala tempe
Ardentem Æaciden, non ſeptem terga minantem
Taurorum Telamoniaden, Salaminia rupes,
Non antiqua Pylos felicem nectare linguæ
Neſtora, non dominæ Atridas tenuere Mycenæ;
Tu quoque, ſit quamvis formoſa Batavia mater,
Fœderibus regum tantis, tot læta trophæis;
Ingentem diffunde animum, qua ſidera currunt,
Et patriam metire immenſæ finibus æthræ.
Tempus erit, cum plenus opum, cum plenus hono-
Irritaq; expertus magnarum præmia rerum, (rum,
Pollutas nullo laudabis crimine Muſas,

Occultoſque lares: vbi vitæ tuta petentem
Ocia, tranquillo luſtrabit lumine virtus.
Seu procul ignavo gaudentem excedere vulgo,
Porticus accipiet, torvo dilecta Catoni,
Audacis nutrix animi, conſtanſque laborum:
Seu qui Socratico diffundit nomine verum,
Ignotus populo ſapiens, vicinus Hymetto,
Iliſſum trepidantem inter fonteiſque ſalubreis,
Feſſum aulæ, dulcis ſophiæ circumdabit vmbra.
Sæpe etiam regum curas, & triſtia bella,
Et quicquid gelido Oceanus ſub gurgite volvit
Monſtrorum, effuſas informi corpore phocas,
Et nil balænis debentem immanibus orcam,
Non infacundo mecum perfuſus Iaccho,
Lugduno in media referes: vbi mollia curis
Tempora compoſitis Muſiſque indulget Apollo,
Interea cauſas alii, & civilia jura
Defendent, patriaſque evolvent litibus vrbes,
Quæ quondam tibi cura fuit. Nunc maxima rerum
Majeſtas, & ſceptra vocant: nunc purpura nobis
Invidet, & regum non expugnanda voluntas.
I, fatis accede tuis, rebuſque futuris;
Et lætos admitte Deos: Sueonumque potentum
Regnatorem, animo excelſum, fretumque juventa,
Et laudum ſpe, diſce ſequi: ſive horrida caſtra,
Riphæas inter glacies ſeptemque Triones,
Figit, & armatum circumdat frigore Moſchum:
Seu ſpumantis equi ſudore vndantia colla
Aſſueſcit tonitru murorum, & fulmine Martis:
Seu pacis molitur opus; Gottoque volente
Arctoas late componit legibus vrbes.
His rerum auſpiciis, tantoque inſignis honore;
Pone ſequens magni exempla & veſtigia Diickij,
Nunquam olim patriam aſpicies inglorius Hagam.

IACO

IACOBI AUGUSTI THVANI

Apotheoſis.

FElix, quem longæ meditantem incommoda vitæ,
Reghorumque vices, nec ſtantem legibus aulam,
Tollit ſumma dies : fatoque occurrit, & vltro
Eluctantem animam, poſcenti indulget Olympo.
Non illum ingrato perfudit flumine Lethe,
Nec queſtus humiles indignoſque ore cientem
Nequicquam, ardenti Phlegethon circumſtitit amne:
Sed totam pertæſus humum, ſortiſque malignæ
In ſeſe alternis redeuntem fluctibus æſtum,
Intactas ſceleri ſedes, ſemotaque regna
Fortunæ imperiis, nullique obnoxia fato,
Optat, & incertis immunem caſibus æthram.
Illic attonitam majori numine mentem
Paſcit, & errantis perluſtrat mœnia mundi,
Sceptrorumque obitus cœlo miratur, & ortus.
Haud ſecus Anchiſa genitus, poſt triſtia bella,
Et ponti furiis Martiſque agitatus Vlyſſes,
Invaſere Deos: terraſque homineſque peroſi,
Exceſſere humiles anguſti corporis artus.
Te quoque non aliter, regni fidiſſime cuſtos,
Auguſte, infelix patriæ labentis imago,
Defixa ante oculos conceptaque ſenſibus olim,
Humanis docuit paulatim excedere rebus.
Te quoque, lex eadem fati, cœleſtibus vmbris
Addidit, heroaſque inter, vix cognita terris
Veri immota fides, nullis concuſſa locavit
Aularum illecebris. Quo poſtquam regia virgo,
Quæ nunc ſidereos inter Dea volvitur axes,

Iuſti-

Iuſtitia aſpexit venientem; occurrit, & omnem
Splendore inſolito aſſurgens implevit Olympum.
Adventum ſenſere Deæ Titanius orbis,
Et læti ſtellarum ignes, & pallida Phœbe:
Senſit, & intranti ſonitum dedit arduus æther.
Olli Relligio, caſta ac ſine ſordibus vllis,
Hærebat lateri, primos amplexa parentes,
Et tantum innocuo pietatis nomine dicta;
Rixarum immodicos jure averſata nepotes.
Relligio, quæ bellorum nunc maxima cauſa,
Pacis & obſequii quondam mitiſſima nutrix,
Priſcas ipſa ſuo jungebat fœdere gentes:
Nec dum in mille vias nequicquam ſciſſa modoſque.
Necdum picta comas, multoſque imbuta colores:
Qualis cum varium cœlo caput extulit Iris,
Et multa oppoſitas percurrit imagine nubeis:
Sed candore oculos intacto, lumine mentes
Perfundens, tantumque genas, formoſaque membra,
Carbaſeoſque ſinus, tenui perfuſa cruore:
Quem quondam magni ſoboles æterna Tonantis,
Terram inter cœlumque ſuum, trabe fudit ab alta
Saucius, & totum moriens diviſit in orbem.
Tali Diva habitu, taleſque imbuta colores,
Ambroſium late adveniens, difflavit odorem,
Oſculaque incumbens dulci libavit alumno.
Namque olli, medias Syrtes mediaſque Charybdes
Inter, & extremum ſcopulos quos continet æquor,
Antiquum ſcrutatus iter (ceu nata parenti,
Nullos paſſa thoros, nullos experta calores)
Hæſerat. illam olim prima jam ſtante juventa,
Illam autem, vita jam diſcedente, vocarat.
Nequicquam; furias inter, bellique procellas,
Et captas hominum diverſa indagine mentes.
Quippe ubi vis cordi atque nefas; diſcordia tetra,
Et præda invalidas laſſare & cædibus vrbes,

Pax

Pax viſa eſt pietaſque viris, quos triſtis Enyo,
Et ſtimulis diverſa ſuis afflauit Alecto.
Stabant & caſtæ, juveni ſua gaudia, Muſæ
Non quas Pindus alit, nec quas Parnaſſia rupes;
(Quanquam illas quoq;, ſupremo de vertice Pimpla
Excivit quondam, cum leni carmine, mille
Ignotas volucrum pugnas, legeſque tuendi
Aucupia atque artes, venturo tradidit ævo)
Sed quales Solyme, magnarum conſcia rerum,
Ante omnes, gremioque ſuo produxit Idume.
Nec procul aſtabat, miſeris incognita terris,
Libertas, comitata virum, dum vita manebat:
Libertas, qua non Superis acceptior oris:
Veri priſca parens. quam recto examine & æquo,
Nullæ regum iræ, nullæ avertere ſecures.
Illam cœlicolûm genitor, ne vita lateret
Anteacta in tenebris, & poſteritatis amore
Rerum incorruptam dederat morumque miniſtram:
Ni veſanus amor ſcelerum, turpiſque lubido,
Famam fruſtra hominum lucemque exoſa lubido,
Terra avertiſſent pavidam, cœloque dediſſent.
Atque ea, dum clara rutilantem in luce tuetur
Ingentem immenſumque virum, cui Gallia tota,
Tota ſuum debet Celtarum gloria nomen;
Bis medium complexa, bis hærens voltibus illius,
Olli caniciem velavit protinus omnem:
Omnem caniciem, ſertiſque & olentibus herbis
Velavit, lauruque caput præcinxit honeſtum:
Caniciem, plenam quam majeſtate verenda,
Rex olim, regiſque ſui pars magna Senatus,
Horruit, & nullo fregerunt ſæcula luxu:
Non contactus opum, nec honorum inſana lubido.
Quæ ſimul ac cœco deſcendit pectore, nunquam
Infandam cœco dimittit pectore peſtem;
Virtuti propior, vanaque ab imagine ducens

Falla-

Fallaces animi ſpes, & ſublima vota:
Incumbenſque ſibi. quantoque immenſus & amens
Altius aſſurgit, tanto magis æſtuat ardor.
Haud ſecus ac, toto cum ſpargit nubila cœlo,
Atque imis fumum eructat fornacibus Ætna;
Ipſa ſuos paſcit, & iiſdem paſcitur, ignes.
Ergo olli, ſubito pulſa ceu nube, Iuventus
Adſtitit, & priſcæ rediere in pectora vires. (bum
Quaqua autem, primo mergentem ex æquore Phœ-
Et fugientem inter, vaſtus protenditur æther,
Omnia diducti luſtrat miracula cœli.
Heic videt errores hominum, cauſaſque latentes
Aut terræ ancipites, & prima exordia rerum:
Signaque tendenti contra obluctantia mundo;
Defixas ſpecies flammarum alteque repoſtas,
Palantes alias paſſim, paſſimque vagantes.
Vnde ſuos Titan, vnde Heſperus exerat igneis;
Bina miniſteria & binos ſortitus honores:
Seu Phœben, ſeu Matutam deducit, Eôo
Surgentem è thalamo, picturatoque cubili;
Matutæ Veneriſque ſimul certiſſima cura.
Vnde Helice formoſa, oculiſque ardentibus apta:
Tantis apta oculis, tot pulchris orbibus ardens,
Quanquam illi nomen veteres fecere Minori:
Et qui conſequitur ſuccinctus plauſtra Boötes.
Nerea cur metuant Arcti, pontumque fatiget
Orion iratus, & altum miſceat æquor.
Eſt locus, Heſperiæ domitos vbi conſpicit Indos
Ignipotens Titan, crinali fulgidus auro:
Illic res hominum, totaſque ab origine gentes,
Fataque fortunaſque virûm, & Mavortia bella,
Cælarat Natura parens: regeiſque duceiſque
Francigenas, tantique, vt erant, primordia regni.
Illic, è media terrarum clade, videres
Audacem Pharamondi animum, poſt triſtia Romæ
Exci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Excidia, & ſparſos Italorum in finibus hoſtes,
Senſim emergentem cœlo, fortemque Capetum,
Vnde omnis ſeries, & longus ducitur ordo.
Nec non & rabiem, noſtrique incendia belli,
Cælarat referens: quæque ipſe ex ordine, longo
Includens operi, ſeros perduxit in annos:
Ingenteiſque viros, & cœlo autore creatos,
Seu Phœbi, ſeu belligeri Mavortis alumnos.
Iamque ſub imperium Franciſci, jamque Leonis,
Auro intertexto triplici gemmiſque tiaram
Gaudentes toto ſpectares agmine Muſas.
Gaudebant Divæ, attollebant lumina Divæ.
Ipſe ultro Lyciam maternaque littora Deli,
Bis mille hinc atque inde viris comitatus Apollo,
Cœlo poſteritas quos admirata reponit,
Celtarum ad fines dilectaque vorterat arma.
Quas fera vis Mavortis, & ira immitis Enyus,
Confeſtim toto pavitantes orbe fugabant.
Namque aliis fœde certatum eſt ſanguine & armis,
Et ſua colliſit geminos diſcordia reges.
Ergo aſpectari cruor undique, & undique ferrum,
Tendenteſque manus cœlo, Pacemque vocantes,
Triſti cum fremitu, cumque horriſono ululatu.
Ante omnes, belli intrepidum, variumq; per hoſtem,
Exultantem animis, & verſicoloribus armis
Ius regni media ex acie ſceptrumque petentem,
Erricum aſpiceres; invictum in ſæcula nomen
Ingentem Erricum: quem ferro atq; ære coruſcum,
Ferro atque ære humeros ſolido pectuſque rigentem:
Portabat ſonipes: indignatuſque teneri
Inſtantum clamorem inter gemituſque cadentum,
Ignem oculis, acrem volvebat naribus ignem.
Ille autem, quantus Boreas, vel turbidus Auſter,
Inviſam agricolis nubem pecorique minantem
In mare provolvit; galea conſpectus, & altam
Canden-

Candentis quatiens criſtæ de vertice ſylvam;
Iuratum totis frangebat viribus agmen.
Atque illum averſis fugiens jam Manius armis,
Ibriacos juxta celebri nunc nomine campos,
Adverſam trepidus ſortem incuſabat, & vrbem
Immenſam Paridis luctu incendebat inani.
Ipſa videbatur læto Pax candida vultu,
Delabi cœlo, atque infractam viſere gentem.
Contra autem, infeſto diſcedens agmine Mavors,
Extremas Boreæ ſedes, deſertaque regna,
Ibat, & incultas Edonum accendere gentes.
Quem demens Furor, & Rabies, Pallorq;, Metuſque,
Et Vis, & miſeranda Fames cingebat, & Ira,
Informes viſu facies, & triſtis Egeſtas.
Iamque inſtauratis ſurgebant oppida muris,
Templaque Divorum fœdis proſtrata ruinis.
Iam virides lucos, & opacum frigus ab vmbra
Quærebat, pecorique ſuo ſolatia paſtor
Monſtrabat fontes, & amictos frondibus amnes.
Iam deſerta ſui vertebant rura coloni,
Pacatiſque hilares ridebant civibus vrbes:
Iam Pietas, jam cana Fides, jam læta redibat
Erigone, terris non aſpernata videri.
Ipſa inter primos magni mens alta Thuani,
Iura dabat, rectoque animos fingebat & æquo,
Iam veri dociles, ſacraſque admittere leges,
Quin etiam, certo dilectas fœdere Muſas
Iungebat. quarum æterno devinctus amore,
Tot rerum ingratas ponebat pectore curas.
Aut priſcas cenſebat opes, & commoda regni:
Aut Martis ſoboli, poſitis dum vivitur armis,
Regibus ignotum, Muſarum inſpirat amorem:
Aut regni dominas affando detinet aures,
Impellitque animos, aut triſtes temperat iras.
Sæpe etiam, vitæ comitem, rebuſque gerendis

Aſſiduum livorem, & agentem nubila ſortem,
Quos magnæ pater omnipotens concurrere laudi
Iuſſit, & excelſas vrgendo attollere mentes,
Suſtinet. haud aliter, quam cum procul vrbe viato
Ante diu cœli faciem rimatus, & auras,
Excipit excuſſa ſtagnantem grandine nymbum,
Aut raucum tonitru, aut præmiſſi fulminis alas.
Nec minus & geſtis proavorum inſtabat, & acri
Vrgebat ſtudio, venturam in ſæcula molem;
Immortalem animi molem: quam nulla vetuſtas,
Nec ferri vis vlla, nec vlla injuria fati
Evertet. non ſi toto molimine livor,
Et conjuratæ concurrant vndique linguæ:
Nec ſi rupta iterum in Superos tellure reſurgens,
Centum audax manibus frondoſum impellat Olym
Impius Ægeon, formidatuſque Typhœus (pu
Fruſtra cœlicolis, & vento armatus & igni.
Illic, &, quæcunque ævo memoranda priori,
Et præſens defuncta malis ingentibus ætas
Pertulit, aut fati domitrix dedit ignea virtus
Laudum argumenta magnarum, & grandia cœpta;
Quantum aulæ ſupereſt, quantum majoribus orſis
Mandabat chartis: ſeque intexebat & illis:
Altæ mentis opus, tot regum extendere fando
Nomen, & inſtantem populis avertere noctem.
Sæpe etiam culti libabat gaudia ruris,
Villabonique hortos (ea menti prima voluptas,
Cum Sol juſticium terris indiceret, & cum
Iam dulces Procne Zephyros comitata rediret)
Muſcoſi caput ad fontis projectus, & vndæ
Ingenuo fugientem invitans murmure, ſomnum;
Roſtrorum oblitus trabeæque, oblitus honorum.
Nec pudor, aut peponi malo ſubducere rorem,
Aut matutini frigus defendere cœli,
Aut vitem manibus duxiſſe, aut arboris altæ,

N

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nec jam ultro ferrum metuentis, ſtringere ramum.
Sic Divi vixere olim: ſic dulcia rura,
Ipſos jam pertæſa homines, Aſtræa colebat.
Heic Sophie jucunda, domos diffuſa per omnes,
Conſtrictos vario ſolvebat nectare ſenſus.
Seu Stagira ſuas argute effunderet artes:
Sive animorum ortus, & diæ ſemina mentis,
Tum quæ corporibus maneat natura relictis,
Magnus Ariſtocles ſublimi panderet ore:
Altave Zenonis paulatim aſſumeret arma;
Aſſultus contra varios ſortiſque ruinas
Obducens animo virtutem: ut pectore lato
Impiger Alcides, villoſi terga leonis;
Seu regem Heſperium, ſeu diram invaderet hydram,
Aut ſacros alio donabat carmine vates:
Aut majus tendebat iter, ſublimis & ardens;
Alte puniceo ſubvinctus crura cothurno.
Nonnunquam & chara lenibat conjuge curas;
Vnanimo dulci quæ reſpondebat amore:
Quanto non Itacho conjux, non caſta marito
Alceſtis, non quæ medios comitata per igneis
Te infelix Capaneu, & rupti fœdera lecti,
Squallenteis adiit nigra fuligine maneis.
Mox etiam, ſuprema illam cum fata tuliſſent,
Victus amore, ſequi dilectam perſtitit vmbram:
Non ſecus, ac vates, Rhodope quem vidit & Hæmus,
Eurydice, miſera Eurydice, bis denique capta,
Solantem curas, & ſaxa inculta trahentem;
Inviſam ducens nullo oblectamine lucem:
Non Cereris, non qui Lethæo è gurgite terras
Irrigat, & feſſos cura interlabitur artus.
Nunc demum, luce ætheria defunctus & aura,
Heu conclamatam toties, complexus amantem,
Cœli inter choreas, & gaudia pura vagatur.
Parte alia, quantum non lætus ſanguine Maurus,

Non Scytha, non diri facinus videre Geloni,
Quantum non truculentæ olim Buſiridis aræ,
Admiſere nefas, nec ſi cui jure latenteis
Avertit radios merſus caligine Titan;
Rex tantis fatorum vndis furiiſque ſuperſtes,
Armorum pater, & pacis certiſſimus autor,
Cæditur, & feſtæ moriens ſubducitur aulæ.
Quem non mille acies, non Belga invictus & acer
Non regno tum mixtus Iber, non Teutones alæ,
Non tota Oenotria incumbens, non oppida tanta
Terruerant obſeſſa armis, non ſulphuris atri
Ignea, quæ rupem, quæ totam everteret vrbem,
Tempeſtas; non Farneſio de ſanguine ductor,
Magnus Alexander, (Dii, ſi quæ eſt cura nepotum
Det pœnas tam ſæva dies) ſecurus & expers
Armorum; populique ipſa plaudentis in vrbe.
Illum excedentem, regno concedere viſa,
Flevit, & averſo fugit Pax aurea vultu.
Illi omnis mœſto conſedit Galla luctu:
Illi omnes ſummo Parnaſſi in vertice Nymphæ
Efflebant amnes: illi Aoniæ Aganippes
Arebant rivi, arebanr Pimpleides vndæ,
Et cœca obductum ſtupuit ferrugine cœlum.
Atque heic Auſoniis peſtem deſcendere ab oris
Aſpiceres, bellumque atrox impune moveri,
Et ſua confertos ardere in funera cives.
Iuxta Tiſiphone ſuccincta immanibus hydris,
Arma inter trepidoſque duces errabat, & altum
Cocyto è medio ferri aſpirabat amorem.
Heic Anchoranum impavidum, caſſoque furentem
Ardore imperii, quanto non Martius olim
Seianus, non immanem Catilina minatus
Vim libertati trepidæ, pacique togatæ,
Fecerat. atque illum cœpta inter inania, demens
Pone ſequebatur conjux, deformior omni

Eumen

Eumenidum populo, totamque imitata Megæram.
Illam carminibus fama eſt & triſtibus herbis,
Vecordes populi vortiſſe in prœlia mentes:
Aſt aliis fœdo ſenſim invadebat amore,
Ignaros animos, & vinci neſcia corda.
Vni namque Erebi ſedes, Stygiamque paludem,
In ſcelus & ſævos Hecate tranſcripſerat auſus,
Tartareaſque artes, & quicquid nocte ſub ima
Claudit inacceſſa ſuperis caligine terra.
Nec procul hinc, Rex primævus, ſceptrique potitus
Tum demum auſpiciis, ſancto inflammante Senatu,
Infandum occultis cingebat viribus hoſtem.
Ipſe pater, clara jam dudum ſede refulgens
Cœlicolûm, quem Borbonidæ comitantur euntem,
Heroes Divis geniti, Divûmque parentes,
Victores animos, & non ſuperabile pectus,
Ardenti nato ſublimi afflabat ab æthra.
Illum ter flagrantem oculis cœloque minantem,
Conjugis & toto Furias Acheronte cientem,
Cernere erat; dux Vitræus quod tendere contra,
Et jure oppoſitos auderet cludere poſteis.
Quem mox ingenti trajectum vulnere coſtas,
Temporaq; , & largos ſpargentem ſanguinis imbres,
Paſſim oſtentari cœlo terriſque videres
Diſcerptum manibus caput, & deforme cadaver.
Illam autem (namque hoc præſaga effinxerat arte
Venturum, longumq; illic deduxerat orbem
Fatorum) vltrices cingebant vndique flammæ,
Et truncum in cineres collapſum ambederat ignis.
Iamque propinquantem ripæ, qua fumeus amnis
Migrantes animas cœco tranſmittit Averno,
Horruit vmbrarum genitor perculſus, & omnis
Adventantem, Acheron: quartamque ſororibus atris
Addidit. heic Celtas, Phlegethonti proxima, manes
Spirantem ſaniem & tortos implexa colnbros,

Terrifico admonitu tædarum exercet & ignei,
Commiſſaſque odiis vrget civilibus vrbes.
Talia perluſtrat, ſeſeque in imagine tota
Agnoſcit, rerumque vicem miſeratur & orbem,
Nec ſecus ac Lunæ imperio, (ſeu flectit ad ima
Oceani, ex imo ſeu tollit gurgite currum,
Cælatum argento currum, bigaſque potenteis)
Idem eadem accedens toties totieſque recedens,
Littora nunc tangit, nunc vitat littora pontus:
Sic modo turbari furiis, modo munere Pacis,
Aſpicit incertam patriæ miteſcere gentem:
Felicemq; vocat, nec dignam hoc nomine, mortem.
Vitam autem contra, inſtabilem, cœcamque futuri,
Mille inter nymbos animi, triſteſque procellas:
Atque illam ante alias, magnis quæ proxima rebus
Aſſidet infelix, raptique Ixionis inſtar,
Fortunæ incumbit radiis; nunc alta minaxque,
Nunc humilis, dominaque iterum depreſſa ruente.
Atque ita dum volvit tranſacta, animoque reponit,
Annaleſque ſuos Naturæ explorat ad vnguem;
Heic dicto prius, & viſu mirabile, ſacræ
Cœlicolûm patuere fores, totumque repente
Purus, & electro ſimilis, circumdidit æther.
Conſtitit heic, paſſimque oculis errantibus, haurit
Heroas animas, & libertatis amore
Intrepidas: quarum indignas poſt talia dextras,
Paulatim tenebris induci & inertibus vmbris
Involvi (quæ mortaleis lex excipit vna
Poſtquam illos dulci defecit lumine vita)
Laudum immortali merito donavit honore.
Heic ſedet, heic ſummum percurrit mente parentem;
Artificem tantorum operum, finemque modumque;
Immenſum, ingenitum; ſeſe in ſe, ac cuncta, tenentem:

Heic natum, jam victorem, jam vulnera, jam vim
Fruſtra intentatam, veteriſque inſignia pœnæ,
Perfoſſum latus, & manantes ſanguine vultus,
Victaque tormenta, profligatoſque dolores,
Toti appendentem cœlo terriſque, tuetur:
Quique mare ac terræ tractus, cœlumq; profundum
Complet, & ex æquo ſuſpenſam ſpiritus æthram,
Haurit inexpletum, propriuſque amplectitur; olim
Semper adoratum & defixum pectore numen.
Nos quoque, mendaci pietatis nomine & vmbra,
Inſidias iraſque, & bella infanda, tegentes,
Texenteſque alios flexus alioſque reflexus,
Ridet, & errandi ſtudium miratur inane.
Heic quoque, ſi qua manet vitæ inferioris imago,
Gaudia tanta inter ſuperûm & jam parta trophæa,
Conjugis antiquæ teneros reminiſcitur ignes.
Fors & purpureo, vt quondam, venerandus amictu,
Ius æquum ex alta ſublimis ſede profatur:
Aut cœlo plaudente omni, plaudentibus aſtris,
Res patriæ laudeſque ſuæ deducit, & alte
Intonat ingentes, repetens ex ordine, faſtos.
Mendaceſque autorum animos, quæ plurima terras
Incolit, ac ſeros illudit turba nepotes,
Luſtrat, & aurato venientes arcet Olympo.

DANIELIS HEINSII SYLVARUM

Liber III.

In quo Funera.

MANES SCALIGERI.

Apotheoſis.

EST via, quæ primum cœlo manifeſta ſereno
Pandit iter magnis virtutibus. omnis in orbem
Ardet, & errantes per cœlum colligit ignes.
Stant flammæ ingentes ſtellarum, & purior æther
Illuſtres animas, poſtquam atro è carcere ventum eſt,
Accipit, & pulchro venientes lumine cingit.
Illic Æacides, illic, poſt triſtia monſtra
Librataſque domos cœli, quas maximus Atlas
Suſtinet, & ſummo nutantes vertice fulcit,
Conſtitit Alcides, ſævæque oblita novercæ.
Pectora, ſideribus mediiſque immiſcuit aſtris.
Ante alios longe heroas longeque refulgent
Benaci proceres: quos non incognita virtus
Extulit, & duræ rurſus preſſere ruinæ,
Fortunæque vices, & inexpugnabile fatum.
Sub pedibus fracti faſces, curvæque ſecures,
Sceptraque nunc inverſa jacent, ſacrique tiaræ,
Solamen regni veteris totidemque dolores.
Nec non & regum exuviæ, perfoſſaque centum
Arma locis, clypeique immania vulnera paſſi,
Loricæque hoſti detractæ in limine pendent.
In medio, quondam pulchro percuſſus amore,
Natur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Naturæ incumbit gremio ſacriſque lacertis
Cæſar, & inſueti ſpectat miracula mundi;
Purpuream indutus chlamydem, quam divite gem-
Ipſa parens rerum multoque illuſerat auro. (ma
Illic principia & naſcentis ſemina mundi
Aſpiceres ferri paſſim, paſſimque vagari,
Paulatimque alias aliaſque aſſumere formas.
Nec non & variis animalia quæque figuris
Cœlo efferre caput: duroſque aſſurgere in armos
Corpora taurorum, natoſque ad triſtia bella
Fervere cornipedes, ſuſpenſaque volvere crura,
Et librare pedum alterno veſtigia paſſu.
Illic & volucres ſcindentes aëra pennis,
Et totam Oceani vaſto cum gurgite gentem,
Fecerat alma Deûm genitrix. Ille, abdita rerum
Et genera & formas, primaſque ab origine cauſas,
Illis luminibus luſtrat, quibus omnia quondam
Eruit, & ſeros vetuit neſcire nepotes,
Quæ cœlum irradient flammæ, quis ſidera paſcat
Spiritus, & terram mediis infixerit vndis.
Infra orbem geminum, Nereîque vndantia regna,
Inſanumque videt Borean, cœloque minantes
Æolios fratres, cogenteſque aëra nubes:
Et pluvios rores, & gratos frugibus imbres.
Ipſa immota manet nullis obnoxia ventis
Heroum ſedes, & læto involvitur igni.
Illuc Iuliadem rerum pulcherrima Virtus
Duxit, & in tuta preſſum ſtatione recepit
Invidiæ jaculis, & ſævæ afflatibus hydræ: (po,
Quam quondam omnipotens alto ſubmovit Olym-
Septem orbes, ſeptem vibrantem in prœlia linguas,
Cætera ſerpit humi: ſolum in ſublime venenum
Spargitur, & fœdo virtutem invadit hiatu,
Cognataſque Deis animas & pectora tentat.
Ollis fata negant ſublimem irrumpere ſedem,

Ni prius infandam dederint in vincula peſtem.
Illam inſultantem fruſtra, fruſtraque vomentem
Tartareum virus, ſpinoſaque verbera caudæ
Intentantem oculis, vi contra immobilis heros
Fregerat, & certo ſpirantem eliſerat ictu.
Ergo vbi pervenere locum ſedemque beatam,
Extemplo immenſæ ceſſerunt cardine valvæ,
Et patuit formoſa domus, tectoque recepit
Magnanimum heroem. primumque ex ordine mater,
Ambroſiæ ſucco mortaleis perluit artus,
Annorumque domat vires, turpemque ſenectam
Exuit, & lethi ignaros aſpirat honores.
Haud aliter mediis ſurgentem ex ignibus Oetæ,
Alternos humeros ſemuſtaque membra moventem,
Perruptorem Erebi mactatoremque ferarum
Alceiden videre Dei: juxtaque Iuventas
Aſtitit, & lætos humeris injecit amictus.
Accurrunt proceres, antiquæ ſtirpis origo,
Aſſurguntque viro: totoque ex agmine major
Cæſar, in amplexum lachrymis occurrit obortis,
Deduxitque manu, ſolioque excepit avito,
Et primo memorat longævam à ſanguine gentem:
Tot Divos, Verona, tuos, Hunnumque ferocem,
Fractum animis, totoque ejectum corpore regni,
Nec læto auſpicio fundatam Antenoris vrbem.
Heic cœli ſedet in medio, Phœbumque cadentem,
Vel quantus veniens roranteis diſcutit vmbras,
Aſtraque metitur radio, ſerumque Booten,
Semotamque Helicen, ſtrictumque Orionis enſem.,
Nec non & ſpatia Annorum, Menſeſque, Dieſque,
Temporaque & certis deſcriptum legibus Ævum,
Omnia quæ quondam populis obſcura per orbem
Prodidit indulgens ſtudio, totamque per æthram
Spargit ovantem animam, vaſtoq; immittit Olympo.
Salve ingens cœli decus: &, tua ſacra per orbem,
Per

'er populos vrbeſque omnes & regna ferenti,
is felix: noſtrique memor, procul aſpice tetram
nvidiæ peſtem. quæ te, quanquam ætheris alti
nvectum ſedes, & ſidera ſumma videntem
ub pedibus, ſequitur: vaniſque exercita curis
Nondum divinos patitur requieſcere manes.

IN DEFECTVM LVNÆ
qui ſupremam
SCALIGERI
noctem præceſſit.

QVod mœſta Phœbe, non vt ante, vultum
Indulſit orbi, ſed tenebricoſis
Noctem profundam duplicavit vmbris,
Ceſſitque tota deſtituta luce:
Non illa fratri cornibus retuſis
Submiſit igneis ante mutuatos.
Nox illa noſtra eſt. Cæſaris propago,
Lux prima mundi, vita litterarum
Chaos minatur, nunciatque noctem.
Qualem nec olim perfidæ Thyeſtis
Fecere menſæ, cum fugatus ora
Avertit auſis palluitque Titan,
Diemque ſolis non dedit Mycenis.
Plus execrandum eſt, quicquid orbe toto
Luent tot anni, poſterique pendent,
Centumque retro ſentient nepotes,
Ingrata Divis quod meretur ætas:
Cum denſa terris nox ſcientiarum
Caliginoſas invehet tenebras,
Mergetque ritus priſtinos & artes,
Suoque quicquid imputabat ævo,
Cujus ſerenum non tulere vultum.

Hac nocte mœſtos deſerit jugales
Formoſa Phœbe. cras abire Titan
Minatur orbe. Barbari ſequuntur.

EPITAPHIVM I.

Regius à Brenni deductus ſanguine ſanguis,
Qui dominos rerum tot numerabat avos,
Cui nihil indulſit ſors, nil natura negavit,
Et jure imperii conditor ipſe ſui,
Invidiæ ſcopulus, ſed cœlo proximus ipſi,
Illa Iuliades conditur, hoſpes, humo.
Centum illic proavos & centum pone triumphos,
Sceptraque Veronæ, ſceptrigeroſque Deos,
Maſtinoſque, Caneſque, & totam ab origine gentem,
Et quæ præterea non bene nota latent;
Illic ſtent Aquilæ priſcique inſignia regni,
Et ter Cæſareo munere fulta domus:
Plus tamen invenies quicquid ſibi contulit ipſe,
Et minimum tantæ nobilitatis eget.
Aſpice tot linguas, totumque in pectore mundum.
Innumeras gentes continet ille locus.
Crede illic Arabas, deſertaque nomina Pœnos,
Et crede Armenios Æthiopaſque tegi,
Terrarum inſtar habes: & quam Natura negavit
Laudem vni populo, contigit illa viro.

EPITAPHIVM II.

Invidiæ domitor, monſtrorum interritus, in quo
Improbitas vires fregit & ira ſuas,
Tanto animis major, quanto crudelior hoſtis
Verteret in ſacrum tela cruenta caput;
Dîs genitus, Divis nunc redditus, hic jacet, hoſpes,
Iuliades, quantum claudere terra ſolet.

Occidit

Occidit & ſævus Trojæ populator Achilles,
Hectoreos cineres Ilia clauſit humus.
Clauſit & Ajacem Rhœtei in littore ponti:
Exuvias ingens Herculis Oeta tulit.
Iuliadem tantis æqualem heroïbus, æqua
Nominibus tantis terra Batava tegit.
Virtutem ne quære, hoſpes; pater orbis vterque.
Non alio virtus clauditur vlla loco.
Cœlum animis, orbem heroes virtutibus implent.
Quod ſupereſt, tellus quælibet apta tenet.
Mauſolea tegunt priſcos inſignia reges,
Vnde illi generis gloria prima venit.
Regibus hoc ſatis eſt. toto jacet altior orbe,
Qui propriis totam laudibus implet humum.

EPITAPHIVM III.

Temporis emendatori.

LVX illa terræ, cujus vltimi nomen
Novere Seres, quem peruſta gens Phœbo
Indi loquuntur, cujus impetum Livor
Adhuc tremeſcit, vt leonis extincti,
Nec profuturis eminus petit telis,
Semen Deorum, Cæſaris ſui proles,
Iocus protervæ ludicrumque Fortunæ,
Sed major ipſa pallidoque livore,
Et vtriuſque victor, hoc jacet buſto.
At ne quid ævi ſæculique vis poſſit,
Dieſque longa deleat viri nomen,
Quo majus orbis altiuſque nil vidit,
Devinxit ipſum Scaliger ſibi tempus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

IOSEPHO SCALIGERO,
linguarum prope omnium perito, Temporis emendatori, antiquæ Aſtrologiæ illuſtratori.

SOlus qui totum diſcendo exhauſerat orbẽ,
Naturæ ſibi vix ſufficientis opus,
Omnia conatus pervaſerat omnia, proles
Cæſaris, & vidit nil ſupereſſe ſibi.
Iam puero Graij, puero ceſſere Latini,
Dat puero victas Martia Roma manus.
Inſequitur Phœbum (tanta eſt audacia mentis)
Et pariter per quas proficit ille vias.
Gens Arabum cedit, cedit gens conſcia Nili,
Et qua Nilus adhuc diſſimulatus abit.
Cedunt Armenii, cedunt Perſæque Syriquè,
Et ſi quem medio conſpicit orbe dies.
Tendit in occaſum, ſed poſtquam ceſſerat ortus:
Hic quoque quæ diſcat, cætera doctus, habet.
Tempora reſtabant: vaſtum complectitur ævum,
Et toto major tempore, tempus obit.
Quid ſupereſt Naturæ? pudet. jam exhauſerat orbem,
Si dederis cœlos; hic quoque mente fuit.

IOSEPHO SCALIGERO,
viro ſupra laudem.

PRoles regia, nominiſque vindex
Et ſui ſimul & ſimul ſuorum,
Qui menſeis veteres dieſque & annos,
Certo limite finibuſque clauſit,
Cujus ſæcula nunc eunt & horæ,
Et qui tempore profuturus omni

Sibi

Sibi tempora primus obligavit,
Cujus qui numero carent labores,
Bis ſex Herculeos premunt labores,
Solus omnia, terminuſque voti,
Qui dum priſtina quæque reddit orbi,
Et nondum genitos docet nepotes,
Totum laudibus occupavit ævum,
Et ne debita ſanguini Deorum
Novus ſidera permearet hoſpes,
Suis ſedibus ordinavit aſtra,
Et cœlum meruit, quod ante vidit,
Dignus Cæſare maximo virorum,
Et cum Cæſare maximus virorum,
Quem laus amplius haud deceret vlla,
Et qui laudibus haud faveret vllis,
Major qualibet altiorque laude;
Quæris, quod ſibi præmium relinquat.
Stupor Scaliger eruditiorum?
Digno heroibus exitu potitus,
Toti concidit invidendus orbi.

QVERELA.

MIſelle vates, lachrymiſque lugende
Suſpiriiſque, quotquot exprimi poſſunt
Ex ore, & imo pectoris penetrali;
Adhuc moraris illius ſequi manes,
Cujus süavi nunc carebis aſpectu
Et ore ſemper? Ah miſer! tibi quales
Ivere Soles, cum vocatus & gratus,
Semperque onuſtus carminum pia mole,
Illos penates lætus hoſpes intrabas,
Virique vultum & ora conſpicabare,
Quo nil Olympo majus aſpicit Titan,
Nihil ſecundum pulchra conſpicit Phœbe.

Ibi

Ibi illa voſtra blanda dona Muſarum,
Blandoſque luſus vſque & vſque poſcebat,
Nec tu petenti promere illa nolebas.
At nunc beato ſeparatus amplexu,
Miſer vagaris ſolus, & gravis luctu
Mœſtos ocellos perpeti rigas imbri,
Erraſque paſſim: qualis avio in ſaltu
Privata caro compari gemit turtur,
Aut nata matrem ſola luget amiſſam,
Nondum jugales paſſa nata complexus:
Vel quæ, ſub vmbra populi ſedens mœſtæ,
Lugubre carmen integrat ſoror Procnes,
Raptoſque fœtus, quos arator implumes
Abſente matre neſciaque ſubduxit,
Plorat, nec vllum luctibus modum ponit.
Feſſuſque lachrimis, lachrimis tamen gaudens,
Noctem querela ducis, & diem fletu.
At ille toto nunc remotus it mundo,
Totiſque terris, in virentibus campis,
Vbi süavis ſibilat tepor venti,
Favoniuſque lenis inſtrepit ramis,
Et aura pulchros frigerans parit flores,
Et fons per herbas candido ſtrepens lacte
Puros lapillos inter, irrigat terram,
Lenemque ſomnum manibus piis ſuadet,
Aveſque voce tinnula ſolum mulcent,
Inque arborum trementibus comis vivunt.
At ſacra circum lympha Tethyos puræ,
Defendit imbres & nives pruinoſas,
Poluſque dulci delicatior ſomno
Molles roſarum deſuper pluit nymbos,
Et liliorum lacteas nives ſpargit,
Sonantque læto paſcua vndique applauſu,
Sylvæ cachinnis, antra perſonant riſu,
Vmbræ choreis, vocibuſque jocondis.

Ibi illa turba nota poſteris ſæclis,
Myrto capillos implicans Dionea,
Comiſque lauri virginis, per herboſos
Colles vagatur, & diem joco ducit.
Ibi ille terris notus omnibus noſter
Et æmulandus vivit omnibus ſæclis.
At tu beato ſeparatus amplexu,
Adhuc moraris illius ſequi manes,
Cujus süavi nunc carebis aſpectu?

THRENVS.

QValis perpetuo natorum pallida luctu,
  Et duris Niobe exercita funeribus,
Stat miſera in ſaxo, cui guttatim vndique lympha
  Hinc atque hinc mœſto depluit è Sipylo,
Aut quales nondum oblitæ fratriſque ſuique
  Stant lachrimis vdæ jugiter Eliades,
Infelix Phaëthuſa, & ramis obſita Phœbe,
  Et totidem ramis obſita Lampetie,
Quas neq; grata Ceres, neq; curarum exitus omnium
  Humida nox blando detinet obſequio,
Sed Matuta parens ſemper, ſormoſaque ſemper
  Inveniunt madidis ſidera corticibus:
Tales Dî lachrimas, talem aſpirate dolorem
  Heu miſero nimium numina ſæva mihi.
O pater, ô noſtræ quondam tutela juventæ,
  O anima mihi dilectior atque oculis,
Quoi ego conſueram triſtem lenire dolorem,
  Et capitis ſacram ſiſtere canitiem!
Tecum deliciæ, tecum omnia gaudia noſtra
  Fracta jacent: tecum funditus occiderunt
Munera cuncta Deûm. nec quæ nos cunque juvabant,
  Nec mihi jam lux hæc, nec mihi grata dies.

Ipſa

Ipſa etiam, quæ te præeunte, ah perditus olim,
  Dulcia Muſarum gaudia contigeram,
Hæc quoq; tecum abiere hinc omnia, ceu vapor olim
  Ludibrium ventis ſpargitur Æoliis.
Nec mihi blanda placent Muſarum gaudia, nec mî
  Promere ſtat mœſti delicias animi:
Sed qualis virgo, caſtæ conjuncta parenti,
  Sedula maternis vortitur in ſtudiis,
Quam juxta, radiique & viminei calathiſci,
  Arma, jacent, ſeræ debita militiæ:
Ipſa hæret ſuper incumbens, gratumque laborem
  Aſſiduis vſque deproperat digitis:
Tum ſi mox eadem chara eſt orbata parente,
  Sideraque accendit, ſeque, ſuamque domum:
At fuſi calathique jacent procul heu deſerta,
  Et miſero pecten volvitur è gremio.
Sic mihi Muſarum tecum omnis gloria ſordet,
  Et penitus noſtro diffluit ex animo.

THYRSIS,
Ecloga Bucolica, in obitum ejuſdem.

ÆGON, MNASYLUS.

AMiſſum triſti longævum funere Thyrſin,
Thyrſin, delicias paſtorum, & gaudia ruris,
Amiſſum flebant pueri, Mnaſylus & Ægon.
Flebant, & lachrymis ingentibus ora rigabant,
Flebant & populi, flebant armenta, gregeſque.
Sed tamen ante alios longe mœſtiſſimus Ægon,
Sæpe illi ſolitus, cum nox obſcura capellas
Cogeret, & mœſtos arceret matribus hœdos,
Sæpe ſuos illi recitare aſſuetus amores,

Et duræ

Et duræ faſtus Amaryllidis. ille ſenectæ
Oblitus propriæ, proprioſque oblitus amores,
Præbebat facilem pueris cantantibus aurem.
At puer infelix, amiſſo Thyrſide, ſolus
Errabat, mare vicinum vicinaque circum
Littora: vel Rheni ſpatioſo proximus alveo,
Crudeles Divos & flecti neſcia fata,
Poſcebat Thyrſin: ſed nec crudelia fata,
Nec Divi ereptum reddebant funere Thyrſin.
Sæpe illum immemorem ſeræ decedere nocti
Heſperus invenit lachrimantem, & dura vocantem
Sidera nequicquam. ſæpe illum invenit eundem
Lucifer. errabant ſolæ per devia capræ.
Tum quoque Mnaſylum viridi complexus in alga,
Talia jactabat nil reſpondentibus vndis.
Ecce peregrino redeunt è littore puppes,
Et cum nocte pecus, redeunt cum nocte juvenci:
Omnia cum redeant, ceſſat mea gaudia Thyrſis.
Septima formoſos cœlo nox extulit ortus,
Et toties juga jam bobus detraxit arator,
Et matutinos decuſſit bucula rores:
Thyrſis abeſt. abſentis adhuc veſtigia littus
Exhibet, & fruſtra, quacunque in littore paſſus
Thyrſidis apparent, hic & veſtigia figo;
Perque eadem errantem nox occupat, & videt Eos
Altera, nec vacuæ ceſſant plangoribus horæ.
Interea pecudes, nullo paſcente, per herbam
Vicinas comitantur oves: mœſtæque juvencæ
Noctis in adventum vicina armenta ſequuntur.
Lac quoque, ſit quamvis jam formoſiſſimus annus,
Aret in vberibus: nec me mulctralia, donum
Thyrſidis extremum, nec quæ mulctralia plenis
Admovet vberibus, ceu quondam, Theſtylis vrit,
Extinctiq; animo languent Amaryllidis ignes (tem?)
Carmina jam ſordent (nam cui mea carmina can-
Et mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et mihi diſcedens tamen hæc armenta reliquit.
Et dixit moriens: poſt me pulcherrimus Ægon,
Ægon hos calamos, mortis ſolatia noſtræ,
Inflabit; tanto reliquis dilectior Ægon,
Quanto pulchra ſuo capra eſt villoſior agno.
Quanvis ſæpe meos ſervavit Tityrus hædos,
Et mihi ſæpe ſuos Mnaſylus rettulit ignes.
O dilecte puer, tu nunc cantabis in illo
Littore nec noſtras vnquam obliviſcere Muſas.
Ipſe etiam tumulo facies ſolemnia noſtro,
Ipſe apium, ipſe hederas, ipſe humida lilia carpes,
Extremamque meis intexes oſſibus vmbram.
Atque aliquis forſan Lethææ in gramine ripæ
Deferet erranti tua carmina: cum mare Thyrſin,
Cum Thyrſin ſcopuli, percuſſaque ſaxa ſonabunt.
Audiet extinctus poſt ſe ſua nomina Thyrſis,
Audiet, & priſcos animo revocabit amores:
Audiet ipſe ſuam, lætuſque agnoſcet, avenam.
Nec tibi linguarum contagia, nec mala Codri
Iurgia ſunt metuenda: petat licet omnia livor.
O dilecte puer, tu nunc in littore paſces
Has pariter, pariterque tuas, quas ante tenebas.
Nos procul hinc (nec enim non cedunt omnia fatis)
Perſephones paſcemus oves: vbi purior aër,
Et vivi fontes, & ſponte innoxia taxus,
Nec mare littoribus pugnat, nec flumina ripis
Diluviem meditantur. amant & flumina ripas,
Et mare tranquillum ſecuram allabitur algam.
Hæc Ægon, Ægona ſuo Mnaſylus ab antro
Excipit, & triſtem ſolatur carmine curam.
Sidera, quæ blandos hominum ſpectatis amores,
Egreſſi terris juvenes, quos æthere ſummo
Fixit, & æterno ſacravit Iupiter auro,
Vos etiam quondam pars hoc in littore noſtri
Cantabat Thyrſis: nunc vobis proximus ipſis,

Ipſe ſuas cœlo vobiſcum conſpicit agnas.
Et favet, vt quondam, paſtoribus, & pia ducit
Otia: nec triſtes aſpirat ab æthere ventos.
Quaq; movet, Zephyri accedunt, imbreſq; furentes
Comprimit & Borean, & agentes nubila Coros.
Forſitan & paſcit, ceu quondam pavit in herba,
Nubibus in mediis: & noſtro gaudet amore.
Nec Deus Arcadiæ numen præſentius illo eſt,
Nec Deus Arcadiæ certet cum Thyrſide jungi.
Thyrſis & infeſtas extinxit frugibus herbas,
Et ſegeti gratos defendit ſentibus agros,
Et lolium infelix, & inertem ejecit avenam.
Horret humus, ſqualLet rapto Parnaſſia rupes
Thyrſide, nec cœtus hominum reſpexit Apollo.
Thyrſis & ignotum paſtori repperit annum,
Errantemque ſuo diſtinxit limite menſem,
Æqualeſque dies, & priſcum reddidit ævum.
Thyrſis & antiquos docuit procedere ritus,
Quo Cereri gratus ſua præmia meſſor in vmbra
Solveret, ingentem aſpiciens ſecurus acervum,
Quo tibi, magna Pales, ſacro de ſulfure fumum
Fecerit, & feſtum paſtor tranſmiſerit ignem:
Cum lauro velantur ovilia. caſtaque laurus
Luſtrales latices & noxæ oblivia verſat.
Nunc quoque humo, pueri, ſaxoq; inducite laurum,
Thyrſidis, & puræ ſpargantur frondibus vndæ.
Vndam alii ſpargent, tumulo lac inferet Ægon:
Lac Ægon, Mnaſylus aquas è flumine vivo
Hauriet, & ſævos arcebit nunc quoque ſoles.
Non tamen & nobis ſolatia parva reliquit,
Diſcedenſque, meis extremum amplexibus hærens,
Pignus habe hoc dixit: nec quiſquam ex agmine veſtro
Munera nulla feret. reddent hæc munera vobis
Extinctum Thyrſin. Nec tu monumenta Menalcæ
Deſpice, quæ nobis Riphæi è frigore ponti
Miſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Miſit, & Arctois è montibus ipſe Menalcas.
Nec tu pauperiem puer aſpernabere noſtram,
Nec proavos meditare, ingentia nomina, noſtros.
Mille greges illis Benaci fluminis vndam
Libabant: centum tondebant paſcua tauri:
Omnibus errabant ter centum in montibus agnæ.
Nunquam illis, nunquam teneris lac defuit hœdis;
Pars quoque preſſa fuit. ſæpe hæc mihi veſpere ſerc
Narrabat genitor, cœlo notiſſimus ipſi
Antiquus Corydon: quem nunc procul altera tellu
Detinet, & toto circumfluit amne Garumna.
Omnia fata tulere, & habebunt nos quoque fata.
Talia cantabant pueri: cantantibus illis
Heſperus extremam veniens abrupit avenam.

Idyllium Græcum, cum Epitaphiis, quæ hic ſuperiori editione legebantur, infra, inter reliqua Græca, invenies.

MANES LIPSIANI.

In obitum

JUSTI LIPSII

Epicedium.

FElices Grudii, patriæ florentis imago,
Olim nota magis, cum pax dilecta Camœnis
Viveret, & nullum ſentirent ſecula ferrum; Batavi,
Nunc primum invidia magni gaudete
Si quid in hoſte juvat. vel, ſi victoria curæ eſt,
Cedimus, & ſolo ſubmittimus arma dolore:
Totaque Lugdunum poſita convertitur ira,
In ſedes ventura tuas. concedite luctu,
Et lachrymis ignoſcat Iber. ſæpe arma viroſque

Exuit,

Exuit, & medios pietas ſecura per hoſtes
Per ferrum ſibi fecit iter. concedite: Lipsi
Ibimus inferias, longumque intrabimus agmen,
Mœnia, quæ magnus Batavis conjungit Apollo.
Vox ævi divina tui, cui viribus oris
Arcadis attonitæ ceſſerunt flumina linguæ,
Blandaque Sirenum miſeris vox cognita nautis,
Cur iſtos cineres, cur tanti nominis umbram
Tellus una tegit, cum te venienſque cadenſque
Phœbus, & hunc totus tumulum ſibi vindicet orbis?
Nos quoque, Lugdunum quos non incognita nutrit,
Muſarumque æternus amor, te judice tantum
Deſpecti querimur, ſubtractaque munera nobis,
Ingenii laudiſque tuæ, quæ plurima Leida
Vidit, & ignotos patriæ libavit honores;
Mox damnata tibi: nam tecum gloria noſtra
Subſtitit, atque alium rurſus conceſſit in orbem.
Non aliter quam cum patiens ſudoris Vlyſſes
Palladis obſeſſa Danais avertit ab arce
Callidus effigiem, vincendaque Pergama vicit:
Tum primum Phrygii ſine vi cecidere, ſine armis,
Et meruit jam Troja capi: nec victor Achilles,
Aut Agamemnoniæ tantum potuere Mycenæ,
Nec volvenda dies. ſic tecum noſtra juventus
Hæſit, & infelix in te converſa pependit.
At ſaltem cineres potuiſſes credere nobis,
Et manes donare tuos: felicior iſſes
Elyſias valles, ſedeſque ac regna piorum.
Hic tibi ſupremum ſoluiſſet carmine munus
Iuliades, ſoboles ſtirpſque incorrupta Deorum:
Cui neque par nomen ſeries viſura nepotum,
Nec gens vlla dedit. noſtris quem Gallia terris
Tranſtulit, infelix, laudumque oblita ſuarum.
Nos quoque non viles animæ quocunque vocamur,
Sive excelſa loqui, ſeu leni currere gyro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In laudeſque exire tuas, facundia Baudi,
Olim nota tibi, nunc tanti muneris hæres:
Quin etiam genti nil conceſſura Latinæ
Mens Grotî divina mei, tibi nomen & vrnam
Poneret, & mitem præſtaret carmine terram.
  Nunc quoq;, tot quanvis gladii, tot ſæva minentu
Tela virûm, Mavorſque alio nos claudat in orbe,
Ibimus, & noſtra tumulum ſtatuemus in vrbe,
Ibimus, & quamvis mendacem ornabimus vrnam,
Ibimus, & falſum ponemus carmine nomen.
Scilicet ignoſcet ſerorum turba nepotum,
Grataque erit pietas, & non indigna favore.
Atque vtinam, qua ſe tenebris Matuta relictis
Exerit, & feſſo diſcedit lumine Titan,
Omnibus in terris & toto poſſet in orbe
Servari pars vna tui. nunc Creta Tonantem
Vindicat, & ſolo tegitur Tirynthius Oëta.
Quod ſi digna fuit gens de tot gentibus vna
Nobile depoſitum cinerum ſervare tuorum,
Certe Roma fuit: quæ te collapſa parente
Crevit, & antiquas potuit calcare ruinas,
Terrarum victrixque ſui; poſtquam impius vrbem
Vandalus, & ſævi rapuit dementia Gotti.
Nam tibi nec Brenni feritas deſpecta Camillo
Expugnanda fuit, Cimbrove oriunda juventus,
Servorumve ignava manus; non compede rupta
Spartacus, & victas Libyam qui tranſtulit Alpes;
Sed longæva lues, damnataque ſæcula Divis
Omnibus, & toto veniens graſſator ab orbe
Barbarus, æternam juratus tollere gentem,
Æneæque Deos. minus eſt quod poſcit in illa
Conditor, & primum meruit qui faſcibus annum,
Quin etiam, priſco ſi quid reſtabat ab Ilo,
Quod nec Troja tulit, Veſtæ penetrale, focuſque
Aſſaraci, medioque ignis ſervatus in igne,

Iver

Iverat, & longi ſerie conceſſerat ævi,
Hoc quoque (pro fortes Decii, maneſque Latini)
Turpiter exutis Romanus ſtabat in armis;
Per te tela gerit: Martique incognita noſtro
Obſeſſas aries balliſtaque concutit arces.
Ergo jure ſuam merito tranſlatus in vrbem,
Romanam preſſiſſet humum cinis oſſaque tanti
Funeris, & ſeptem poteras tibi ſumere montes,
Vel quacunque vrbs tota tua eſt: ni docta negaret
Porticus, & quiſquis rigido metitur honeſtum,
Id manes curare tuos, dum corporis expers
Spiritus anguſti tranſcendat limina mundi.
Hic quoque ſi quid agis, ſi quæ tibi cura tuorum eſt,
Atque aliquo noſtras percurris lumine terras,
Imbelles juvenum curas & inertia rides
Pectora: quos tecum ſimili contendere laude,
Et tibi vix tutum ſcribendi accedere callem
Infelix perſuaſit amor. Sic Iupiter olim
Riſit, & è ſummo Salmonea vidit Olympo,
Cymborum fremitus imitantem, & vana cientem
Murmura. Sic quondam tenues concretus in artus,
Alcidæ magni, tanto minor, induit arma.
Interea, quæ terra tuam cômplectitur vmbram,
Illic Roma tua eſt. illuc vrbs tota Quirini,
Et Capitolina deſcendet Iupiter arce.

EPIGRAMMA I.

CVM triſtes obitus & magni funera Lipsî
Audiit, & primum credere cœpit humus,
Tota minax & adhuc civili immerſa cruore
Suſtinuit gladios terra Batava ſuos,
Vtque erat interſperſa genas & pulvere fœda,
Flevit, & inferiis debita dona tulit.

Continuoque ſuos ad ſe properare poëtas,
Et tumulo mœſtum ſcribere juſſit opus.
At vos poſteritas candori aſſurgite tanto,
Atque iterum victus cedere diſcat Iber.
Hoc primum eſt, ſævum gladio quod vincimus hoſtem.
Plus eſt, quod pietas vincere noſtra ſolet.

II.

IVpiter infernas cum mortuus iſſet ad umbras,
Excepit cineres maxima Creta Dei:
Mox idem patrio cum jam ſucceſſit olympo,
Iactavit cineres maxima Creta Dei.
Riſit, & ex illo nil quicquam credidit orbis,
Cretaque ſic dubiam cœpit habere fidem.
Tu quoque, quæ cineres & docti nomina Lipsî
Terra, licet Muſis non aliena: tenes,
Tu quoque docta cave, ne fias fabula. tantos
Si capit hæc homines, & capit illa Deos.

III.

De poſtremo Lipſii ſcripto Lovanio, ad urbem eandem.

AMplius æterna cum nil reſtaret in vrbe,
Lipſius æterna quod repararet ope;
Amphitheatralis cum ſtarent mœnia circi,
Staret & in muro triſtis arena ſuo,
Retia mirmillo pavidus vitaret & arma,
Et gemini tectis vultibus andabatæ,
Iam catapulta ſuas balliſtaque rumperet arces,
Vineaque occulte diſſimulata foret;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Venit, & ipſe ſua melius moriturus in urbe,
Poſtremum patriæ reddidit autor opus.
Sic ſua fatalis periturus margine ripæ,
Cantat, & ipſe ſibi funera poſcit olor.
Scilicet ignoſcant ingentis mœnia Romæ,
Et potior Roma terra Brabanta fave;
Hæc quoque laus jam tota tua eſt. nam nomen ubiq;,
Hic meruit tumulum Lipſius ipſe ſuum.

AD JOSEPHUM SCALIGERUM,

primarium ſæculi virum, de Epicedio in

JUSTUM LIPSIUM

ab eo conſcripto, & candore ejuſdem.

Regia progenies, quem nobile nomen avorum,
Et livor dubium non ſinit eſſe Deum,
In quem diſpoſitæ concurrunt vndique gentes,
Quas furor, aut rabies, aut ſuus error agit;
Invidia major (quam ni contemnere poſſes,
Virtutis poteras non meminiſſe tuæ)
Candida poſteritas lachrimas mirabitur illas,
Quas tuus in Lipsî funere fudit amor.
Cauſa fuit diſpar, virtus communis vtrique,
(Si modo quis ſimilem ſe putat eſſe tibi.)
Hectora ſic quondam conſpexit ab æthere Iuno,
Nec Priamum ſiccis torva Minerva genis.
Stant intra mortale genus convicia recti,
Terraque quos fines, hos quoque livor habet.
Invideant homines: ſolis bene cognita Divis
Fert precium virtus indubitata ſui.

Ergo eat infelix, qui deſtruit ardua, livor,
Et Superos aliquid jam ſciat eſſe Deos.
Bis fleat infelix: & te dum tangere neſcit,
Et ſe diſſimilem dum videt eſſe tibi.

AD EVNDEM,
& alterum ſcientiarum vindicem
ISAACUM CAUSABONUM.

VNica quos geminos eduxit Gallia ſoles,
Belgica queis nuper gloria juncta fuit,
Imperium vobis, vobis fortuna duobus
Incumbit patriæ, ſollicitæque rei:
Nec minus & livor. partem ſibi ſumat vterque.
Hic quoque poſt Lipſi funera veſter erit.
Non habet infelix alios quos tangere poſſit:
Hic ſedet, hic totos ſtatque manetque dies.
Creſcit, &, vt creſcat, virtutibus hæret in ipſis,
Vix quoque ſublatus cum pereunte perit.
Impiger Alcides, totam cum ſuſtulit æthram,
Invidiæ pariter triſte ferebat onus.
Hoc quoque quam cœlum majus fuit. hinc ſua Iuno
Hinc gravis Euryſtheus difficiliſque fuit.
Ille feris populiſque & tota major ab hydra
Stabat. at invidiæ ſic quoque ſenſit onus.
Quid faceret? Divis juratum tranſiit amnem,
Et Phlegetontis aquas: hic quoque livor erat.
Quid faceret? corpus medios conjecit in ignes,
Et ſua ſpectanti tradidit arma viro.
Hinc quoque cum pharetram Pœantius abſtulit heros,
Cum pharetra junctam ſuſtulit invidiam.

Luſus ad
APICULAS.

MEllificæ volucres,
Quæ per purpureas roſas,
Violaſque amaracumque
Tepidique dona veris,
Legitis ſuave nectar,
Teneræ cives,
Et ſeduli coloni,
Et incolæ beati
Hortorum redolentium,
Gens divino
Ebria rore;
Agite, ô meæ volucres, age, gens vaga nemorum.
Agite hinc abite cunctæ,
Et tumulum magni cingite Lipſiadæ.
Illic domum lareſque
Vobis figite, figite:
Illic veſtri
Copia mellis,
Hæreditaſque fertur ad vos denuo
Debita, quam vobis quondam ſublegerat ille.
At invidos maloſque,
Et quem non Venus aurea,
Quem non amat Cupido,
Quem non amant lepores,
Quem non amat venuſtas,
Quem non amat Süada,
Illis acutis protinus
Figite cuſpidibus.
Vt ſi quis malus impiuſque, tendat
Mel illud roſeumque nectar, illas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Cœli delicias ciboſque Divûm,
Impio male vellicare morſu;
Protinus undique & undique & undique & undique
punctus,
Calamiſque, vocibuſque,
Et eruditis morſibus,
Concidat extincto victima Lipſiadæ.

AD
GENIUM
Ideæ Lipſianæ.

Pater leporis aurei, novumque mel Deorum,
Pincerna nectaris meri, ſacerque promiconde,
Seu te liquore myſtico, Cupidinumque rore,
Venuſta Cypris imbuit, tuumque Diva pectus
Liquore perpluit ſuo, vel Euius bimater
Thyrſo virente perculit, nec vſitata juſſit
Vi numinis raptum ſui, ſed entheata verba
Senſuſque limpidiſſimos brevem rotare in orbem:
Nidore dum te muſico tuamque adimus aram,
Procul profana gens eat, quæ te tuumque nomen
Vecors inerſque deprimit præpoſtero favore.
Nam noſtra, quæ nec te, pater, nec ſe capit, inventus,
Tuos adire perfurit reconditos lepores.
Exanguis, ægra, diſcolor: cui miſella febris
Vires negavit maſculas & igneum vigorem
Orationis floridæ, quam ſponte natus ardor
Et Tulliana perficit lex ſimplici nitore.
At tu ſecute neminem prius, ſequende nulli,
Diſpar eras ſic omnibus, ne par tibi ſit vllus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

EPIGRAMMA
in Thraſeam, quem imperfectum edi vetuit.

CVM ſuus, & toto jam corpore liber ovanſque,
Elyſias ſtaret Lipſius ante domos,
Occurrêre animæ ingentes, quos porticus olim
Vidit, & æternos miſit in ora viros:
Zeno pater, torvuſque à paupertate Cleanthes,
Et quos, ſera licet, Martia Roma tulit.
Aſpicit audacem pro libertate Catonem
Tractantem manibus vulnera rupta ſuis.
Nec procul hinc Pæti, ſed triſtis & aſpera viſu,
Occurrit facies, diſſimiliſque ſui,
Cum lætus libanſque Deo, quem liber adibat,
Secura Stygias morte petebat aquas.
Horruit, vt vultum LipsI venientis & ora
Vidit, & hos gemitus mœſtaque verba dedit:
Quem Nero damnatum voluit, ne viveret vnquam,
Tu naſci prohibes, & jubet ille mori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII
HIPPONAX.

REINERO BONTIO ſuo.

TERTIUS hic annus agitur, Reinere Bonti, ex quo ita viximus, vt quæcunque animos conciliare ſolent, eorum nihil nobis deeſſe videretur. Aderant quidem ante omnia (quæ vel ſingula ſufficere poterant) amor mutuus, conſuetudo arctiſſima, in eodem collegio mens eadem & ſtudium. Parum hoc nobis videbatur. Acceſſit domeſtica neceſſitas, & ſub lare eodem, quale ab amantibus optari ſolet, invidendum plane contubernium. Ab hoc tempore, non parum crevit tua dignitas: animus vero & mores eandem conſtantiam profeſſi ſunt. quod certiſſimum bene conſtitutæ mentis eſt indicium. Nemo enim ferre honores poteſt vt oportet, niſi qui eos nunquam pluris fecit quam debuit. Mihi equidem commiſeratione viri ſapientis digni ſemper viſi ſunt, qui humiliter ambire poſſunt quod ſuperbe poſtea ac inſolenter gerant. Magnum quippe ac erectum ingenium, quemadmodum externa iſta non recuſat, ſi contingunt, ita tanti vnumquemque arbitratur, quanti ſunt quæ ſibi debet. Inter quæ vel primum eſt, firmitas animi: quæ vbicunque ſtat fortuna vel recedit, nihil indiga cujuſquam, ſe tuetur, & virtute ſua ſe involvit. In hoc autem libro, talem me exhibeo, qualis eſſe ſoleo, cum nihil fingo. Quamquam ſane nunquam altius humana mens aſſurgit, quam cum perturbationes, quas è vita Stoici excludunt, ad facundiam admittit. Si præſertim violentæ ſunt, &

arden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ardentem ſua ſponte indolem impellunt. **Homines** *ſceleſtos noſti me odiſſe : talem hic leges. Scis præfracte eos ſemper contempſiſſe, qui cum nihil laude dignum egerint in vita, literas ac literatos , dies totos allatrare ſolent: eundem hic invenies. Gravitatem, niſi fallor, ac ſeveritatem meam, numquam accuſare ſoles : ne hic quidem quicquid eſt vernile ac amœnum, ejeravimus. Scis, nonnunquam ludos meos ac amores, quibus more maximorum hominum, languentem excitare ſtylum ſoleo , cum ad focum tecum ſedeo , aut in menſa animum remittimus , non illibenter cantillare. eorum, ne quid deſit, partem, quamvis ſane exiguam , hic habes. Qui enim minus liceat hoc nobis, quam quæ nocte ſomniamus, verſibus includere? Cum præſertim ſæculorum omnium exemplo id fiat, Ne antiquos hic adducam , quid divino Cæſaris Scaligeri ingenio, ætate noſtra circumfertur excellentius? quid autem ſeverius? Vnum ejus librum evolve: vbique Lesbias, Adamantias, Lollias, Martias, Criſpillas, Pantheas, Teleſillas, Paſicompſas, & quas non? invenies. Quanquam ſane parum etiam in iis de profeſſione ſapientiæ remiſimus: cujus plurima præcepta hac occaſione nobis exciderunt. Vt omittam , quædam ibi eſſe , ad quæ ſanus aſpirare nequeam. Quæ , cum calor animum reliquit , tanquam lector alieni operis, expendo. Ita enim res ſe habet: etiam qui vim amoris nunquam ſunt experti, ejus tamen, ſtyli cauſa vel argumenti, ſæpe induunt affectus. Quod à Rhodio apud Græcos , ab Andino , Romæ factum eſt. Vt omittam, quibus exercitium res ea fuit, ſicut quæ præcipiuntur à Rhetoribus. Recte autem Plato , maximum naturæ ſubſidium , amorem eſſe, dixit. Quare idem ille, ſacra hujus Dei , ad philoſophiam contulit. Tantum ut furore ejus , dictionis ſuæ granditatem prætexeret. Quod profani non intelligunt. Sed hæc alibi. Nihil enim apud te excuſo : apud quem diſſimulare ſerum eſt , quæ jam forte audiviſti.*

PRO SE,

In barbaros quoſdam, qui ſub verorum Iuriſconſultorum & Medicorum nomine, bonas literas allatrant: iiſque poëtarum nomine invidiam conflant. In quo oſtenditur, qualis eſſe vere literatus debeat.

QVem vos poëtam turba leguleiorum,
Dictatis eſſe, voſque, qui nihil, præter
Coi magiſtri ſenſa quinque, legiſtis;
Non qualis olim fluxit in modũ fontis,
Ionicorum ſuavitate verborum
Nulli ſecundus, æmulus poëtarum:
Sed ſemiroſa fruſtra, ſemiconcocta,
Interpretumque nauſeantium nugas,
Inelegantes, languidas, merum frigus;
Hunc vel Latinæ vel reconditos Muſæ
Sales Pelaſgæ noſſe, non negat livor.
Hunc, ô leporum clinici & venuſtatum,
Et Gratiarum buſtuarii veſpæ,
Quas Graja novit Muſa quaſque Romana,
Gens inficeta, ſerva grammatiſtarum,
Et nata tantum ſcire, quæ miſer vendit
Vel litterator ebrius gravi faſtu,
Vel imperita turba pædagogorum,
Quos tu ſequi coacta ſemper, odiſti;
Hunc, indiſertum publica negat voce,
Quicunque montem ter trium Camœnarum
Acceſſit unquam, nobilemque Pirenen.
Quid quod ſititor acer omnium rerum,
Sed ante tinctus litterario lacte,
Non imperitus helluo Pelaſgorum,
Non inquilinus verna, non peregrinus,
Sed aurearum municeps Athenarum
Quas fama cœlo tollit, ac velut civis,
Gradu citato paſſibuſque inoffenſis

Pe

Per diſciplinas & ſcientias fertur,
Quæcunque Graii ſub receſſibus veli
Armarioque clauſa divitis linguæ
Mentes abarcent & manus profanorum.
Non ille Sophiæ dulce neſcit arcanum:
Nec ſi quid olim comis & Dei plenæ
Stirps Sophroniſci luſit aut Ariſtonis,
Sedens in vmbra, cui chorus cicadarum
Et lene murmur mutuabat Iliſſus,
Hauſiſſe tempſit. non ſenis Stagiræi
Amplos receſſus: ſive ventilat cauſas
Ortuſque rerum: ſive publicas leges
Fert civitati, perficitque virtutem.
Non elegantis dulce mel Theophraſti,
Non quæ Cleanthis porticum colit turba:
Secura fati ſola, nec ſequi lenta;
Seu vellit aurem Parca, ſeu Deus ducit.
Non quæ renati ſcita dictat Euphorbi,
Et ore magno maſculoque ſermone
Æternitatis explicat modos noſtræ,
Mentemque fæcis ſorde purgat humanæ.
Non Atticorum lenis hoſpes hortorum.
Et eruditus inſtitor voluptatis,
Pellace fuco cuncta quæ trahit ſecum,
Ignotus illi eſt. non ſagax Ariſtippus.
Hæc præter, artes & Quiritium ritus,
Moreſque, & omnes pervagatur annales.
Aut feſſus alti tractat impetus Tulli,
Et quæ minatur Grajus artifex verba:
Sive impotente Midiam quatit voce,
Qualis Moloſſus acer aut Lacon fortis,
Cervum trementem verſat aure ſublata
Montes per altos, bruma cum nives ſpargit:
Seu forte ſuppar Æſchines laceſſivit:
Sive in Philippum fulmen exſerit linguæ:

Quid quod nec ille credit eſſe ſecluſus
Legum ſalictis, queis vbique turgetis?
Quanvis nec alto ſpectat è tribunali
Vultus reorum lachrimaſque manantes,
Largaſque captat divitum clientelas,
Nec formularum cantor errat in circo,
Et aucupatur ſyllabarias fraudes.
Quid quod nec exul eſſe, nec relegatus
Libris Galeni credit, & ſenis Coi?
Hæc non recocta, juris inſtar heſterni,
Miſer ligurrit: vt famelicus civis,
Vicina circum turba cum facit ſacrum,
Iejunus exta corrogat bovis crudæ,
Proſerpinæve captat in via cœnam,
Aut ſcurra notus, circulator ararum,
Ictum minanti ſupplicat ſacerdoti:
Sed delicata, ſed venuſta, ſed lauta,
Non tranſmarino rore, ſed ſuo, tincta.
Interpretum de fæce non bibit vappam,
Non eſurit protrita ſemigræcorum
Tenebrionum fruſta, non lutum ſorbet:
Non credit vlli litterario lixæ:
Non barbarorum pallidus fame vivit.
Sed vel ſalivam nobilis meri ducit
Vt matre nata eſt: vel dapes, inacceſſas
Pauciſque notas, tractat; ebrius Graij
Nota Lyæi ferculiſque conviva.
Hæc inter, vt rumpare, ſi vacat, livor,
Crepeſque, largum qui tibi parant fletum,
Tractat lepores & jocos poëtarum.

In famelicum quendam & ſceleſtiſsimum, ſuum & omnium eruditorum, ac præcipue mortuorum, obtrectatorem: cujus nomen, ne chartæ polluantur, hic diſsimulatur.

INfame monſtrum, noctis impiæ proles,
Vibexque deteſtanda nominis noſtri,
Et ſi quis vſquam litterarius myſta,
Conſentiente non tacebitur fama,
Quid vis, canis proterve? quid Deos (manes,
Et oſſa rodis, jam ſepulta, jam caſſa
Vitalis auræ. qualis improbus bubo
Aut ſtrix remotis errat in ſepulchretis,
Et ſparſa, ſemitecta, vellicat membra.
Quin huc iter molire? quin minas tandem
Huc vertis iſtas, & petis remorſurum!
Non, vt tremens puella vel puer læſus
Matris ſinum capeſſit, & fugam nectit,
Aut ejulatum non viriliter tollit,
Cedam furori vel calumniæ tergum:
Sed, vt leo jejunus, imparem prædam
Morſu fatigat, dentibuſque ſub crudis
Aut hinnulum concerpit, aut latus damæ:
Sic arma tollam, ſic paratus invadam,
Os illud audax, impudens, venenatum.
Nec hactenus nil egit impetus noſter.
Iam fuſus, & ſubactus, & triumphatus,
Famæ ſuperſtes nominique, non ceſſas
Diri furoris. ſi quid, ô pecus, ſentis,
Brutum, ſuillum, ſi quid ingeni reſtat
In mole tanta, nec pudore decocto
Defecit in te maſculæ vigor mentis,
Laudiſque cura, necte faucibus nodum,

Qualem

Qualem Lycambæ ſuaſit inclytus vates,
Turpem repulſam neſcius pati vates.
Quod ſi triente diſtitutus aut nummo,
Auferre reſtem creditoribus poſcis ,
Et triſte naulum portitoris inferni;
Vel fœnerato, vel mea fide ſumas.
Soluta res eſt. Quid morare jam verna?
Quid muginare? quid , trifurcifer, ceſſas?
Quid ſiderato lumen ætheris magni
Purgare differs & venefico vultu,
Piaculare Ditis inferi ſacrum ?
Sceleſte neſcis, quid furor poëtarum
Et ira poſſit, quos, faventibus Divis,
Mens jungit aſtris, fama conſecrat terris:
Cum pectus altum conſciumque virtutis
Suæque laudis , ictibus laceſſitum
Linguæ dicacis , intumeſcit, vt ponti
Inſanus horror ſævientibus Coris,
Voceſque mandat indolis ſuæ teſtes
Victura bilis pertinacibus chartis.
Non ipſa Divûm mater eluet Tethys,
Non tempus omne quicquid hæſerit labis.
Quin fœdus & probroſus , & minor fama,
Ibis per orbem, donec igneam lucem
Diana terris imputabit, & Phœbus.
Iam te ſuperba pervicaxque depoſcit
Heinsî Camœna: jam tibi diem dicit.
Iam, ſi lubebit , experite, quid poſſit
Vis vividæ virtutis , & calor mentis
Invictus, acer, non parabilis cuiquam ,
Vel arte inepta , vel labore, vel cura,
Quæ vos, minuti Satrapæ, coquunt ſemper.
Non quos Olympi numinumque vis major
Æternitati deſtinavit & famæ:
Quos tu protervis morſibus petis ſemper;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Olim futuros : cum tuo „ ô lutum, ô cœnum„
Laſciviens catella mejet in buſto,
Et hæc caduca ſcripta, quæ miſer vendis ,
Non vna blatta permeabit: aut ſcombros,
Et ſulphurata , fracta vel tegent vitra,
Araneamve, vel puerperum murem.
Cum diſciplinæ diligentis exemplum,
Omnis tiaræ purpuræque contemptor,
Inauſpicato vulturi dabis cœnam;
Cruci patenti mancupatus aut furcæ.
Cujus proterve candidate , nunc probris
Divos laceſſis , & minacias fundis:
Tum nuda roſtris vnguibuſque adulantes
Totam per vrbem membra different corvi.
Vel oppidum famelicus pererrabis.
Nidoris augur , aucupator ollarum,
Et execratus eſuriginem lentam,
Fumos culinæ transfugas adorabis,
Aut ambulabis in cavædiis ſolus,
Fruſtraque largas intueberis cœnas,
Et promicondis ſtabis omnibus ſupplex:
Vel obſeratos ejulabis ad poſtes ,
Ceamque mœſtus næniam recantabis:
Et quicquid vſquam virulentiæ turpis
Sceleſta lingua fudit in caput noſtrum;
Spectaculum crudele. dum fame victus,
Nil impetrantem vinculo gulam franges;
Terræ bidental publicum, lues cœli.
Quod non amicus funerabit aut veſpa,
Sed lictor, aut, conductus aſſe non toto,
Trahet cadaver ad Gemonias tortor;
Ter expiandus , ne quid attrahat noxæ.
Non ſic abibit. quippe claudicans pœna
Raro ſceleſtum liquit antecedentem.
Tum, carnifex , Megæra, vel ſoror quævis,

Armata

Armata tædis, quas fugatus in ſcenis
Oreſta vidit, vel cruentus Alcmæo,
Divos Olympi vindicabit & Manes,
Quos peſtilenti voce ſemper afflaſti.
Et ad tribunal auferere, non ibis,
Cretis ſeveri: protinuſque, inauditus,
Laſſabis omnes ſolus Æaci pœnas.
Nec hic fames ceſſabit, & gravis venter:
Quin Tantaleam ſurrogatus in menſam,
Dapes procabis, perpetim recedentes:
Aut ſi quid eſcæ non refugerit dextram,
Stabit Celæno, cum ſororibus binis,
Quæ non amico cuncta polluat tactu:
Diræque triſtes aut Alaſtores ſævi
Latus flagellis treſviralibus ſcindent.
Vt delicatas propter accubans lances,
Spectes paratam, nec ligurrias, cœnam.
Hac lege noſtrum, ſi videbitur, nomen,
Vt Corſicanus aut Moloſſus, allatra.

HIPPONAX,

ad

THAUMANTIDEM.

In quo vita, ſtudia, mores poëtæ, tum, quæ ex iis petitur, animi tranquillitas, ex vero deſcribuntur; in equo conceptus.

SI forte nugas inter ocioſorum,
Qui nocte prima limen obſident vſque,
Nec mane ſummo nec meridie deſunt,
Adhuc amari ſerio vacas cuiquam;
Parumper audi, quæ dolore mens vi- (cta,
Mens viribus defecta, mens tui plena,

Ardet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ardet profari. Non ego Deos omnes,
Qualis juventus freta brachiis centum,
Ingens Typhœus, vel Mimas, vel Ægeon,
Invadere, ô crudelis, ô ferox, tento.
Nec vt reclivis Oſſa Pelion geſtet
Aut Oſſa Olympi grande fulciat culmen:
Sed ſaucius, ſed ebrius tuo vultu
Minorque mentis. qualis impotens Mænas
Novo furore plena, ſi Deum poſſet,
Evadere, ardet tota: nec tamen ceſſat
Pertæſa thyrſi, ſauciare ſe thyrſo:
Sic delibutus viribus tuæ vocis,
Et delibutus viribus tuæ mentis,
Aduror vſque: non profanus, aut exlex,
Non infima de plebe degener ſanguis,
Non laureatus erro, non poëtaſter,
Auceps culinæ divitumque menſarum,
Inanitate plenus, & fame ſiccus:
Non purpuratæ ſuaviludius turbæ,
Et proſtitutor virginum Camœnarum.
Quales propolas verſuum pudendorum
Non vna tellus ſæpe donat huic cœlo:
Quos circulatrix eruditio ſola
Et commeatus impudentiæ paſcit.
Non ocioſus liminum ſalutator,
Formæque iners ſpectator & puellarum:
Quales ſubinde Leida ſemipatronos,
Noſtri Lycei transfugas, foro donat;
Comptos, venuſtos, elegantiæ vernas,
Scitos, dicaces, bellulos, capillatos,
Süave olenteis mure de peregrino,
Pictos, perunctos, deque capſula totos.
Quos larga veſtis turbat, aut nimis ſtricta,
Aut indecentis annulus comæ torquet,
Seu ventus illam ſtrinxit, aut manus dura.

Semper trementes pallidoſque ſub dio,
Ne Phœbus audax, dum vagatur impune
Orbemque luſtrat, igne candidos vrat
Tingatque vultus: ne quid imber immitis,
Ne quid pruina nixque deſuper peccet.
Ne gutta roris fortuita, vel pulvis
Sufflaminandæ ſparſus impetu bigæ,
Ne muſca turpis, vel culex inurbanus,
Graſſator importunus, inverecundus,
Ne mobilis feſtuca, pertinax lappa,
Hærere certa; ne volatiles pappi,
Aut ſudor acri concitatus inceſſu,
Ius omne præter & Quiritium leges,
Fœdet nitenteis aut coinquinet cultus.
Hæc vna quippe cura tangit heroas,
Nil ſcire doctos, æmuloſque doctorum.
Hæc cura fixum verſat & coquit pectus,
Negotiorum ſummus huc redit finis.
Hi virginum ſectantur & colunt limen,
Ne blanda deſit occupatio menti.
Quod ni fritillus, aleæque pernoctes,
Fomeſque amoris & medela teſtudo,
Lyræque cantus voce miſtus humana,
Et ſermo lautus baſiiſque conditus,
Faſtidioſos, nil agendo defeſſos,
Oblectet vſque, ſuſcitetque languentes,
Ignavitas abſumat, aut ſuus torpor:
Tali veterno mens hebeſcit ac ſquallet.
Hæc blanda peſtis, illecebra tam dulcis,
Tum Comus & chorea, tum procax riſus,
Et nictus, & ſcreatus, & ſalax tuſſis,
Imaginoſos virginum tenent ſenſus,
Vt lotos olim remiges Vlyſſeos:
Et ſervitutis ſpe morantur incaſſa
Annos amori debitos maritali.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

c flos inventæ primus effluit furtim,
ſtidiumque Cypridis moraturæ
ɔrmam ſenectæ non locabilem tradit.
t inſolens amator, inſcius fraudum,
ıœbi ſacerdos innocentis & Clius,
berrat vſque: negligenſque Muſarum,
ut dulce limen intuetur, aut Divam
ıpplex adorat. duciturque, nunc vultu
iſer benigno, nunc amabili dicto.
uod ſaucio ſub corde vivit, vt quondam
eglectus ignis ventilante ſub dio
iviſcit vſque: cum per aridas frondes
iam capeſſit, aut inutiles ramos.
is aula gaudet, quoſque poſſidet mores,
rbs tota ſentit, & togata gens diſcit.
æc gens ſuperba liminis tui cuſtos,
ivalitate certat impari mecum,
t forte nomen tractat arrogans noſtrum;
ecura famæ, carminiſque venturi,
ævi, tremendi: quod per ora doctorum
æſi poëtæ Muſa perferet vindex.
ualis Lycambæ ſpretus impio vates,
ut hoſtibus crudelis hoſtis Hipponax,
rmatus vno ſat ſuperque ſcazonte,
ucrone quovis torſit acrius telum.
ic hos diaces, has caniculas noſtras,
llitteratos, litterarias feles,
egneis, inerteis, oſcitantiæ myſtas,
atos Vacunæ, Murtiæ ſacerdotes,
i barba docte culta, doctius tonſa,
iſcrimen addat, ſemifœminas tantum,
mbelle pondus deſidis pavimenti
Terræque matris, quos vel improbus livor,
Aut mens egena laudis, aut Deus quiſquam
Male advocatus, armat in pios vates;

Notis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Notis peruram ſtigmatiſque: non ferri;
Sed claudicantis acrimonia venæ,
Et choliambo non inaniter facto.
Qui debilis tarduſque parte ſuprema,
Infiget altos hoſtibus tamen morſus,
Et in cruore merget æmulatorum,
Os atque roſtrum, luridoſque genuinos.
Non his ſecundus eſſe glorior, Diva,
Nec arte tali nomen aucupor magnum.
Non his, nec illis eſſe molior ſuppar,
Quos criminoſa lingua nutrit & paſcit,
Vitalis ævi quam diu trahunt lucem.
Quos ni lepore vel Latina vel Graja
Tingat vetuſtas, litteræque dent cultum,
Humanitatis omnis eruditrices,
(Quales ſupremos Curiæ videt patres,
Pluresque nobis candida fide junctos
Illuſtris Haga, mater inclyti juris
Et æquitatis Haga: qualis ingenti
Altum tribunal ore Grotius complet,
Phœnix Batavus, ſæculi ſtupor noſtri:
Ne qua virorum labe nomen aſpergam
Quos alma virtus plebe ſegregat tota)
Fori togatos jure vultures dicas,
Picaſque inerteis, aut monedulas veras,
Auri ſequaces; pellices crumenarum,
Hirudineſque patrimonii lauti.
Nec inter iſtos nomen aucupor Diva.
Nec quos honorum gloriæque prurigo
Semper petaces pallidoſque dimittit,
Voti potitis ampliora dum ſpondet.
Sed innocentis cultor innocens Muſæ,
Non criminoſæ, non famelicæ Muſæ,
Non quæ reorum ſæva lachrimas vendit:
Sed diſciplinas ſed ſcientias omnes

Amœna

Amœna verſat, imbuitque ſe pleno
Beata cornu: barbaroſque, non hili,
Non aſſis, aut vnius æſtimat flocci,
Quæ cum furore pectus impulit ſacro,
Totoque cœlo replet entheos ſenſus,
Humana neſcit verba, neſcit ingenteis
Frænare motus, impetuſque ſublimeis:
Annoſque mille, ſæculumque non vnum
Mortalitatis immemor ſuæ cernit,
Et poſterorum læta præcipit laudem.
Hac raptus ala, raptus impetu tali,
Nil judicantem degener moror plebem,
Æternitatis candidatus & famæ,
Rectique cuſtos: pertinax honeſtatis
Sanctæ ſatelles, vnicæque virtutis.
Non efferendus teſtimonio quoquam,
Nec deprimendus civis vllius probro.
Sed tutus vno teſte conſciæ mentis,
Muroque aheno fultus arduum pectus,
Non pœnitere, non redargui culpæ;
Integritatis, innocentiæ muro.
Quem nullus ardor civitatis inſanæ,
Non vulgus infidele priſtinis rebus,
Non terror aut lex inſolens tyrannorum,
Non æmulantum quicquid invidentumque eſt,
Impellat vnquam. non Dieſpiter totus,
Si fulminantem ſævus exerat dextram,
Orbemque fractum vertat in caput noſtrum.
Parvo beatus: cumque purpuræ fulgor;
Et ſceptra deſint, mente maximus regum:
Quæcunque ab ortu pontus alluit primo,
Mæotis vſque qua refunditur lympha,
Contemnere auſus, ceu caduca, ceu vana,
Morique nata; præter ingenî vires.
Quas cum benigna, nec noverca, ſed mater,

Natura donat, moxque perficit cura,
Ius triſte lethi temporiſque non ſentit.
Nec ſupplicare natus improbe cuiquam,
Quamvis togatos ante fulgeat patres,
Aretque, quantum circinator æſtiva
Circumvagari luce milvius poſſit,
Soluſque totas condat Africæ meſſes.
Nec natus, vltra quam dedere vel donant,
Laſſare Divos inſolentibus votis;
Haud pauper vſu quem neceſſitas poſcit,
Et lætus illo : candiduſque divinæ
Serenitatis & süavis interpres;
Vt non egenus, ſic parabili dives.
Nec ſpem fovere natus imparem ſorti:
Quæ pulchra, quæ fucata, quæ levis ſemper,
Vt Thais aut Gnathæna, vel procax Phryne.
Spondere larga, nec datura quæ ſpondet,
Vmbra futuri lactat irritam mentem:
Sed vota linquens immodeſta, non noſtra,
Præſentiumque raptor, omne venturum
Fatis reſigno, vel rapacibus ventis.
Nec me curulis ſella Nonii torquet,
Nec conſularis quod Vatinius ſtruma,
Iurat ſecures, pejeratque per faſces:
Nec quod Vacerra, fœditatis infandæ,
Equeſque factus non volentibus Parcis,
Summam theatri lætus occupat ſedem,
Othonis audax Roſciæque contemptor,
Quod fœnerator Alphius, miſer Codrus,
Vix cimicis poſſeſſor unius nuper
Araneæque, jura figit ac leges,
Ducentieſque vel trecenties cænat.
Nec quod ſuperbus Mæna, notus Hiſpanæ
Pacis redemptor patriæque largitor,
Viam citatis publice terit mannis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et obviorum voce ſemovet turbam.
Hæc intueri pœna ne ſit immenſa,
Infanda, perpes; qualis ultimo in monte,
Scythiæ nivalis inter horridas cautes,
Iovis miniſter, cor iecurque Titani
Pertondet vſque, Phœbus accipit feſſum,
Muſæque dulces, & beata Lugdunum:
Centumque chartis involutus elabor,
Sedemque muto. Nunc Solonis antiqui,
Nunc me Lycurgi, temperantia fortis
Morumque nota, rurſus accipit pubes,
Et urbe donat. Nunc Platonis æterni
Non inquinatam fæce Romuli aut noſtra
In civitatem mente deferor tota:
Muroſque luſtro, notus hoſpes ac gratus,
Quos Sophroniſci docta condidit proles,
Fax veritatis, dulce cymbalum Suadæ,
Promuſque lenis Atticæ venuſtatis;
Silenus ore, mente proximus cœlo.
Vel quæ Cleanthes diſſidentibus cunctis
Et Zeno fixit, grande porticus fulcrum.
Cui triſtis horror negligenſque tonderi
Priſci Catonis robur addit immenſum,
Deſpector audax Aggerontis & fati.
Hic me ſerenæ fulgor excipit lucis
Dieſque ſuda. qualis ardet innubis
Et fulget æther, parte turbidus nulla.
Quem non hyems inſana, non minax imber,
Non nix penetrat cruda, non inæquales
Vexant procellæ, turbineſque ventorum.
Hic exul erro lætus & meæ ſpontis,
Supraque vulgus omne victor incedo,
Vitamque fingo more ductilis ceræ;
Vanæ ſpei metuſque ſemper immunis:
Sodalitatis cultor integræ tantum,

Sum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Summiſque notus, infimis tamen gratus,
Candore morum, vique ſimplicis recti,
Cui fucus omnis frauſque diſſidet longe.
Hoc me pudica mater, hoc parens, autor
Morum probatus, indoleſque munita
Cultu Sophorum, continenter inſuevit.
Non ſycophanta, non calumniæ ſtructor,
Non lædere os facetus, aut probi nomen:
At hoſtis acer impigerque ſcribendi,
Nec flere natus, ut puer laceſſitus,
Si quis proterve nomen impetat noſtrum:
Sed ire contra certus ingeni telo,
Vel ſi nepotem præſtet Æaci fama,
Et arma fabricata Mulcibris dextra,
Invictus, imperterritus, ferox, geſtet,
Septemplicique muniat caput ſcuto.
Qualis ſuperba mente filius Dauni,
Ferro coruſcus undique, undique ſquamis
Horrens ahenis, fertur arce ſuprema,
Acer, refulgens, hoſte cominus viſo,
Quem ſpe laceſſit, jamque diripit voto:
Aut qualis ingens amnis, imbre nutritus,
E monte prono volvitur, timens ſiſti.
Mens namque honeſta, contumeliam turpem
Inferre neſcit, nec petita ſuccumbit.
At ſi quis vltro comitate, vel leni
Benignitate, quæ coagulum vitæ,
Compes bonorum eſt, vindicet ſibi hoc pectus;
Tenebit vſque, dum ſuperſtes vſurpo
Vitale lumen, non ſolubili nexu.
Cui namque cordis mica reſtat excelſi,
Aut gratum oportet vivere, aut mori ingratum.
Heic Heinſiani ſumma vertitur voti,
Sic eſſe notus mille ſæculis poſcit,
Sic per virorum geſtit ora differri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hæc viva, non fucata pectoris noſtri
Et certa imago eſt; non coloribus ducta,
Sed candido lepore ſimplicis chartæ:
Quæ, fraudis expers, vatis indolem reddit,
Styloque ducit, & nepotibus ſeris
Dat intuendos mentis intimæ vultus.
Nec invidere natus vllius laudi,
Quæ cura mentes ſæpe deſides verſat,
Non alta corda ſpirituſque cœleſtes.
Non Hectoris vim, non Achilleï fortis
Hæc cura tangit, igneoſque Tydidas:
Non pectus ingens cedere inſcii Ajacis
Hirtumque robur, peſtilentia hæc intrat:
Quem polcher ardor, eminere conſuetus,
Et cura non ignava debitæ laudis,
Dejecit acri mente, neutiquam livor.
Non ipſe regum rex ſupremus Atrida,
Amyntoriſque vel Menœtii natus,
Non melle cujus ſermo dulcius fluxit
Senex triſæclus, peſte ringitur tali.
Nec iſta tabes efficacis Alcidæ
Peredit artus, & thoros lacertorum:
Quem non Amazon, non tricorporus fregit
Tagi tyrannus, nec leone cum ſævo
Reciſa ſemper & repullulans Hydra.
Sed in procorum laude dirutam plebem
Iroſque tranſit, ſordidoſque Therſitas:
Vir quippe magnus, invidentia nulli,
Sed laude certat, publicaque virtute.
Hæc ſemita eſt auguſta, regius callis,
Simplex, apertus: quem volentibus Divi
Labore pandunt, non volentibus cludunt.
Sed inficetus torpor, incubus laudum,
Rubigo mentis, pulchra negligit lentus
Moraſque nectit: mox pediſſequus Livor

Iners inertis, pone dirigit greſſum,
Dolens relictis, aſpicitque non recto
Vritque vultu, quæ nec aſſequi ſperat.
Non perduellis, non Iberiæ vixi
Fautor doloſus, immemor ſacramenti:
Sed civis vſquequaque patriæ fidus,
Morique certus, fata ſi manum poſcant,
Terramque morſu figere vltimo promptus:
Non vi tremenda roboris vel armorum,
Nec mole formidabilis Gigantea,
Aut corpore ingens, vt Cyclopii fratres:
Sed qualis olim fertur acer Oenides,
Parvus videri, mentis impetu victor,
Solaque laudis ſemper æſtuans cura.
Hæc flamma noſtros non domabilis ſenſus
Perurit vſque (nam fatebimur verum)
Somnoſque rumpit. Hoc potentius numen
Vel ſiderum vis, pectori indidit noſtro
Themiſtocleum. quippe gloriæ curam,
Sitimque laudis & lubidinem blandam,
Vix ipſa Lethe non inertibus tollit,
Vix navigata Styx, & vltimi Manes.
Namque illud omne quod moramur in luce,
Soporis inſtar aut imaginis vanæ,
Redire neſcit, cum ſemel calor vitæ
Et hoc puſillum quod tepeſcit in nobis,
Trans ſepta linguæ dentiumque diffluxit.
Tot Xanthus olim volvit inclytas bello
Forteſque dextras, Iliique ſub celſis
Cecidere muris plurimi Deûm nati:
Homicidaque Hector, inclytuſque Sarpedon,
Stravere terram: nec marina Peliden
Servaſſe mater fertur, aut ſuum mater,
Quæ mane pulchras pandit ætheris valvas.
Lux namque certa terminuſque ſtat cuique:

Sed

Sed fata agendo limiteſque mortalis
Extendere ævi, res opuſque virtutis,
Virique ſors eſt, haud inertis haud ſegnis.
Nec me pudendo mater edidit partu,
Imbelliave notus extulit ſanguis:
Sed Martiali gens adorea compos,
Pejuſque leto, pejus inferûm portis,
Exoſa nomen ſervitutis ignavæ.
Nec pœnitenda mater edidit terra.
Quanquam vniverſi civis eſſe contendo,
In orbe natus, civitate contentus,
Quam Phœbus ambit, autor igneæ lucis,
Ætherque totus, fons originis noſtræ,
Nec vna tellus claudit indolem noſtram,
Anguſta laudi quam meretur hic ardor;
Tamen ſub auras Ganda protulit primum,
Regina quondam floſque Belgicæ Ganda,
Nutrix Deorum Ganda, Cæſaris mater:
Quam tauriformis Liza, Liviæ junctus,
Quam Cala pulcher limpiduſque ſpectari,
Scaldiſque cingit, ipſe fluminum princeps.
Sed me ſuperbus hoſtis, & ferox bello,
Noſtræque menti ſemper æqua libertas,
Britanniaſque Galliaſque, vix natum,
Luſtrare adegit. hinc recepit errantem,
Regalis Haga: poſt VValachriæ littus.
Hic innocentis ver pueritiæ fluxit,
Vmbræ fugacis inſtar, aut brevis ſomni.
Tum Friſiorum parva, ſed tamen grata,
Sedes Minervæ, plenioribus Muſis
Et arte donat. dum Bataviæ rurſum.
Amica Phœbo gens, amicior Marti,
Traxit volentem, nobiliſque Lugdunum
Non inquieto fixit anchoram morſu.
Hic, Diva, verſor vſque; patriæ veſtræ

Nec inquilinus degener, nec ignotus.
Hic me furentem ardore poſthumæ laudis
Blandique honoris, magna Cæſaris proles
Provexit vltra; dux ſuperbus audendi
Et certus autor: nec moleſtus exactor,
Sed callidus laudator ingenî noſtri.
Vt ardua cervice cornipes pullus,
Plenus juventæ viriumque, cœlum omne
Hinnitibus laceſſit, & ſolum tundit;
Tum, ſi magiſter plauſibus ferit pectus,
Iubamque mulcet, ſtare jam loco neſcit,
Frænumque mordet creber, & vomit ſpumam:
Sic æſtuantem mentis indolem noſtræ
Herois inflammavit inclyti ſermo,
Oratioque, nunc amica, nunc alta,
Cordis perurens intimum penetrale.
Hac diſciplina fultus, & timens probri,
Non mentis ignem flore Bacchico fregi,
Tricongiana laude fortis athleta:
Nec amphoras ſiccare doctus ad leges,
Palmam pudendi muneris tuli victor.
Non helluo profundus, aut merus gurges;
Non impudens popino glorior dici,
Aut ſedulus catillo; ventris abdomen
Augere natus, ipſe ventris appendix.
Non immodeſtus inſolenſque conviva,
Sed parcus oris, invicemque dicentis
Auditor acer: ſi quid impetus pulcher,
Et ſpes ſerena mentis augurat veri,
Olim profari plura poſteris natus.
Non vt ſevero triſtis horream vultu,
Qualem fuiſſe Marſyæ ferunt victi,
Qualiſve vulgo turba pædagogorum,
Vmbratilis propago, ſordibus nata,
Exoſa lucem, ne quid effluat forte

Au

Aut ore migret, vſque muſſat ac pallet:
Aut plena turpis arrogantiæ, ſpernit
Quicquam profari, ni ſupercilî nubes
Frontiſque & oris vultuoſa majeſtas,
Severa, tertiata condiat dicta.
Quos nobilis mens horret, vt lutum, vt cœnum,
Vt litterarum probra, traduces Phœbi
Adulterinos, putidos, inexpertos
Vrbanitatis & facetiæ cunctæ,
Tenebriones noctuaſque Muſarum:
Sed vt viciſſim dulce temperem ſacrum
Menſæ lubentis, innocentibus dictis,
Iociſque amœnis, elegantibus, lætis:
Non more Ionum prurientibus fœde,
Sed Attico lepore comiter ſparſis:
Quos ipſa virgo, quæ parentis è caſto
Nata eſt cerebro, non rubeſcat effari.
Nec vt bimatrem totus horream Divum,
Blandi leporis & lubentiæ patrem;
Memor Lycurgi Pentheique diſcerpti,
Queis Evius neglectus, haud ſtetit parvo;
Sed velitari, non inanibus, verum
Nec immodeſtis vſque poculis ſuetus:
Dum mens rigata, leniterque percuſſa
Et ſauciata, ſentit impetus primos,
Inſaniamque amabilem Iovis nati,
Cui ceſſit Indus, & ſuperba gens terræ:
Dum mœror omnis pectore exulat toto,
Facetiaſque lingua gannit ac tinnit.
Modimperatrix vt ſuprema ſit menſæ,
Feſtivitas jocoſa, vel ſitis ſola;
Sermone dulci provocata, non arte,
Et candidæ ſodalitatis aſpectu:
Qualem Camœnæ Deliuſque non horrent.
Non conjugum tentator aut thori caſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Feror per vrbem pipulo maritorum,
Non ganeo, non mœchus; antra lenarum
Obambulare ſuetus integram noctem,
Et arbitrari non trioboli ſcorta,
Summœnianis quæ morantur in luſtris,
Libidinoſæ mercimonium cellæ.
Nec ſæpe tali ſaucius malo vixi,
Vetus furoris, & Cupidinum ludus.
Quamvis ſuperbum Roſſa poſſidet nomen,
Doctæ palæſtra non inutilis Muſæ,
Curæ levamen, & poëticæ flabrum.
Quæ ſæpe gaudet ſuſcitabulo tali,
Pennaque amoris rapta, Pegaſi ritu
Cœlum laceſſit, nubibus caput jungit,
Et ſe Deorum contubernio miſcet:
Sed temperamen legis & bonæ mentis
Servare doctus, integerque vivendi,
Mores honeſto ſubdidi, Deo vitam.
Hac dote fretus, non Olympicas tento,
O Diva, ſedes: non ſuperbus affecto
Limen Tonantis, deſidiſque Saturni
Laxare vincla: nec truces Aloïdas,
Et quicquid audax Phlegra contulit quondam,
Armare rurſus in palatium cœli:
Sed in tuum cubile molior greſſum,
Si jus piumque eſt: non procacis aut ſævi
Raptoris inſtar, ſed precario, Diva.
Tui clientem, ſupplicem vides, Diva.
Quem non libido fœda, fervor infandus,
Pudendus, excors, mente devium jactat,
Sed ſanctus ardor viſque numinum major:
Sed arduæ virtutis, indolis raræ,
Mirator ignis, fomes ætheris magni.
Quippe ipſa virtus corpore emicans pulchro,
Major videri pulchriorque conſuevit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vt flos ſub unda, vitreove ſub fonte
Pellucidove rore, gratius fulget.
Hæc obſtetricis natus, obſtetrix ipſe
Veri latentis, melle Hymettio plenus
Vates canebat: quem cicuta cantantem,
Et plebs cicuta dirior, dedit leto.
Sed nec genarum lene purpurans oſtrum,
Orbeſque blandos mollium papillarum,
Sororiantes, mobiles, premi natos,
Et os leporis, os facetiæ ſedem,
Conſtringere hinc & inde, vitis in morem,
Quæ claudere vlmum geſtit, impotens ſolvi,
Vir clarus horret, Socrateſque non damnat,
Nec nos piandum, Diva, ducimus crimen.
Hinc liberorum ſeminarium dulce
Domum peterrat; gens faceta, gens blanda,
Merces pudoris præmiumque materni.
Hic ordo rerum eſt. ſic renaſcimur quiſque.
Sic Terra mater, ſicca, ſolibus fracta,
Defecta dulci rore, cœlitis lymphæ
Ardet potiri. nec ſeverior Cœlus
Terræ potitur, inque conjugis lætæ
Sinum beatus imbre labitur multo.
Hinc Liberi parentis inclytum munus,
Frugeſque blandas, munus inclytum vitæ,
Natoſque fontes, filiaſque fœcunda
Producit herbas, & plicatiles flores.
Quæcunque Phœbus candicantibus bigis,
Sororque Phœbi noctiluca perluſtrat,
Hæc cuncta Cypris, ſtirpſque Cypridis pulchre
Pennata, tædis nuptialibus jungit.
Nec tu potentes, Nympha, deſpuas Divos.
O vultus, ô rex omnium venuſtarum,
O cruxque tueſque mentis, ô gravis tortor,
O inſolens tyranne pectoris noſtri!

Medea noſtra. quæ nec improbo rhombo,
Nec Theſſalæ canentis ore vel ſucco,
Mentes peruris: ſed venefico vultu,
Sed luminum fulgore, faſcino mentis,
Linguæ veneno blandientis. ô Circe,
O blanda Siren navigantis, ô illex ,
O ſcopulus altæ mentis, ô Camœnarum
Suavis Malea , nec Charybdis inviſa.
O Scylla quovis auſpicatior portu,
O naufrago vix improbanda tempeſtas,
O illecebra amara , nec minus dulcis ,
O officina cladium , ſed optanda.
O pœna mitis , ægrimonia ô fauſta,
O vis amica, læta noxa, mors , vita :
Nutrix furoris, vnicumque ſolamen.
Feſtiva labes, quæ nec arte Muſarum ,
Nec expiari febrius poteſt vllis.
Fatale monſtrum , quod nec vllus ædilis
Aut victima procuret aut pio ritu :
Seu te leæna ſæva , ſeu tulit tigris,
Immitis, implacata, durior ferro,
Sive æſtuantis horror expuit ponti,
Septentrionis cum minæ recrudeſcunt ,
Et imperator fluctuum Nothus crebras
Movet procellas , Africuſque non ceſſat ;
Admitte queſtus , quos miſerrimus vates,
Amore vates ſaucius tuo fundit ,
Amore ſævo, non domabili , immenſo.
Quid amplius vis? ô mare, ô ſolum ! accendor,
Quantum nec Ætna nec ſuperbus Alcida
Neſſi cruore delibutus exarſit.
Quid amplius vis? pectus illud invictum ,
Et ſupplicare neſcium , manus tendit.
At non mali vis vlla, non minæ ferri,
Non hoc tyranni , non propagines regum ,

Non victor hoſtis, impetraſſit à nobis.
Nec tu poëtas, imperita vel dura,
Cœli miniſtros nuncioſque Divorum,
Nec tu arroganti mente nec gravi faſtu
Æternitatem, quæ tibi manet merces,
Inelegantis more deſpuas vulgi.
Quodcunque natum eſt, mors reflagitat tandem,
Et debiti inſtar dura poſcit exactrix.
Gens ſola felix, quam benignior Pæan
Aſpexit olim cum ſororibus doctis,
Fatum triumphat & triumphat ætatem,
Quæ ſæva lento cuncta deterit morſu.
Hanc poſce dotem, quam ſuperba gens neſcit,
Gens imperita, gens profana, rivales.
Quos Parca turpis, ceu pecus vel armentum,
Imbelle, brutum, victimario natum
Præbere colla vel ſecuribus privis,
Ducet ſub vmbras, cum ſuprema lux fulſit,
Nulli intuendos poſtmodo, vtiles nulli.
Hos tu maritos, quos calumniæ tantum
Iuvant inertes, architectonas fraudum,
Labem bonorum, ceu venena, ceu peſtem
Inominatam, ceu cadaver immundum,
Et fulgure ictum, Diva, deſpuas multum.
Si pectus illud igne neutiquam ſegni,
Sed puriore, ſed ſimillimo noſtri,
Faber Prometheus, machinator auguſtæ
Rectæque mentis, temperavit ac finxit.
Si pulchra virtus non refûgit hunc ſexum.
Trahuntque vobis penſa nobiles Parcæ,
Non indecora laudibus, nec averſa.
Qualis Sabina vel Latina gens matrum
Vixiſſe fertur, & Lacæna non vna:
Amazonumque turba, ferreos imbres
Perrumpere auſa, ſpe duellicæ laudis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vel docta Sappho, quæ faventibus Cypri
Cyrrhæque Divis, æquat impares Muſas,
Dulciſque Myro, nobiliſque Praxilla.
Nec proſedarum more laminam ſpecta
Auri nitentis, quam recondidit terra
Parens Deorum, ne quid aëri noſtro
Contagionis imputaret aut ſordis.
Sed fœda plebes, triſte Ditis arcanum
Tulit ſub auras. hinc ſceleſta vis lucri,
Hinc gleba fulgens, decolorque pars terræ,
Effaſcinatrix blanda mentis humanæ,
Fas omne rupit: & quod ardet in nobis
Cœlique reſtat, vſque detinet peſſum.
Hanc intueri ſemper, vnice vita.
Sed ingeni felicis inclytas vires,
Moreſque puros, neſcium doli pectus,
Innoxiumque fraudis, & carens fuco.
Non inſtar horum, quos amabilis ſermo,
Spondere quidvis ſermo cuilibet largus,
Et factioſa lingua voxque commendat,
Tinnire doctos, re fideque ſubleſtos.
Sed qualis olim turba rege Saturno,
Nondum marito fulminante Iunonis,
Necdum tonante, primulumque barbato,
Non ambitu corrupta, nec fame lucri,
Terras colebat, moribus ſuis tutas.
Nondum ſonabat triſtibus forum cauſis,
Nec ante mortem ſquallido reum vultu
Damnabat ipſa morte ſævior judex:
Sed Dîs amica natio poëtarum,
Gens nata cœlo, mixta cœlitum turbæ,
Vrbes tenebat, civibus dabat mores:
Non impetu, non viribus, ſed exemplo.
Heic in reducta valle, ſolibus feſtis,
Sacrum virenti cincta pampino crinem,

Vel fronde cincta ſemper innubæ lauri,
Divûm nepotes ſanguinemque cantabat,
Quos prima tellus extulit pares Divis.
Suoſve amores, gaudiumque riſuſque,
Nulli nocentis dulce ludicrum Muſæ,
Donabat annis & perennibus chartis.
Vel qualis olim, fœderis pii cultor,
Vocalis Orpheus, Ditis inferi lucos
Et regna vidit, cæde conjugis mœſtus.
Stetere Manes, horruit fidem vatis
Aulæ tyrannus, impigerque Cocytus
Repreſſit amnes, igne turbidos multo.
Stetit propago non amabilis Beli,
Cruenta, diſpar, fœda nuptiis labes,
Tædæque dulci. ceſſit Æoli natus
Vani laboris, & protervus Ixion:
Natuſque Terræ, præda vulturis ſævi:
Et qui Deorum nectare ebrius quondam,
Nunc & benigna Tantalus caret cœna.
Nec janitor trilinguis, horror Vmbrarum,
Alludere vſque crura deſtitit vatis.
Quin ipſa triſtis anguicrinium turba
Stetit ſororum, lachrymaſque vix preſſit;
Cum caſta conjux, empta caſibus tantis,
Lucique jam vicina, vatis ex vlnis
Fruſtra gementis, & manu prehenſantis
Heu membra jam non membra, rurſus effluxit.
Hac juncta lege, juncta vinculo tali
Talique amore juncta, nominis tali
Præcone felix, ibis omne per tempus,
Et ſæculorum ſæva jura perrumpes.
Non te Lycoris luce nominis vincet,
Non Deliæ laus, non Corinna, non Phyllis:
Vultumque cujus luminumque fulgenteis
Corrupit orbeis triſte paſſeris funus.

Non cura vatum priſca Battis & Lyde,
Quas fama cœlo tollit, aut Vlyſſea
Notæ per orbem caſtimoniæ conjux:
Quæ pura vitæ bis decem per autumnos,
Fert grande munus, eripitque ſe fato.
Quæque inter ignes prodidit maritales
Suprema caſtæ ſigna mentis Evadne.
Has inter olim ſtabis, ô meum ſidus,
O ver ſerenum mentis, ô dies feſtus,
O & ſecunda Cypris, & Charis quarta,
Triplex Minerva, quadruplexque Suadela,
Novemque Muſis vna dulcior Muſa,
Vel ingeni lepore, vel venuſtate.
Sis blanda tantum, ſis benigna, ſis mitis,
Memorque famæ, trade poſteris nomen,
Quæ nunc procatur, ingeritque ſe, Diva.
Ipſe ardui damnatus & reus voti,
Figam trophæum nuptialibus Divis:
Ingens trophæum: quod nec impius livor,
Divinitatis livor omnis arroſor,
Nec temporum profunda deleat tabes.
Quod pulchrius ſublimiuſque Mauſoli
Olim ſepulchro ſtabit, & Coloſſeo
Labore majus & labore Chaldæo,
Evertat omnes ſubruatque rivales.

In maledicum quendam pædagogum, qui ſoli ſibi eloquentiam vindicare ſolet.

INepte, vecors, impudens magiſtelle,
Dictator imperitæ pubis indoctæ,
Cui dexteram armat quotquot occidunt ſoles
Immane ſceptrum; non Vlyſſicum ſceptrum,
Nec quale quondam Tethyos puer magnæ

Iuraſſe

Iuraſſe fertur, contumeliis fractus;
Sed expedita, ſed ſuperba, ſed longa
Minaxque ferula : cui modeſtiæ cuſtos
Et prima nutrix virgidemia accedit ;
Terror juventæ, clunium fatigatrix:
Quid in diſertos probra dirigis vates,
Viroſque damnas pædagogico faſtu
Quos fama cœlo conſecravit & virtus,
Laudemque ſolus eloquentiæ poſcis ?
Pone hanc inepte noctuine perſonam,
Omitte curam. non capit decus tantum
Vmbra atque pulvis. Pectus intrat auguſtum
Sublime, pulchrum, diſſimillimum veſtro,
Herous ardor. qui ſcientiis paſtus,
Et educatus fruge plurima rerum,
Oratione maſcula, ignea, audaci,
Et promiconda ſenſuum profundorum,
Torrente quovis concitatior fertur:
Sententiaſque vibrat impetu ingenti ;
Non ſaltitantes hiſtrionis in morem,
Verniliterque putidas, meras febres:
Sed indices vigoris, ingenî teſtes,
Queis verſat animos audientium & pectus:
Balliſta qualis aut molaris immenſa
Vi tortus, altas pulſat vrbium turres.
Seu copioſus fuſiorque delectat
Et Tullianus ſermo: ſeu magis ſtrictus,
Monſtrans lacertos, inſtar Herculis nudi.
Seu Socrateo melle depluit totus,
Lenis, venuſtus, Attico madens ſucco :
Seu cum Quirites æmulatur intonſos,
Et ſe Camillis omnibus parem præſtat,
Reſtricta, caſta, dictionis auguſtæ,
Non delicata, nec procax, nec inſulſa,
Nec impedita, ſed ſevera majeſtas.

At tu imperitos, vel, miſer, capillatos,
Iejunitate dictionis oblecta.
Cujus, ſupina, mollis, oſcitans, fracta,
Elumbis, ægra, vixque anhelitum ducens,
Equi labantis inſtar, aut bovis feſſi,
Vix inchoato qui fatiſcit in clivo,
Poſtquam in ſoporem collocavit aſtanteis
Oratio, non deficit, ſed expirat.

AD SVAVISSIMAM PVELLAM.

DVlcis puella, mentis vltimus noſtræ
Et ſerus ardor, quo calebimus ſemper,
Donec süave flammeæ jubar lucis
Phœbique lætos intuebimur vultus;
Puella dulcis, cum volentibus Parcis
Nunc hanc ſupremam mittimus tibi vocem.
Non quo rigentem cautis inſtar immotæ,
Magiſque ſurdam prœliantibus ventis
Et fluctuante tangat Hadria mentem:
Sed vt ſuperba, ſæva, pertinax, dura,
Nunc hoc triumpho perfruaris extremo.
Vale cruenta. nos vagabimur poſthac
Terras per omnes, exules tui vultus,
Simulque patriæ: poſteriſque venturis
Non eluendum judicabimur tantæ
Ferocitatis & ſuperbiæ crimen.
At tu proterva ſpernis aure quas jacto,
Preceſque ventis impotentibus fundo.
Quodcunque vota ſidus opprimit noſtra,
Et hactenus fruſtratur irritam mentem,
Seu troſſulorum nil agentium turba,
Faſtidioſa, illitterata, deſultrix,
Infeſta Muſis, ſeu ferociæ mater

For-

Formæ venuſtas, ingenique vis larga,
Sive improbarum virginum comes turba,
Quæ tinnientes & loquaculæ ſemper,
Nil præter enſes cum comantibus criſtis
Et glorioſos ſomniant cataphractos;
Virtus repelli neſcit. altior quovis
Majorque caſu, ſola frangitur nunquam,
Nec ad tribunal ſiſtitur puellare;
Supra ſecures imperantium & faſces.
Hac fretus & munitus vnica dote,
Quocunque nos Fortuna quo ferent venti,
Sim naufragus, ſim nudus omnium atque expers;
Reges procabor, & domeſticos regum.

IN
ROCHI HONERDI,

ſupremæ Curiæ Senatoris Thamaram & Auriacum, Tragœdias.

AVguſtioris inclytum togæ lumen,
Decuſque cuncta temperantis Aſtrææ,
Quæ veritatis lance librat exacta
Momenta legū judicemq; non audit,
Nunc & Camœnis grande pondus Honerdi,
Autoritate vel daturus exemplo;
Sic te per omnes fama ſpargat ætates,
Nomenque mille ſæculis tuum tradat,
Vt nos faventeis ſenſibuſque defixos,
Facunde vates, in tuas rapis laudes:

Dum

Dum carmen audax exeris cothurnatum
Inter libellos & fori graveis curas.
Talis Sophocles, Atticæ parens ſcenæ,
Nunc civitati jura dixit & leges,
Nec indiſerto flexit ore Theſidas:
Nunc in theatro, meta laudis humanæ,
Famam Tragœdi publico tulit plauſu.
Vis quippe rerum, tum ſevera majeſtas
In vate, ſervant non minus Senatorem,
Togæque princeps, ſyrma geſtat atque implet:
Sive impotentes voce laſſat Ajaces,
Cædemve jactat & nefas Oreſteum,
Virumque matris tradit Oedipum famæ,
Omneſque vexat nænias poëtarum.
Te ſanctus ardor aut Batava libertas,
Ad alta natum, ſemovent rudi vulgo.
Et nunc ruentis grande Belgicæ fulcrum,
Ingenſque terror æſtuantis Albani,
Naſſoviorum Martiale tormentum,
Per te ſuperſtes atque in ora venturus,
Altum ſupremo pulpitum gradu tundit;
Olim juventæ primus impetus noſtræ.
Nunc ſanctiore concitatus afflatu
Reges adornas & duces Idumæos,
Phædraſque & omnes dedocet Clytemneſtras
Sonare vates, impiaſque Medeas,
Indigna ſtupro, ſed tamen ſtuprum paſſa
A fratre virgo; nata maximi regum,
Summique vatum: ſceptra quem pedo quondam
Mutaſſe ſacræ credimus vetuſtati.
Ne deſit horror & ſcelus theatrale,
Pietaſque vatis, legibus ſuis conſtet:
Vatis ſeveri, qui Deo vovet tempus
Quod ociatur, patriæque quod ceſſat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In Rempubl. & vrbem

BRUGENSEM,

cum ab ejus

MAGISTRATU

publice aliquoties honorificentiſſime exceptus eſſet.

AMœna princeps vrbium venuſtarum,
Quaſcunque Belga Sol tuetur & luſtrat,
Aquoſa Bruge, magna mater & nutrix
Æternitatis, officina Muſarum,
Opes Minervæ, patrimonium Phœbi,
Quam prona adorat vultibuſque ſummiſſis
Gens litterata, gens vbique diffuſa,
Et ordo non plebejus eruditorum:
Cui non benigna certet ingenî laude,
Largaque meſſe copiaque doctorum,
Vrbs Celtibera, non Libyſſa, non Graja,
Non imperatrix ipſa gentium Roma
Potens alumnis, quaſque poſſident vſquam
Remi nepotes & potentis Æneæ.
Non civitatum quicquid eſt remotarum
Sub axe noſtro, vel ſub axe non noſtro.
Hæc invidendas jactet ædium moles
Aptaſque cœlo, mercimoniis felix
Sit hæc vel illa. Tu Mekerkios, Diva,
Fruterioſque, nobileſque Rævardos,
Pamelioſque, Curtiumque non vnum,
Vulcanioſque, Modioſque, tu Nanſî
Iacta labores cum l boribus Colvî.
Meoſque amores dulce Lernutî pectus,
Cui vitam Hyella, cui Cupidinum tela
Debent ocelli: cui lepos Dioneus,

Et baſiorum ſuaveolentium nectar:
Tu tranſmarinis artibus Pelaſgorum
Linguaque tinctum pectus acre VVingardi,
Pluresque, quos laus conſecravit & fama
Ævo nepotum ſæculoque venturo.
His, Diva, ſi quid noſtra tinniet pulchrum
Et audiendum, nota poſteris, Muſa,
Dignumque laudis, Heinſium licet jungas.
Quem tu benigna comitate, vi blanda
Humanitatis & lubentiæ cunctæ,
Sic occupatum, Diva, ſic tenes vinctum,
Vt cæterarum ſi quid vrbium eſt vſquam
Sit inquilinus omnium, tuus civis.

AD
GUSTAVUM MAGNUM
Sereniſſ.
SUECORUM REGEM,
res in Germania gerentem, cum Panegyricum ſuum illi offerret.

REx ſumme Regum, terror orbis arma
Spes liberi, ſpes certa ſub jugum miſi
Septentrionis ominoſa tempeſtas, (de
Quã pallet Auſter, vltimæ tremunt G
Adhuc adiri ſi vacas, nec immenſam
Auguſte, rerum cura diſtrahit mentem,
Seu jam Viſurgin, ſive nobilem Rhenum,
Sive Albin armis fulminas reluctantem,
Seu Mænus, & Viadrus, hinc & hinc feſſum,
Et Boius acer, & Moguntiæ civis,
Circumſtat; vt jam legibus tuis cedat,
Qu

Quicunque nuper viribus tuis ceſſit;
Seu torvus Iſter inclytam parat laurum,
Vbiique, limes vltimus ſubactorum;
Seu gratulantum vocibus locum præbet
Obſeſſa populi comitate majeſtas ;
Hæc victor oculo, ſed benignus, admitte,
Qui cuncta flectit, cuncta dirigit ſolus:
Non è cathedra pulpitoque prolata,
Vt ſedem in arctam convocatus auditor,
Et eruditæ circulus juventutis,
Tranſmiſſa mente & aure non ſatis fida,
Oblivioni vel ſilentio tradat:
Sed orbe coram, vaſta qua patet tellus :
Quæ tota vix quas ſolvit exprimit laudes,
Et quem videt ſtupetque non capit tota.

IN VRBEM BREDANAM,

immenſo ſumptu ac poſt longum tempus ab Hiſpanis vix expugnatam, deinde paucis poſt abſoluta obſidionis munimenta diebus à

PRINCIPE AURIACO

expugnatam.

VRbs illa, belli præmiumque virtutis,
Et alea anceps hinc & hinc tot annorum,
Cui nil ſecundum, nil ferocius quicquam
Munitiuſve Belga ſuſpicit noſter,
Quam regno Iberus vix redemit, & lenta
Decemque & vltra menſium fame preſſit,
Hæreditas auguſta gentis invictæ,
Priſcumque Achillis patrimonium noſtri,
Quo nixa ſpirat eminetque libertas,

Robur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Roburque ſumit, æmulantibus major,
Mox officina cladium tot annorum,
Syrtiſque & atrox navigantium peſtis,
Opinione civium prius, ferro
Tentata, Domini nutibus ſui ceſſit:
Ipſumque ſenſit imperantis adventum.
Parere dicas, non ſequi, reluctando:
Illum intonantem mœnibus ſibi clauſis,
Suiſque, qualis impetu minax toto
Inobſequentes Iupiter ferit terras,
Pugnare non jam, ſed jubere quæ vellet.
Vix hoc Batavus ipſe, vix Iber, totus
Vix credit orbis: ipſa vix ſibi credit
Ignara ſervitutis, ac ſui compos.
Inſtar procellæ quippe, vel polo rupti
Et ominoſi fulguris, ſuos ductor
Seque acer anteceſſit. vtque ſic hoſti
Suam probaret, debitamque, non armis
Succeſſibuſque, ſed domeſticum pignus;
Fremente Ibero, copiiſque, quas omnis
Adverſa noſtris viribus fovet tellus,
Plenus paterni ſanguinis, ſui plenus,
Veniendo tantum vicit, & triumphavit.

AMICE LECTOR,

Quoſdam Hipponacteos, ſeu, claudicantes, inter Extemporalia invenies. Interim concluſionis loco, rectos hos qui in ſuperiori editione legebantur, non vt partem libri, ſed ſeorſim, hic reliquimus.

AD
DOMINICUM BAUDIUM,
in obitum vxoris, Iambi recti ἀρχαΐζοντες.

SEveritatis temperator & joci
Venuſte Baudi, cujus imbre nectaris
Meroque melle ſcripta perpluit Venus,
Et dicta, & omne quicquid eſt vſquam tui;
Non tranſinarina, non Pelaſga, ſed Quiris,
Remique neptis, ipſave Æneæ parens;
Qualiſque ſolis ſtat videnda Gratiis,
Carens amictus, non venuſtatum tamen;
Peculioque corporis dives ſui,
Privaque laude; non potens odoribus
Offuciaque, quam magis plebes colit;
Quis advocatus non vt expedit Deus,
Expectoravit ſpiritum tibi marem,
Nervoſque mentis, & lubidinem viri;
Dum fata mœſtus comparis gemis tuæ,
Quam compotivit Aggerontis Dis pater?
Quæ nunc oberrat regna per Proſerpinæ
Sacroſque campos, & Deis gratum nemus;
Dilecta tantum, quantùm amabitur brevi
Aut Phyllis, aut cenſenda moribus Chlöe:
Vel ſi quod vſquam myrothecium videt
Facetiarum Phœbus aut Dieſpiter;
Vel Luna mater: ſive Lucinam velis,
Quæ partumeis præſidet puerperis;
Fœcundus heros, ſeminiſque Baudii
Non invidere certus indigentibus.
Quæ te süavi prole mactabit patrem,
Et morſicatim flammeis labellulis

Adraſi-

Adluſitabit, & columbatim premet
Os illud, ipſis ambiendum Gratiis.
Amplexibuſque vinnulis venuſtulis,
Et delicatis baſiationibus,
Catulliana qualis extitit ſeges,
Diſſuaviabit vſque : ſive cum paras
Quid muginari dulce, ſive ingratiis.
Hac ſpe querelas & ſupercilî Chaos
Remitte nobis. nec bimater Evius
Curas edaces execratus & gravem
Mentis ſenectam, deſit in partes ſuas;
Præſtes choreæ, ſeminarium joci,
Ludi tribunus, Cypridis coagulum,
Et dux amoris, & choragus gaudii.
Vergenſque primum cymbiis pauxillulis
Minutuliſque, rem pitiſſando gére:
Carcheſiiſque littus extremum lege :
Dum pectus ægrum vim ſalutarem fugit,
Manumque vitat, & favet doloribus.
Non immodeſtis non capacibus ſcyphis,
Hylæus olim quos amabat & Pholus;
Sed parciore, ſed verecundo Deo.
Vt navita olim palmulis radit ſolum,
Cautuſque vitat impotentia freta,
Dum ponit vnda, dumque Iupiter pedem
Vtrumque poſcit. Sive Rheni diligis
Süave nectar: ſive quod Celtæ ferunt.
Ni fors Ibera mavelis vel Cretica;
Cenſor peritus arbiterque non levis,
Fugaxque numquam nec relictor agminum,
Cum Bacchus & res ſtrennuum poſcit virum :
Sed innocentis gaudii memor tamen,
Et obſeratæ non amicus amphoræ,
Lamnæque, terris quam Deus recondidit.
Sic flore ſenſim toxicoque Liberi

Et hoc

Et hoc veneno faſcinatoris meri,
Seu Marſa abactus Theſſalaque nænia,
nominatus ibit in ventum dolor,
Et anxitudo mentis, & moleſtiæ.
Hac lege noſtram mancupo tibi fidem,
aratus omne, quod moves, periculum
ubire tecum: ſive parcenti manu
tat velitari; ſeu meracioribus
Mentem lubido eſt ſauciare ductibus:
Curaſque, & omne quicquid ægrimoniæ eſt,
Primo pedatu diſſipare te paras;
Eliminatus vt ſtruat mœror pedem,
Et ſe relictis migret è præcordiis.
Non inficeti combibonis vt vicem,
Quem non Camœnæ non venuſtates vident
Xanthique potor intuetur Delius,
Vterque Bacchas ante bacchantes eat
nſaniendo: verum, amabilem in modum,
Et qualis olim fertur antiqui ſenis
Nataſſe virtus, Theſſalas inter tubas
Et civico cruore manantis manus.
Aut Sophroniſci comis vt ſuevit puer,
Medulla fandi, blanda Siren & Venus,
Nil ſcire doctus, omnium gnarus tamen:
Quem Cliniæ propago, quem rorans merum
Demit ſeveris, & venuſtis adſtruit.
Cenſen', quid vmbræ fabulæque imagines,
Et faſtuoſæ gens gerat Proſerpinæ,
Quos Cnoſſii quos Æaci damnet forum,
Minoſque diris additus nocentibus,
Curare vivos? An mori virum decet,
Et eſſe luci quam trahis ſuperſtitem?
Trux & ſeverus adſidet furentibus
Mœſtuſque ſemper. Occidit ſanguen Iovis,
Et tot ſub vndis volvit ingentis viros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Liquor Scamandri: flevit immanem Hectorem
Conjunx parenſque. fluctus vt fluctum trahit,
Lunæque pergunt interire, ſic abit
Mortale ſæclum. lex venit naſcentibus,
Necis potiri, cum jubet neceſſitas,
Pauſamque vitæ primus involvit dies.
Quod ſi benignus ejulatuum, genas
Et ora turpi rore commendes miſer,
Puerpuræque vel ſecundus præficæ,
Plangore cuncta mœſtus incendas tuo
Leſſuque inani; num minus ſtat atrium
Crudele Ditis, & riget ferro domus,
Quam triplici cervice pellatrat canis,
Damnaſque longi Siſyphus moliminis
Et inſolentis Tantali colit furor?
Vin' eſſe temet legis æternæ excipem,
Tuoſque tantum? Fors & expetit tibi,
Functam labore, nunc fruiſci gaudio,
Lætamque divis intereſſe cœtibus;
Quæ mille peſtis corpore anclavit ſuo,
Neciſque mille. Nec potentior lues
Vinci dolentem preſſit Alceidæ manum,
Toroſque, & acrem pectoris valentiam,
Et diſcolorem exſorbuit vim ſanguinis:
Cum triſte munus Oenei partu ſatæ
Eviſceravit bajulum cœli virum.
Sic vſque noctu ſæviebat & die
Qui viſcera olli cæcus ambedit dolor.
Quo victa ſæpe, nec potens ſilentii,
Impoſque fandi, ſed quiritari memor,
Feſtivitatis indolem ſtitit tuæ;
Vagore vitam flebili evitans tibi,
Et ominoſis ejulationibus.
Quæ noxia eſſe noxa vatibus ſolet,
Bonæque menti non levem fraudem creat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Verum vt relabar ad venuſtates tuas,
Orſuſque ſocco nil cothurnatum crepem:
Sed qualis olim Davus in ſcenam venit
Lippum Simonem tangere audax & vafer,
Vel quæ talento Pythias mungit ſenem,
Cum captat auras & ſubinde humum fugit:
Nunc compedum ſolutus & triſtis jugi
Liber vagaris, quo ſerenus impetus
Et nata magnis indoles mentem trahit,
Dotis benignæ candidatus & cliens.
Hanc eſſe quippe natio mortalium
Ætati agundæ non inutilem autumat;
Et jus fateri eſt. ni Trebatius gravis,
Conſultus æqui, juris antiqui ſciens,
Diſſentienteis oggeris ſententias.
Hæc & tepentis ſuſcitabulum foci,
Dapiſque blandæ præbitrix eſt & meri,
Columna vitæ, dulce fulcimen domus.
Hoc inſtitores & propolarum manus
Et gens inepta ſarcinatores viri,
Copæque avaræ, maxumæ vatum cruces,
Negant negare: queis, venuſtis verſibus
Ineruditam nunquam adiveris manum.
Non ſi trecentis, quotquot occidunt dies,
Puris jambis, aut trochæorum pede,
Amice, places lachrymare neſcias
Inelegantes inverecundas aves.
Sic ante doctas excubant ſemper fores,
Redire certæ, dum Moneta fulſerit
Regina rerum, maxumi proles Iovis,
Ne forte Divam deſpuas eimodi.
Non vt ſeverus Euclionis in modum,
Vivas ſepulti pertinax nomiſmatis,
Sed lætus vſu, nec moleſtus promere.
Nunc intueri nec pudor nec fas vetat,

Si quid venuſtum, ſi quid inclutum veget,
Genaſque, & ora, virgineſque pupulas
Coram arbitrari, verbaque elegantia,
Et æſtimare ſi quid in ſinu latet;
Sententiamque ferre de tot voltibus,
Quot Cypris vſquam Cypridiſque por videt:
Pedemque figere in puellarum choris,
Feſtivitatis non peregrinæ virum.
Hæc eſſe quidni ſuſpicer nectar tibi,
Et lac, & omni dulcius papavere?
Si nec leæna nec tibi mammam dedit
Hyrcana tigris: nec ferocientibus
Septentrionis intonata filiis
Immitis vnda pectus eduxit tuum:
Sed blanda mater, & Camœnarum chorus,
Feſtivitatis lene momen inſitæ
Et dulce flabrum. Cynthius triſteis negat
Amare poſſe, nec favet mœrentibus.
Liber ſeveros ſemovet thyrſo viros,
Aptus choreis & ſuavibus jocis,
Putumque nectar lachrymantibus dedit,
Fugare curas. hoc trucidat vim mali,
Internecatque ſi quid in venis latet,
Solvitque habenas & guberna pectoris,
Cum lene ſerpit, & cerebri fit potens.
Tum mens vagatur, & Iovis tentat domum,
Vehitque nubes inter, & vitat ſolum.
Tum Spes amica gliſcit: alma Veritas
Tinnire docta quicquid in ſolum venit,
Fideſque regnat. cornua aſſumit miſer,
Abitque turpis in dierectum dolor.
Hæc inter arma blanda Liberi patris
Humens ſubinde lingua ſuaviter ſeret,
Arguta leni rore pellacis Dei,
Quem ſenſit Indus, & minata vim polo

Terræ juventus, Rhœcus & torvus Mimas,
Ipſaſque voces irrigabimus mero,
Vmbramque guttis: quæ ſub ingenti ſpecu
Magnæ parentis ſicca temeti jacet.
Vovebimuſque, terra tam levis premat
Caput beatum, quam ſibi vixit gravis;
Dum dulce cœli lumen hauſit & diem,
Compos doloris vſque & ægrimoniæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII

ODARUM LIBER

N.V. JOANNI FORESTIO,

Supremæ Curiæ Senatori.

N*Vnquam anteacti temporis recordor quin inprimis illud, quo ſuaviſsime vna viximus, in mentem veniat: quo eodem animo in iiſdem aliquamdiu ædibus ſic viximus, vt eaſdem diſciplinas ac autores pariter evolveremus, Græcos autem vel inprimis, quos ſcientiarum principes ac veros duces, cum non ignorares, accuratam iis ac non interruptam noctes dieſque operam navabas, Ante cæteros Homero. quem quo loco habuerint antiqui, ignorare ſtudioſus omnium non poteras. Quæ præludia cum gravioribus ſcientiis feliciter ac optimo ſucceſſu præmiſiſſes, optime de patria tot annos meritus; Supremæ nuper Curiæ proceribus aſſcribi meruiſti. De quibus, vt & ſummis tum virtutibus tum eruditione tua, aliquando fuſius acturi cum ſimus, patere interim vt hic libellus, qui nunc primum cæteris accedit, præmittatur. In quo Odas aliquot, & plures quidem Græco charactere ſcriptas, exhibemus. Quem cum leges, antiquorum ſimul ſtudiorum, & exacti*

exacti pariter nobiſcum temporis memoriam, gratiſſima, ut ſpero, recordatione revocabis ac repræſentabis tibi: ejus vero vel inprimis, qui, quem non mutavit animum, tot novis ac recentibus præſertim beneficiis obſtrictum, obiter ſic offerendum, imo conſecrandum, judicavit. Vale noſtrum decus.

 ODE,

ODE,

Ad Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Virum

DOMINICUM MOLINUM

Patricium Venetum, de Sereniſſ. ac Invictiſſima Venetorum Rep. deque ejuſdem Reipublicæ Optimatum, ac inprimis Aloïſii Molini, fortitudine ac conſtantia.

DVm Belga pubes, agminibus parat
Aſſcripta veſtris, nomen ad vltimas
Illuſtre terras, Hiſtriamque
Imperio levat impotenti;
Sunt & Camœnas munia quæ decent
Moline. nec nos, inſoliti licet
Bellorum, & audacis Gradivi,
Fœderibus ſociiſque pactis
Arcemur. eſt & res animi, neque
Servire nati nec trepidi, metum
Exoſa libertatis arma,
Et Venetos memorare honores.
Laudanda virtus, diſſimiles fugit
Turpeſque mentes. non ego degener,
Nec laudis intactus calore,
Auſpiciis tituliſque veſtris
Dicam Pelaſgos, dicam Amathuntida
Ceſſiſſe quondam, regnaque quæ Iovi
Reptata, Phæacaſque, Pyrrhique
Imperium, dupliciſque Vlyſſei.
Dicam invidendos Oceani thoros,
Fremente Ibero, pactaque conjugis
Fidemque magnæ. quæ pudicis
Nereidum comitata turmis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ius dicit vndis: haud ſecus ac mari
Obſeſſa toto mater Achilleï,
Centumque conſtipata Divûm
Concilio, venerata Ponto
Formoſa Doris. nec mihi fas patres
Silere: nec fas, vt decus imperî
Fœtoſque majeſtate vultus
Purpurei trepident tyranni:
Vt hinc opaca rex Atheſis coma,
Vt inde Benacus, liquidum caput
Submittat; olim invictus, acer,
Indomitis animoſus armis.
Dicam ſuperbo munere Danduli
Adjecta Grajis mœnia, Boſphoro
Vicina: dicam Lauredani
Grandem animum, geminaſque palmas,
Nec raro in vndis immiſerabiles
Ceſſiſſe Thracas, regnaque Nereï
Perculſa; ſeu Zeni profundo,
Seu pius incubuit Cianus.
Cœlo receptum dicam Aloïſii
Pectus Molini. quo gravius nihil
Fundata libertas in vndis
Adriacis, animoque majus
Conſpexit: ex quo, conſilium potens
Pervicit autor, non prius obvium:
Antenoris quo tecta & aras
Hoſtibus eripuit pudendis.
Quanquam hinc Iberus, Marte minax gravi,
Hinc Cæſar, illinc Æneadûm parens
Inſtaret: hinc Celtæ cruentum
Vrbibus incuterent pavorem.
Quo lætum in auras Medoacus pater
Impune cœpit tollere verticem,

Sedemque manſuram Camœnæ
Euganeis reperêre in oris:
Dicam nepotes; hunc domiti maris
Clarum trophæis: hunc ſapientiæ
Invictum, & adverſis Ibero
Conſiliis patriæque amore,
Et cuiquam amœno cedere neſcium
Favore Muſarum. O neque ſordida
Contaminatus plebe ſanguis.
Nec thalami vitio minoris
Extinctus ardor! vt male Romuli
Permiſta tædis cum popularibus,
Stirps verſa retro, ſervientes
Imbuit obſequio nepotes.
Vobis, futuro quod ſupereſt, ferar
Vixiſſe. vobiſcum, integra ſi par at
Servire tellus, liber, imo
Vel medio tegar Hadriano.

In expeditionem

INDICAM

Ad Sereniſ. Venetorum Rempub. iiſdem modis, quibus ſæculare Horatii carmen ſub Auguſto à matronis Romanis cantatum ac ſaltatum eſt.

DIva, quam cœlo generatus alto
Trous Antenor, patriæ ſuperſtes
Fixit, æternamque dedit profundo in-
cumbere ponto,
Sæculis nec bis ſuperata ſex, nec
Vllius ferri metuens nec auri,
Thrax licet, totoque animoſus Indo
Inſtet adulter

Virgi-

Virgini intactæ; ferus ille & acer
Et maris terræque tremor Latinæ:
Boſphoro ſi qua movet, & vadoſum
Circuit æquor;
Mille Grajarum dominatus vrbium;
Hic fugax bello, meliorque furto,
Callidus tactas precio redemptor
Vertere mentes:
Sit modus ferro Superos precamur
Civico. noti coëant in vnum
Auſones: juncti coëant amici in
Fœdera Belgæ.
Sive quos priſco tenet obligatos
Servitus Regi, patiens jugari:
Sive, quos ſanguis melior ſuperbum
Egit in hoſtem.
Quicquid è Trojâ ſupereſt, ſuperſit
Hadriâ in magno, dominumque fractis
Rebus Æneæ, ſociatus illic
Arceat hoſtis.
Omnis Hiſpanum premat inſtitorem
Mota libertas, ratibuſque Iberi
Fomitem belli populemus Indum
Lecta juventus.
Hoc parens ſeros agat obſecratus
Poſteros, qua cæruleum cubile
Sol adit pronus, croceuſque Eoo
Surgit ab ortu.
Hoc ſuis matres præeant alumnis,
Hoc ſciat nutrix, & adulta virgo:
Nulla pax terris niſi poſt ſubactum
Reſtat Iberum.

AD REINERUM BONTIUM,

amicorum ſuaviſſimum, hoſpitem ſuum, diſceſſurus: Invidiam paſci in vivos, mortuis parcere.

IAm ter benignum ver aperit caput,
Et ter nivali ſidere Iupiter
Decuſſit arbuſtis honorem,
Et viridem foliis juventam;
Ex quo beatis ocia ducimus
Inſcripta Muſis, optime Reineri,
Et dura curarum peroſi, &
Carnifices animi dolores.
Sæpe innocenti lætitia diem
Et non ſeveri munera Liberi
Traxiſſe tecum, ſæpe totas
Dulcibus eloquiis recordor
Iunxiſſe noctes; candidus ingenî,
Et ſi quam amica fata dabunt viam,
Nec inclytæ pulchræque laudis,
Nec decoris moriturus expers.
Sed livor altis ceu comes additus
Incumbit auſis, nec timet igneas
Tentare victuraſque mentes,
Dum ſupereſt, patiturque cerni
Mortale corpus. mox vbi corpori
Tardo ſuperſtes ſpiritus, æthera
Perrupit, & victrix ſepulchri
Calcat humum, populoſque fama
Volat per omnes; ſtat procul & premit
Os turpe vulgus: nec tumulum petit,
Nec tangit æternos honores,
Et cinerem prope conſecratum,

Favetque

Favetque rapto. ſic Semeles puer
Sævam Lycurgi ſuſtinuit manum :
Sic magnus Alceides, ſupremum
Comperit invidiam domari
Non ante buſtum. mors rabiem domat,
Redditque ſeris præmia manibus
Non ante conceſſura vivo
Gloria, quod dabit interempto.
Hic ordo rerum eſt. Non ego quem vides,
Amice Bonti, dedecus aut pudor
Egiſſe ſub tectis iiſdem
Arguar, aut male notus hoſpes.
Seu me beatum Socraticæ ferent
Vixiſſe chartæ, ſeu tibi credita
Stagira, ſeu duri Cleanthis
Porticus, & rigidi Catonis:
Seu Diva Golgon quæ colit & Paphon,
Olim juventæ pars melior meæ,
Tranſmittet in ſeros nepotes
Innocuum lepidumque nomen;
Seu quicquid olim moliar arduum,
Phœbi ſacerdos immeritus mori :
Nec Tænarum poſt fata & vrnam,
Nec tacitum ſubiturus amnem.
Non ſi trecentis invida ſibilis
Attollat ora imbellis inertia,
Quam vertere in ſe cogit arma
Impatiens popularis auræ
Laudumque virtus; conſilii tenax,
Solamque honeſti currere ſemitam
Perſuaſa : nec ceſſura retro
Plebis ad arbitrium volentis.
At tu, nihil quo candidius polum,
Pulchramque Phœbi conſpicit orbitam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quem fata diſiungunt dolentem,
Pectore conſtituas amicum.
Nec auſpicati fœderis immemor,
Ventis amorem trade rapacibus,
Quem poſteri diſcent, nec vno
Fama loquax celebrabit ævo.
Hac lege, menſam ſæpe ſub vltimam,
Cum vina regnant, totaque mens patet,
Infunde crateræ capaci
Dulcis amicitiæ liquorem.

AD

ERRYCIUM PUTEANUM,

hoſpitem, & intimum amicorum.

NOn ſic Oreſti fidus aſtitit ſuo
Phocæa quem tellus tulit,
Cum matris igne vultibuſque territus
Laſſavit vltrices Deas; (larem,
Quanta, hoſpitalem poſtquam inivimus
Tecum mihi concordia eſt.
Non ſi per igneis ire candenteis pares,
Amice, & vltimum latus
Septentrionis defatigatum minis,
Et aſpero crudum gelu,
Vel qua vagantem preſſit Alcides pedem,
Gadeſque terrarum extimæ
Ponto cadentes audiunt Phœbi rotas;
Ignavus accurram comes.
Nec ſi leænæ vis reſurgat igneæ,
Capramque conjungat leæ,
Dapeſque noſtras ore & vnguibus trahant
Ditis venenoſæ ſtriges,

Quales

Quales paratis aſtitere ferculis,
  Profana Phinei cohors,
Vſquam revellar. ſic potentibus Deis,
  Sic Delio viſum fuit.
Nec ſi trilinguis Tænarum ſervet canis,
  Audacis Alcidæ labos;
Tecum recuſem, Puteane, pallidas
  Inviſere Vmbrarum domos,
Sedeſque noctis, impiiſque manibus
  Inenatabilem Styga.
O & meorum prima pars ſodalium,
  Sacrumque poſteris caput!
Non vt tremiſcas triſte livoris malum,
  Et ſæculi diras aves,
Quas imperita tollit indignatio
  In proximum cœlo genus,
Aut inchoatis hactenus laboribus
  Muſiſque ſubtrahas manum:
Sed vt ſuperbus inter ignavos eas:
  Adoreaque nobilis
Ipſoque laudis gloriæque lumine
  Imbelle proteras pecus:
Qualis miniſtra fulminatoris Dei
  Cum credidit cœlo caput,
In altiora fertur; obſtrepentium
  Secura, quas tellus habet:
Nubeſque penna ſcindit, & flammam Iovis
  Contra intueri nil pavet.
Vel vt cruentis per jocum vibicibus,
  Qualis Lycambeus gener,
Premas inertes; ſive pungendo lubet,
  Seu forte cæſim mavoles:
Non parcere vllis certus invidentibus;
  Virtute ſat potens tua.

Seu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Seu te Menippi ſeu Bionei juvant
  Non inverecundi ſales,
Nihil dature longa quod mergat dies
  Aut impotens oblivio;
Ipſo furore major allatrantium:
  Vt ſæva tigris aut aper
Abit moloſſos inter, & pedem ſtruit,
  Dentis relicturus notam.

AD
GILBERTUM IACCHÆUM,
Philoſophiæ Profeſſorem: cum ſupremum in Medicina gradum conſecuturus eſſet.

QValem per æſtuantis Africæ ſinum,
  Inſana quem torret dies,
Pugnæ lubido, vel dapis crudæ, rapit
  Interritæ prolem leæ;
Seu mugientes inter aſtitit greges,
  Taurumque luctantem premit,
Oviliumve pervagator omnium,
  Fert molle balantum pecus;
Talem ſciendi fervor atque audax calor
  Mentem penetravit tuam,
Amice, magnis prædicande vatibus,
  Nec vnius Phœbi decus.
O cui parentis ſacra Naturæ parum eſt,
  Cauſaſque noviſſe & modos:
Quas cæca Phœbe Nereo reddat vices,
  Cum ſponte cedentes aquæ
Fugêre littus quotquot occidunt dies,
  Rurſuſque tellurem premunt:
Gens vnde tantas Aeoli tollat minas,
  Terram quis impellat tremor.

Quæ

Quæ civitatem cura firmet & ſtatus,
  Invicta quem virtus beet:
Ni nunc per herbas & medendi munia
  Machaonis curæ trahant:
Necemque ſiſtere & moram lintri dare
  Mortale quæ tollit genus,
Pulcher Cupido invitet & laudum ſitis.
  O omnia auſurum caput,
Quæcunque ſummo Pelii in cacumine
  Dictaſſe Chironem ferunt,
Poſtquam impotentis ſpiritus Achilleï
  Matri redonaſſet ſuæ,
Trojæ dolores Iliiſque mœnibus
  Suprema venturos mala:
Phœbique natum, cum manu retexuit
  Inexplicabileis colos,
Raptumque Diti Virbium terris dedit,
  Viragini munus Deæ.
Quos inter olim ſtabis, herbarum potens,
  Suprema gentium ſalus.
Sic profuturum fama fert Promethea
  Tentare cœleſtes domos,
Ignemque terris tranſdere ignaro Iove,
  Noſtris quod accedat bonis:
Ni mille peſtes, mille morborum agmina
  Diram ſecuta ſint manum,
Febriſque multa, quæque divinam lues
  Partem venenorum trahit.
Quas ire contra, nec pedem retro dare,
  Gentis tuæ memor, para.
Non te tacebit poſteris oblivio,
  Et cuncta qui livor premit.
Non Scotus audax, vnico minor Iove,
  Cum per recedenteis viros

Effudit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Effudit agmen: ſanguiniſque prodigus
Ardore Mavortis furit.
Non ſumma Thule: quæque gens Hiberniæ
Tellure conſumpta jacet.
Quorum ſuperbis additus præconiis
Illuſtre perluces jubar.

ODE PINDARICA,

in obitum Scævolæ Sammarthani, Galli.

STROPHE.

MAter mea,
Divûm genitrix regia Ganda,
Quam ſæpe Parnaſſi novis
Floribus ac ſertis,
Freti juventa dulcibuſque Muſis,
Qualia Phœbeæ volucres
Gratiarum amœnis
Sublegunt ex hortis,
Decoramus; nunc, mea Mater,
Haud vſitatam gentibus Italis
Deprome paxillo chelyn,
Carminis Auſonii reginam.
Qua quondam Dircæus olor,
Devio calore raptus,
Iſmeni nobilis amnem
Perſonuit, dominaſque Thebas.

ANTISTROPHE.

Carmen novum,
Carmen querulum, flebile carmen,
Lugubre carmen poſcimur:
Quale tenebroſa

Seu populi, ſive ilicis, ſub vmbra,
Integrat infelix Ityli
Mater, invidenda
Artifex Muſæ per-
petuæ; ſeu pallida languet
Nox, ſeu relictas lux repetit vices.
„ Nam triſte fatorum ac grave
„ Omnibus incubuit ſemperque
„ In terris incumbet onus;
„ Invidum bonis. nec vnquam
„ Mortalis, legibus ſolutus
„ Extitit inferiæ paludis.

EPODVS.

At paucis immortalem
Sub pectore ignem accendit
Iapeti ſoboles divina :
Pauci trans Acheronta nigrum
Septemplicemque Avernum,
Se, populoſque ſuos,
Et reges, populi ductores,
Cum ſceptris, cumque tiaris,
Æternitatis in ſinu locarunt.
Quos inter, Sammartane, tuus
Flammeus emicuit vigor:
Sive Mantuanæ
Vectus alitis penna
Pulchram patriæ pubem educis :
Sive Thebanæ volucris
Æmulatus anfractum,
Ætherem natas, ſecaſque
Nubium avios tractus :
Sive animas, Muſis acceptas
Traduceſque cœli,

Fœcunda

Fœcunda mater Gallia quas dedit,
Nigro teneri non ſinis ſub Orco.

STROPHE.

Quod Thracia
Stirps Calliopes, inclyta cantu,
Voviſſe fruſtra creditur.
Namque ſub amplexu
Effluxit vmbra flebilis mariti.
Tu Styga, tu leges Triviæ,
Iuſque Ageſilæ ma-
gni, & fores haud vnquam
Reſeratas vatibus vllis,
Audax Deorum ſemen, amabili
Linguæ veneno, patriæ
Civibus innumeris, quos lethi
Involvit fatale chaos,
Pandere auſus es: tuoſque,
Magne heros, Tænaræ paludis
Solvere compedibus clientes.

ANTISTROPHE.

Rarum decus:
Quod poſteritas lege ſepulchri
Et longa ſubducet dies.
Me tamen, haud fruſtra
Longe ſub Hæmi nobiliſque Pindi
Saltibus edoctum choreas,
Et lyræ modos The-
banæ, amor pertentat,
Batavorum è littore curvo,
Quà bellicoſus cautibus aſſilit
Neptunus, allabi tuum

Ocyus ad tumulum, cum clango-
re ingenti. vt, cum purpurei
Fulminis ſatelles, inco-
la altorum montium, repente, ex
Aëre præcipitat profundo.

EPODVS.

Quam circum ſylüæ immenſæ
Omniſque clangit tellus,
Remigio volucri percuſſa.
Hic te, magnanimum patriæ
Triſtes levare curas
Viribus eloquii,
Aurigamque ſimul, Muſarum
Æternos flectere currus
Haud indecorum, voce canam ſuperba, il-
luſtri: quam late Europa parens
Audiet, & choreæ ſoror
Explicabit Echo.
,,Nata cœlitum virtus,
,,Famæ volucris læta amplexu
,,Creſcit, immenſi patiens
,,Temporis, neque infames
,,Horret æmulos, nec vllum
,,Dentis invidi morſum.
Quam tibi, perculſus virtute
Ebriuſque tanta,
Auro refulgentem vt pateram & mero,
Magni ſacerdos Delii propino.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ΕΠΙΜΙΚΤΟΝ,

ſive

V A G U M,

In obitum

Lectiſsimæ ſuaviſsimæque conjugis

ERMGARDIS RUTGERSIÆ.

Qualis avia turtur,
Viduata dulci compare infelix gemit,
Noctemque ducit triſtibus querelis,
Deſerta, miſera, nec modum
Ponit flebilibus modis;
Talis ego, mea Vita, mei
Neſcius, infelix, neque mentis
Compos miſeræ, ſolam vnamque,
Te mea quæro, te mea poſco,
Nec tamen invenio,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.
Si nobis ſua vota Deus ſuus,
Si fata importuna darent,
Qui nunc omnibus excidimus
Deſerti, miſerabiles,
Non ſaxum fierem, aut lapis,
Non arbos, neque avis vaga,
Sed lachrymæ, lachrymæ fierem,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.
Felix Niobe, felix Sipylo
Quæ deſtillat ab imo
Animi ſenſim vulnera mœſti,
Semperque liqueſcit
Indefeſſis anxia curis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sic liqueſcam, ſic ſeneſcam,
Nec peream, quamvis peream,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.
Mea Ermegardi, lux mea,
Quondam ferocientis
Domitrix invicta juventæ,
Cordis hujus machina, in-
expugnabilis, impotens,
Lex pudoris, officina temperantiæ, domus
Anchora vniverſæ,
Mentis hujus imperatrix, & triumphatrix mea,
Nunc animi laceri,
Fluctuantis, nec ſui,
Naufraga tempeſtas,
Cui me relinquis, ô mea,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi?
Si mori tecum haud licet,
Nam tecum decuit mori,
Vivendo liceat mori,
Dum vivimus, moriamur.
Memoria nobis, ſola quæ ſupereſt, tui,
Infixa manet ſenſibus imis,
Indomabilis, recens:
Et nova ſemper, ſemperque comes,
Amiſſa monſtrat, nec tamen exhibet:
Sed afflat, vrit, & necat, nec extinguit,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.
Communis quoties tori
Pignora aſpicio miſer,
Traduces tuos meoſque,
Imaginem ſolam tui;
Toties miſer videre
Te cogor, neque, quam volo,
Video, vt quondam,
Sed video, vt peream,

Imaginem ſolam tui.
Hoc quoque nunc ſupereſt,
Vt videam te, ne videam,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.
Si potuit manes arceſſere,
Eurydices, teneræ Eurydices,
Threïcius vates fidibus,
Soliſque Muſis Tænarus viam pandit;
Non aliud majus
Precium lyræ, meique,
Ardoriſque, Deos rogem,
Quam, vt tecum tumulo tegar,
Atque, vt tecum abeam, tecum obeam, miſer:
Vt, quocunque lubet, tecum abeam, mea,
Mea Ermegardi, dulcis Ermegardi.

Scolion in Invidiam.

INvidia, heroum comes,
Tecum ſim aſſidue, tecum habitem, Dea,
Nil natum meditans humi:
Seu gens inominata Sycophantæ,
Alumna noctis, imperitiæ tribuni,
Occulto in antris perſtrepunt veneno:
Seu Pædagogus Iupiter
Faſtus indomiti parens,
Animi ingentis, pulchri, immoti,
Vt puppis medium quæ ſecat Adriam,
Vtrumque percellit latus.
Sola nervos, ſola vires,
Sola ſpiritus inef-
fabiles, novos, miniſtras,
Sola tranſcribis polo.
Sic rigidi vigor Alcidæ
Monſtrorum domitorque ferarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sidera perrupit,
Dominæque Iuventæ
Roſeo ſedet in gremio,
Interque Divos,
Satur æthereo nectare & almæ
Ambroſiæ dapibus vagatur.
Sic Iuliades,
Cæſaris invicti ſoboles,
Humeris latrantum vocibuſque vectus,
Supra homines interque Deos radiat.
Sic Zulichemi mens ſibi conſcia
Integritatis, nec memor
Trahentis in ſe publicum Monetæ,
Nominis æterni genitrices
Iove prognatas,
Omnibus invitis,
Quos ambitio tenet attonitos,
Mediam traduxit in aulam:
Sic cœlo genitus calor
Graſvvinckelî, Batavis
Quem Delius Delphis dedit,
Cura major opum,
Subſidio vacuos omni,
Suo beat clentes,
Æmulantibus altior.
Haud ſecus ac croceum
Titan, mane novo
Cum ſurgit ab vnda,
Communicat omnibus aurum.
Invidia heroum comes,
Tecum ſim aſſidue, tecum habitem, Dea.

SCO-

SCOLION,

Sive Hymnus convivialis ἀρχαΐζων, in Amore
Græcorum more ſcriptus.

ACris, ignipotens Amor,
qui per freta ponti,
& terræ ſola
& ætherem volas profundum:
tibi ſquamigerum pecu,
tibi bucera ſæcla,
tibi ſimæ naribus capræ,
tibi cæſiorum folva vis leonum;
& pictæ famulant volucres.
vage, pinniger, ſagitta-
tor, levipes, domitor Deorum,
Volcanigena, Venerilligena,
arbiter lubentiarum
& doloris officina.
namque tuo ſimul ac
mens ſaucia deviavit œſtro,
ſanguen albet, ora pallent,
trepidat miſer animus.
tum virginibus, ſi qua matris
in complexibus hæſitavit, igna-
ra languidi furoris,
rubor pœniceus colorat ora,
lachrymæque prodeunt pau-
latim, doloris filiæ.
te ſeorſum, magne Divûm,
ſterilis labaſcit orbis,
& frangunt elementa fidem,
glutine cuncta tuo, quæ
vincta cohæreſcunt.
tuis namque pharetri-

pote

potens ſagittis,
ſaucius inclutus aër
dædalam procat parentem:
tum maxuma cœli
porta deſuper tonit,
læſuſque fulgurat Iovis,
Pluvioque rore de-
ſcendit, & Cererem parit,
& propaginis florum,
vitigenamque liquorem.
at juvenis, quoi facilem
pronus porrigis aurem,
olli pupula flagrans,
Veſca, non metuens viri,
nolle ſuppoſivit
iumidumque latuſculum,
pediſque pedibus pepigit & manibus manus.
rgo petulis ocellis,
x patentibus labris,
uæ riſus roſeus ſerenat,
x protervitas grata, ar-
utula vſque & vſque
lictat atque adluſitat.
bi illa molta, blanda,
lelicata geruntur.
nembra quippe lactea
enera tremula liquida
nollia conduplicantur.
olta juncta concaleſcunt
eneris cito gemitibus,
oncurruntque labellis
urpuræ fores labellorum.
nimæque murmurantes
io volnere victæ
landos trahunt ſuſpiritus:

donicum reſolutis
languidi cadunt medullis.
adſis ô teneri, ſuaviſoni, dux bone, gaudiis,
vage, pinniger, ſagitta-
tor, levipes, domitor Deorum,
Volcanigena, Venerilligena,
arbiter lubentiarum.

Librum Elegiarum, qui primus fuit hactenus, int
ea quæ ab adoleſcente ſcripta, infra ſeorſum e
hibentur, Lector inveniet.

DANIELIS HEINSII

ELEGIARUM

Liber I.

ADRIANO MANMAKERO, Equiti.

SIcut alÿ aliunde, ita nos plerumque ex ipſis literis remiſsionem petimus earum: & quã ex intentione animi moleſtiam haurimus, eam in voluptate ſtudiorum deponimus. quorum oblectationes ipſa eorum varietas ſuppeditat. Memini in Zelandia cum eſſemus, quo tum, cauſa nuptiarum clariſsimi amici, aliquot confluxeramus, ÿs de rebus crebro incidiſſe ſermones quæ tum agebantur, & hilaritati omnes, quoſdam etiam Amori, ne vel nihil vel aliud agerent, litaſſe. Convenerant quippe aliquot è ſequiore ſexu, vt honeſtæ, ita, non ſine genio & ſale: quod coagulum optimum nuptiarum eſſe creditur. Hæ ſermone, vt fit, & elegantia, animum pleriſque oculoſque oblectabant. Mihi quid evenerit neſcio, certe argumentum in quo luderem inveni: minime operoſum & moleſtum, ſed quod nuptiali feſto conveniret. ne vel plane illiteratum meum eſſet otium, aut à chartis aliena remiſsio. Equidem quemadmodum in vita nunquam mihi placuit philoſophus qui nunquam riſit; ita in ſcriptis eos probo,

qui cum Muſis gratias conjungunt, & lepores ſalva verecundia, venuſtatem citra obſcœnitatem, amant. Rerum naturam mihi vide. multa voluptati tempora, unum etjam amori dedit. Hyemis auſteritatem veris excipit amœnitas, quam amoris tempeſtatem jure dixeris. Aër quippe magnam omnium parentem ſuaviter amplectitur. quæ divini plena ſeminij, floſculos & herbas vſque ad delicias reddit. Aves, vt leviſſima naturæ progenies, ignem ſuum muſice fatentur, & ſimillimæ poetis, canunt quia vruntur. Nobis vltra oblectationem nihil quæritur, & ut quidam in vino & epulis præter hilaritatem nihil amant, comeſſationes vero & intemperantiam alijs relinquunt: ita nos fecimus, qui cum Muſis Deum hunc conjunximus, cujus cauſa eas alij relinquunt. Tibi autem ideo hæc inſcripſi. vel vt ſaltem agnoſcere beneficia videar, quæ non ſolvo: vel quod optime à malevolis tueri hæc poſſis, qui occaſionem eorum noſti. Vale.

Dan. Heinsii

ELEGIARVM

Liber I.

AD HADRIANVM MANMAKERVM.

SIc mihi concedat dubiam victoria palmam,
Nec veniat miſero Lælia dura mihi.
Sed qualem ſibi ſperet amans, cui pectora primum
Inſolito tetigit vulnere ſæva Venus,
Vt nimium faciles admiſi protinus ignes,
Et volui demens credulus eſſe tibi.
Laudabas viſæ nondum mihi lumina Nymphæ;
Laudabas oculos raraque verba Deæ,
Quæque verecundo primum diſtricta pudore,
Paulatim meminit lingua diſerta loqui.
Obſtupui, dubiuſque tuis in vocibus hæſi,
Et volui flammas antevenire meas.
Veſper erat: primas conjunxerat vndique formas,
Nos quoque qui fauſto ſidere junxit Hymen.
Nil mihi cum cunctis: placuit pro qualibet illa,
Et puto rivali proxima forte fuit.
Tum vero geminas hauſerunt pectora curas,
Et duplices motus mens generoſa tulit.
Diſpereat, ſi quis mediis ſecurus in vlnis
Alterius, dominæ colla videre poteſt.
Sic vbi par ſurgit, trepida gladiator arena
Emicat, & viſo cominus enſe venit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sic ruit in pugnam, totaſque exardet in iras
Et ſubito vires miles ab hoſte capit.
Sederat (hoc mœſtæ Thetidi donabat) Achilles,
In thalamo, cultu diſſimulante virum:
Cum male deſertos fleret Menelaus amores,
Et Danaas felix poſceret aura rates;
Nil poterat prudens, & erat facundus, Vlyſſes,
Et populo reditum ſic ſua fata dabant:
Hectora neſcio quis tecto vidiſſe paterno,
Rettulit, & galea tempora dura tegi:
Addidit & vultum, geſtuſque habitumque furentis,
Nec fors quem premeret diſſimulabat equum:
Protinus excuſſis gremio cum pectine telis,
Implevit validam Pelias haſta manum.
Me quoque, cum poſſem ſtimulos evadere amoris,
Æmulus admonuit, conſiliumque dedit.
Altera lux aderat, pariter convenimus ambo
In thalamum, memini, quo mea vita fuit.
Lælia non totos, vt eras, diſtincta capillos,
Pandebas faciles officioſa fores:
Spirabant oculi, præpepti munera ſomni,
Et ſpecies veræ ſimplicitatis erat.
Tum vero nimium tarde periiſſe putavi,
Et dolui quondam non potuiſſe capi.
Sic vbi formoſam thalamo prodire Lacænam,
Luminaque aſpexit ſemiadoperta Paris,
Languenteſque genas, & adhuc ſpirantia noctem
Optavit tenera cingere colla manu;
Protinus Oenonen zephyri rapuere notique,
Et Phrygios ignes ventus & vnda tulit. (phæ,
Vos quoque Lugdunum votereſque ignoſcite Nym-
Exciderant animo nomina veſtra meo.
Nos quoque trans ponti crudelia regna vocamur,
Nos quoque quo viſum eſt ventus & vnda feret.
Non tamen vt ventos metuam vel turpiter vndas.
Di fa-

Di faciant tanti Lælia poſſit emi.
Spectet anhelantem ſpecula rivalis ab alta,
Et timidis clauſas ſentiat eſſe vias.
Adnabo dominæ turres & littora nota,
Qua ſua natalem Veria monſtrat humum,
Veria cum flammis Groti victura meiſque,
Si modo quid noſtrum ſæcula ſera ferent.
Sat mihi ſi fidos non aſpernetur amores,
Et leviter dicat, Tu quoque noſter eris.
At tibi præſentem cui fas eſt cernere Divam,
Cui tractare oculis commoda noſtra licet;
Sic tibi Di faciles & ſint in amoribus æqui,
Nec veniat triſtis, ſed magis æqua, Venus:
Sic tua formoſum circundent brachia collum,
Cujus ab aſpectu luminibuſque peris;
Incipe gaudentem monitis formare puellam,
Et miſeri cauſam ſemper amantis age.
Illa meo diſcat paulatim carmine tangi,
Paulatim nimias ſpernere diſcat opes.
Et diſcat supereſſe ſibi: jamque altera cernat
Sæcula: nec vulgi ſpes velit eſſe ſuas.
Audeat à ſacris aliquid ſperare poëtis,
Et ſciat autores vatibus eſſe Deos.
Non ego te dominamque tuam ventura tacebunt
Tempora, nec blandam quam mihi ſiſtis opem.

ELEG. II.

Dij pereat, quiſquis pharetratum pinxit amorem,
Ne populis tantum cognitus eſſet Hymen,
Qui puero inſanas inſanior addidit alas,
Et pariter tædam ſævaque tela dedit.
Hinc temere erramus, levibuſque exercita ventis
Labitur, & portum noſtra carina fugit.
Non ſatis eſt caſtas thalami cognoſcere leges,

Et ſocios ritus, jura marita, ſequi :
Fecimus armatas aliquid non velle puellas,
Et vitio noſtro eſt lentus & aſper amor.
Optamus dominæ crudelem ſæpius iram,
Et metuunt nullas gaudia noſtra moras.
Nec ſimplex animi, nec ſemper callida tangit,
Nec ſemper facilis difficiliſve juvat.
Felices nimium, quos non operoſa voluptas
Occupat, & lætos innocuoſque tenet.
Ruſtica queis collum gravibus circumdidit vlnis
Vxor, & amplexu gaudia certa dedit.
Aſpicis ardentes vt ament in gramine tauri,
Et ſua de facili gaudia ſumat avis.
Nec ſtudium eſt illis, Veneris nec præmia deſunt,
Nec queritur clauſas ille vel illa fores
Quem ſimul hauſerunt, pariter poſuere furorem :
Et modus, & placidi finis amoris adeſt.
Me quoq; quam vellem thalamo contentus abiſſem,
Dum rudis & nullo ſaucius igne fui.
Aut ego neſcirem quid vatum numina poſſint,
Nec mihi cinxiſſet laurea ſerta caput.
Scilicet è multis aliqua conjungerer vnus,
Nec mihi pro tæda quilibet eſſet amor.
Nunc nocet autores flammæ coluiſſe Camœnas,
Et toties quovis, & ſine lege, feror.
Non aliter, nondum teneri ſecurus amoris
Expertuſque tuam Creſſa puella manum,
Conſtitit Ægides: aditum cum mille dederunt,
Et totidem reditum præripuere viæ.
Nos quoque reſpiciat de tot nunc millibus vna,
Quæ dubio certum reddere poſſit iter.
Et faciem vidi, quam nec contemnere poſſum,
Et vidi geminas, ſidera noſtra, faces.
Reſpicias noſtros felix Ariadna labores,
Nec mihi crudelis, blanda puella, veni.

Nil mihi cum Theſeo , nec curvo in littore Naxî
  Vela per immites ire videbis aquas:
Solaque nequicquam volucres teſtata marinas,
  Perfidiam rupta veſte querere meam.
Nec mea ridentes invadent oſcula Panes,
  Nec mihi deſerto Bacche fruere thoro.
Sit licet & Penthei nex & mihi nota Lycurgi,
  Et cadat ante tuos India tota pedes:
Nec male mordaces credatur tollere curas
  Tempora pampineus qui tua cingit odor.
Et mihi jam certo præeunt in amore poëtæ,
  Et ſtabilem fixit Grotius ante ratem.
Ibimus ô felix tua per veſtigia vates,
  Ne ſapiens ſoli non videare mihi.
Cur tibi dum caſtis aliquid tentatur in vlnis,
  Ocia nos præſtet deſidioſa ſequi?
Cur toties ſpectem miſero tua gaudia vultu,
  Quæ tibi ſecurus gaudia præſtat Hymen?
Aut ego culpabor facto aut abſolvar eodem,
  Et ſimilis nobis cauſa duobus erit.
Ne modo quæ pro te valuit facundia ſupplex,
  Nunc ſimilem nobis ferre recuſet opem.
Cui placet exemplum , cœpto ne prodar in ipſo,
  Res eſt, ſi merui, digna favore tuo.

ELEG. III.

AD REINERUM BONTIUM,
medicum, hoſpitem ſuum.

HOc erat, infelix VValachras cur tangere terras
  Sollicitus timui, difficiliſque fui.
Nam neque me triſtes Boreas qui poſſidet vndas,
  Nec pluviæ largus terruit Auſter aquæ:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Non mare, non ſcopuli, non omina viſa per vrbem,
Nec male conſpectæ detinuiſtis aves.
Poſſum ego funeſtas pelago ridere volucres,
Nec metuam fœtæ proximus ire cani,
Nec temere offendens titubanſque in limine primo
Propoſitum lævus pes mihi ſiſtat irer.
Bis redii, bis me, redeuntem finibus illis,
Perculit, & ſegnis nunc quoque languor habet.
Languor habet: nec vt ante tamen. novus ille recenſq; (eſt,
Et qui nec ſolitam quærere gaudet opem.
Seu tetigit virus, ſeu me gravis ira Deorum,
Seu furor invaſit, ſed puto virus erat;
Hauſerunt miſeri penitus contagia ſenſus,
Menſque ſuo majus corpore vulnus alit.
Nec tamen erravi Libyæ per devia ſolus,
Nec mihi ſerpentum dira venena nocent,
Nec vaga ſectantem tumidi læſere ceraſtæ,
Nec miſero vulnus triſtis echidna tulit:
Nec quæ ſæva ſitim diffundit corpore dipſas,
Cum gelidæ lethi cauſa bibuntur aquæ:
Nec levior cenchris, nec cenchride mitior aſpis,
Quæ bene Romanum dedecus vlta fuit,
Cum male tentatum duxit Cleopatra ſoporem,
Et gelidum traxit corpore mortis iter.
Non quæ ſanguineos hæmorroïs explicat artus,
Nec cui quam ſubiit nomen arena dedit,
Non ſeps exiguus, ſcytaleque exuta ſenectam,
Cum medio triſtis frigore ſævit hyems:
Non quæ bis gemino ſæva amphisbæna veneno,
Bis geminum cauda virus & ore vomit.
Blandior his cunctis, ſed & his crudelior ipſis,
Attulit hoc nobis dulce puella malum.
Aſpexi geminos (quid enim ſpectare noceret?)
Ridentes oculos, & doluere mei.
Perque meos, ſenſim furor hic delapſus in artus
Venit,

Venit, & ex illo tempore læſus eo.
Nec piget ardentem, tanta eſt veſania, morbi,
Et peream, ni non diſplicet ille mihi.
Nec minus erodunt crudeles viſcera curæ,
Et miſerum vulnus, vulnere lætus, alo.
Nec minus & terras vbi cæca condidit vmbra,
Annua nox nobis & vigilanda venit.
Quid mihi nunc vires proſunt habituſque medendi,
Quid medicæ princeps alter & alter agent?
Quid nunc Pergamei pro me aut ſapientia Coi,
Et tibi tam doctas cætera poſſe manus?
Omnibus vt lectæ veniant è montibus herbæ,
Gratius hoc nobis quam medicina malum eſt.

ELEG. IV.

AD
GASPARUM VOSBERGIUM:
poſt pactas inducias.

IBitis hoc vultu, VValachraſque intrabitis vrbes,
Qui, bello poſito, gaudia pacis habet.
Nec tibi, Vosbergi, patriæ bona tanta ferenti,
Æquora difficiles aut dabit aura vias.
Nos quoque quos longe communibus ocia rebus
Mollia delectat nec niſi docta ſequi,
Hactenus optando (quid enim conceditur vltra?)
Gens pia, gens vobis non aliena ſumus.
Nec mihi tam placeat patriæ contingere ſedes,
Et quæ nunc domino deſtituuntur opes,
Exiguamque domum, priſcoſque habitare Penates,
Et proavis cultos poſſe piare Lares,
Quam ne quis poſitis fraudem commiſceat armis,
Aut populi ſævus commoda turbet Iber,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Forſitan & poſſum patriæ deponere curam,
Et poſſum veſtra civis in vrbe mori.
Nec primus veniam, nec ſum peregrinus in illa:
Hoſpitium noſtræ præbuit ante domo.
Teſtor majorum cineres & buſta meorum,
Quos bene ſub facili Veria claudis humo;
Nil gravibus vinclis opus eſt ſæviſque catenis.
Injiciat blandas vna puella manus;
Protinus hærebo teneris circundatus vlnis,
Oblitus patriæ, cum patriaque mei.
Et nuper didici VValachras non temnere formas,
Et tali lepidum vulnus ab hoſte tuli.
Nec mihi mortali placeat ſapientia major:
Nempe Ithacus prudens nec male cautus erat;
Et potuit blandas Sirenum evadere voces,
Nec potuit blando tactus amore vehi.
Hærebat toties peregrino in littore puppis,
Occurrit quoties forma venuſta viro.
Et modo ſolventem tenuit conſpecta Calypſo,
Et modo quæ Phœbo nata parente fuit.
Sic pius Æneas Libyca cum conſtitit vrbe,
Hæc tenuit cunctas anchora ſola rates.
Non pelagus claſſem, collum tenuere lacerti:
Nec miſerum venti, ſed retinebat amor.
Vix Atlantiades illos diſſolvere nexus,
Vix potuit monitis Iupiter ipſe ſuis.
Vnius in gremio tum ſpes ſurgentis Iuli,
Et gentis dominæ deficiebat honor.
Pene erat vt nullos habuiſſet Roma Quirites;
Aut, quod nunc Roma eſt, Africa terra foret.
Me quoque quid mirum eſt, ſi ſic patriæque meiq;
Et poſſim Batavi non meminiſſe ſoli?
Nec vacet hærentes collo removere lacertos,
Nec vacet à caro littore ferre pedem?
Conjugis abrupit cum Proteſilaus amores,

Et

Et Danaûm demens maluit arma ſequi,
Ne dominæ fruſtra teneris properaret ab vlnis,
Iliacam meruit tangere primus humum.
Ferreus eſt ſi quis dominam non ardet vbique,
Nec patriam credit, quam ſuus ignis habet.
At nos exilium terris metimur & vndis,
Nec tamen exilium terra vel vnda facit.
Civis erat Seſti media Leander in vrbe,
In patriæ clauſus mœnibus, exul erat.
Me quoque Zelanda claudas regione licebit.
Sic fieri veſter civis & eſſe velim.

ELEG. V.

AD APOLLONIUM SCOTUM,

cum Hagam ad ſupremum Senatum vocatus eſſet.

TAm tibi ſit felix, tam ſit faciliſque leviſque,
Qui bene defertur, nec male cedat, honos.
Et tibi contingat noſtras conjungere Muſas,
Et vitæ comites ſemper habere Deas,
Quam neq; præcipuam venies male gratus in vrbem,
Scotte, nec hic nobis non adeundus eris.
Hic tibi præbebunt virides ſolatia rami,
Et requiem curis proxima ſylva dabit.
Sæpe ſub arboribus fugies æſtumque forumque:
Et Dryades latebras, & dabit herba thorum.
Sæpe locum tanges, vbi reptaviſſe Secundus
Dicitur (hæc illi terra paterna fuit.)
Sæpe locum tanges, quem tangere Douſa ſolebat,
(Hoc etiam functus munere Douſa fuit.)
Seu lachrimas rapto nec dulcia carmina nato
Solveret, & cineri debita juſta daret.

Seu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Seu teneram blandis mulceret vocibus Echo,
  Alterius ſolitam claudere verba ſuis.
Illa nec antiqnos Narciſſi prætulit ignes,
  Cui ſua formoſæ flamma fuiſtis aquæ.
Nec memor ipſa ſui, gelida reddebat in vmbra,
  Quæ bene neſciret nec prior ipſa loqui.
Tu quoque ſæpe petes tremulis è frondibus autam:
  Lenior à motis frondibus aura venit.
Tu quoque ſæpe cades viridi ſemotus in herba
  A populi curis, nec minus ipſe tuis.
Hic tibi quæ velles dictabunt carmina Nymphæ,
  Et tibi quo gaudes nobile creſcet opus:
Carmina, quæ quondam populis cantare ſolebat
  Regia progenies, maxima cura Dei.
Qualia Cecropiæ nunquam legiſtis Athenæ,
  E patrio quamvis vertice nata Dea eſt,
Non Academeo celebratæ nomine villæ,
  Et quondam Maceto grata Lycea ſeni:
Nec quæ Socraticam delectans frigore mentem
  Ad puram platanus gaudia præbet aquam.
Cedite Grajorum ſapientes, cedite vates,
  Et remove lauros Martia Roma tuas:
Largior humano centumque Heliconibus acto
  Et procul à Phœbo, ſpiritus ille venit.
Quamvis Smyrna ſuum toties miretur Homerum,
  Nec minor ore, ſuum Mantua jactet opus.
Illi thuricremis veniens regina Sabæis,
  Submiſit trepida regia ſceptra manu.
Nec tibi quos nolles teſtes adhibere poëtas,
  Aut humiles animas, terra Batava tenet.
Nec tibi divinas non pandet Grotius aures:
  Hoc tibi, plena licet litibus, Haga dabit.
Nos quoque Lugduni placide gens vivere nata,
  Quos male nec tollit, nec male torquet honor,
Sæpius Haganam ſolito veniemus in vrbem,

Hoc

Hoc quoque nunc quamvis ſæpe teramus iter:
Et tibi quas tractas lenibunt carmina curas,
Et levius fiet, quod grave credis, onus.

ELEG. VI.

AD

PETRUM CUNÆUM,

Nonni Bacchica editurum.

CInge comam, lætoſque hederis involve capillos,
Et, domitum prælis fortiter adde merum:
Omnes vt pereant cedantque è pectore curæ,
Et procul in ventos diſcat abire dolor.
Sic tuus advenit mediis bellator ab Indis,
Et tulit Eoo Liber ab orbe pedem,
Sic, Cunæe, acies adverſaque contudit arma:
Ipſe ſuo plenus munere ſemper erat.
Pampinus vmbrabat gaudentem frigore vultum,
Implebat mediam frondibus haſta manum,
Aſtabant Satyri, laſcivaque numina Panes,
Faunorumque manus pone ſecuta fuit.
Et Bacchæ, Paphios vino miſcere calores,
Pronaque feſtivos vrere turba deos.
Hæc tibi dat Nonnus. Nonni præcepta ſecutus,
Ingenii curas triſtitiamque doma.
Aſpicis vt ſævum totus modo tendat in hoſtem,
Et modo, depoſita caſſide, totus amet?
Vt modo det Veneri, modo det ſua tempora Marti,
Et modo det proprio tempora longa mero.
Vt modo formoſam Beroen, modo diligat Auram:
Ampele nunc captum, nunc Hymenæe tenes.
Sic qui non tulerant cœlum expugnare Gigantes,
Formoſæ digiti ſuſtinuere caput:

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et quas aſſiduis turbarant cædibus Indi,
Diſpoſuit conjux mox Ariadna comas.
Perfidus Ægides, ne Liber perfidus eſſet,
In ſola miſeram deſtituebat humo.
Quæ tibi tum, miſeranda fuit, cum ſola jaceres,
Quæ mens, quæ ſpecies? qui color oris erat?
Cum procul impleri ſpectares carbaſa ventis,
Spectares tortas remige ſtare vias.
Vidit in ignota pavidam tellure Lyæus,
Clamantem profugum Theſea: ſolus abis?
Nec te noſtra fides, nec te tam firma morantur
Fœdera? nec noſtro tactus amore manes?
Vidit in ignota miſeram tellure vagantem,
Et non dedecuit flebilis ora dolor.
Vidit, & vt vidit, fluitantes preſſit habenas,
Et dixit Satyris: lentius ite Dei.
Deterſitque manu lachrymas, riſumque reduxit,
Et lepidum Theſei continuavit opus.
Tu quoque quem tractas prudens imitare Lyæum,
Terque illi comites tres ſimul adde Deas.
Nec tibi turpe puta divino humeſcere rore:
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Felix qui modico perfundit nectare Muſas,
Caſtalias quanvis Græcia laudet aquas.
Felix qui modicis indulgens hauſtibus, ignem
Ingenii vates ſuſcitat ipſe ſui.
Nec tibi turpe puta pulchram exorare puellam.
Non male cum Baccho Cypris amica facit.
Sic ne deficiat ſemper qui tenditur arcus,
Ocia cum curis jungere diſce tuis.

ELEG.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. VII.

In amicam, quæ falſo alteri nupſiſſe nunciabatur.

QVæ placuit nobis, quamvis vix viſa fuiſſet,
Alterius nunc eſt facta puella viri.
Nil juvat ignavis animum conſumere curis,
Nil juvat hic fati de gravitate queri.
Vinceris aut vincis, lege hac certamina conſtant.
In medio poſita eſt æquaque palma jacet.
Andromachen tenuit, quaſdam non abſtulit Hector,
Nec Paridi primus tam bene ceſſit amor.
Ceſſerit Oenone quamvis & Tyndaris illi.
Cætera gens fato diſſimulata latet:
Cum Pelopis formoſa rotis avecta fuiſſet
Exitium multis Hippodamia viris,
Quamlibet attoniti centum flevere procorum:
Vnus qui lepide diceret, vxor, erat.
Errat & in regno Veneris Fortuna vagatur,
Præcipue eſt illic quod Dea ſemper agat.
Forſitan & demens nocuit ſecordia nobis:
Nec ſatis intentus, nec bene cautus eram:
Alteriuſque jacet, ne ſit nullius in vlnis,
Et ſapit, & venia digna puella mea eſt.
Quicquid id eſt, vires animumque à vulnere certum
Sumere: ſumenti ſit Venus æqua mihi. (eſt
Non jacet incaſſum media venator in herba,
Si fugit & primus vincula rumpit aper:
Nec gemit infelix vacuos qui reſpicit hamos,
Cum tremulum fallax linea ſenſit onus.
Dum ſedet, elapſamque ſibi non cogitat auceps,
Sæpe aliam rurſus caſſide cepit avem.
Tu quoque, ſi qua mea eſt, ignoſce VValachria culpæ,
Inque alia nobis non inimica veni.

ELEG.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. VIII.

Ad rivalem.

DIcebam, deſiſte meos invadere amores,
Dicebam, miſero parce nocere mihi.
Nunc tibi, quam ſentis, Veneris gravis ira luenda eſt:
Nunc tibi, ſi neſcis, impetus ille nocet.
Ipſa manu Cytherea ſuos defendit alumnos,
Et puer in promptu ſpicula ſemper habet.
Non vt ſanguinea tingantur cæde ſagittæ,
Nec cadat vt ſævus cuſpide fixus aper.
Sed monet armatus: teneros ne læde poëtas
Si quis amas, noſtro ſi quis ab igne cales.
Vt mare piſcator cymba vagus intrat, & intrat
Flumina, privatas non tamen intrat aquas,
Sic tibi quod ludas toto quæratur in orbe:
Sub domino vivat, vivere ſi qua ſolet.
Verſibus alterius partam tibi quærere noli.
Hoc pudor, hoc probitas, hoc vetat ipſa fides.
Hoc vetat hic arcus, qui non impune ſagittas,
Nec ſine vulneribus ſpargere tela ſolet.
Quique ferit vatem, vatem quoque vindicat ipſum,
Vtque ſuo vivat tutus ab hoſte cavet.
Hoc nivei vatum mores meruere fideſque,
Hoc pia ſimplicitas, ingenuuſque pudor:
Hoc amor innocuus meruit, meruiſtis & illæ
Ingenii, quales neſcit avarus, opes:
Queis legor, & toto non ſum male cognitus orbi,
Et mihi, qui vincit cætera, venit honos.
Dixit, & in tergo volucres ſonuere ſagittæ,
Nec tamen in dextra non fuit vna manu.
At tibi nunc tantam Nemeſis mea provocat iram,
Et meus eſt in te qui male ſævit amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et tamen eſt aliquid quod nos debere fatemur,
  Eſt aliquid noſter quod tibi debet amor.
Nam cum me, VValachris quantum diſtamus ab oris,
  Divideret flammis vnda maligna meis;
Alloquio noſtram foviſti & voce puellam,
  Et tua pro me vox officioſa fuit.
Atque vtinam liceat, ne non ſim gratus abunde,
  Vtque tibi referam quæ meruiſſe puto,
Illius in gremio pro te tua facta referre.
  Hac equidem gratus lege fuiſſe velim.

DAN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII

ELEGIARUM

LIBER III.

Maxæmiliano Vrientio, V. N.

LIbellum hunc meum tibi offero, mi Vrienti, ſive tuum potius. Vel quia noſtrum amplius non eſt, quod promiſſionis lege jam debetur: vel quia tuum feciſti, quicquid eſt meum. Eam enim humanitatem tuam ſum expertus, ut debere ea videar, quæ nondum promiſi: quæ promiſi autem, ſine ſcelere differre non poſſim. Hæret animo ſemperque hærebit iſte dies, cum in patria urbe nuper vultum illum tuum preſſi & invaſi, cujus deſiderio iter meum imputabam. Neque ſpes fefellit. Vidi qualem legi, & ex ipſo aſpectu, animi ſcintillas hauſi. quibus penitus accenſus, hoc tantum profeci, ut impatientius abſentiam illius ferrem, cujus præſentia expleri non poteram. Hæc videlicet felicitatis noſtræ eſt conditio: cum ſpe ipſa evaneſcit. Et quemadmodum qui manum minus arcte compreſſam, aqua implere ſolent, non elabi ſed elapſam eſſe ſentiunt: ita puncto perit quidquid optamus. Inter vota noſtra miſeri diffluimus, & ad metam illam imus, ad quam nunquam redituri, ſemper properamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

*nus. Manet tamen recordatio humanitatis tuæ & dele-
ctat: neque in oculis, vt vulgo ajunt, ſed in ipſa mente
enitus verſatur. Videre hercle videor ſtudium illud
uum, cum, infirmis pedibus, animo integro, venientem
xciperes: cum eunti, quo pedes non poteras, equo adhære-
es: nec in vrbe tantum ſed & extra eam longiſſime de-
luceres, & defectum membrorum ſolo amore largiter
uppleres: cum privatim magnos, publice (ea autoritas
ſt tua) maximos honores exhiberes. Pro quibus omnibus,
nimum hunc accipe, & illius teſtem, exiguum, ſed ta-
nen feſtivum, hunc fœtum. Etenim quemadmodum
onnulli pumiliones aut nanos regibus offerre ſolent, qui-
ius vacui ſe oblectent: ita nos, dum ſapientiæ conſultos
ractamus, oblectationes noſtras ad te mittimus. Vale,
decus noſtrum, & majora à nobis expecta.*

DAN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEGIARVM
Liber II.

ELEG. I.
Ad urbem
GANDAVUM,
cum primo eam poſt inducias petiiſſet: & de Maxamiliano Vrientio.

ANntiquæ turres dilectaque tecta meo
rum,
Et tantum puero cognita Gand
mihi,
Si merui tua rura, parens, calcare do
moſque,
Et quæ grata meos tangit arena pedes,
Da veniam: procul externis è finibus adſum,
Qua Batavam Nereus æquore pulſat humum.
Artibus hic primos Muſiſque impendimus annos,
Innocuuſque tuis hoſtibus hoſtis eram.
Odimus, infeſtus patriæ quia vivit, Iberum,
Odimus. hæc ſceleris ſumma caputque mei eſt.
Non ego civiles armavi in prœlia dextras,
Inque tuos movi perfidus arma lares.
Non ego priſcorum rapui delubra Deorum,
Nec ſpoliata meo crimine buſta jacent.
Cædibus abſtinui, truculentaque prœlia fugi,
Nec tua præda meas creſcere fecit opes.
Cætera paupertas pro me non noxia dicet,
Et tantum ſteriles vita ſecuta Deas.
Viximus immunes ſcelerum, niſi tangere ſacra
Muſarum ſcelus eſt, iſtaque caſtra ſequi.
Tu quoque, magna parens, creviſti carmine noſtro,
Et

Et memini nomen ſæpe vocare tuum.
Hoſtibus in mediis tibi ſacra peregimus olim:
Hoc mihi libertas illa Batava dedit.
Hæc fuerant: nunc Diva fave. tua mœnia rurſus
Hoſpes ovans ſubeo : tu modo Diva fave.
Non tamen æterni contingam vt Cæſaris arcem ,
In qua cœleſti vagiit ore puer,
Ingenteſque Deûm moles, & publica ſaxa,
Et quæ ſtant mediis multa videnda viis.
Liſa pater, comiteſque, & vos ignoſcite Nymphæ,
Indigites patriæ Dijque Deæque meæ:
Plus patria nobis patria ſervatur in vrbe,
Seque aliquid majus maxima Ganda dabit.
Vrientius accipiet venientem lætus amicum;
Ille mihi magno Cæſare major erit.
Amplectarque virum, mediaſque effuſus in vlnas,
Deficiam lachrymis, deficiamque loqui.
Dî fidei teſtes, & tot pia numina vatum,
Numina perjura non temeranda manu ,
Grajorumque ſales , vulgoque incognita tempe,
Quæ toties oculos detinuere meos,
Sic mihi ſit nunquam ſtrepitus audire tubarum,
Nec ſocia lætos cæde videre viros,
Flandria ſic reduci veniat non aſpera vati,
Et procul à populo me meus abdat ager ,
Dulcia ſecuræ meditantem commoda vitæ,
Quam lepor & Muſis paſcat amica quies ;
Vt mihi perpetuæ vivunt ſub pectore curæ,
Vt Vrienti in noſtro pectore vivit amor.
Ah quoties animo præſentem amplector amicum,
Carminaque infelix, ceu placitura, lego,
Menſque ſibi credit , vireſque à judice tanto
Sumit, & ipſa ſuum fervida nutrit opus.
Sæpe meæ videor contingere mœnia Gandæ,
Et quæ vix memini tecta videre, colo.

Plus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Plus tamen in tota nihil eſt quam Vrientius vrbe,
Et minor eſt patriæ quam mihi vatis amor.
Scilicet æternos conjungunt numina vates,
Altior eſt tardis mentibus illa fides.
Illa fides puros conjungit pectoris ignes,
Ardenteſque animas, cordaque plena Deo:
Qualia nec regum auratis dant limina valvis,
Et ſemper pavida ſceptra tenenda manu.
Non domini faſces, inviſaque vatibus arma,
Et tantum miſeras bella datura nurus:
Sed pia ſimplicitas, livoriſque inſcia virtus,
Puraque mens animi, candidiorque nive:
Et pudor, & cuiquam non invidioſa ſupellex
Carminis, & vulgus quas ſibi nollet opes.
At vigor æterno veniens ſublimis Olympo,
Qualia mortali non licet ore loqui,
Deſpectorque animus rerum, ſupraque tyrannos
Spiritus. audaci ſeu libet ire via,
Armaque ſæva virûm & crudeles dicere pugnas,
Vel quæ magnanimus jura cothurnus habet.
Seu levibus caſtris teneri decurrere Amoris,
Qualia ſæpe mihi porrigit arma Venus.
Moribus his, inter civilia bella nefaſque,
Et proprio ſparſas ſæpe cruore manus,
Invidiamque ipſam, Vrientî pius ardet & Heinsî,
Cunctaque manſurus ſæcula vincet amor.

ELEG. II.

Somnium.

AN miſeri falſa luduntur imagine ſenſus,
Cum ſua jam totus corpora ſomnus habet?
Anne aliquid mens ipſa gerit, neque fallitur omnis,
Nec nihil ex vero ſomnia noſtra trahunt?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Somnia noctis habent, quod non oracula vatum,
Quod nequeant tripodes dicere, Phœbe, tui.
Fagus erat: fagum viridiſſima cinxerat herbis
Area. quam juxta myrtea ſylva fuit.
Sylva fuit Veneris (Venerem dixiſſe putato)
Alterius non hac ſigna fuere Deæ.
Scindebat viridem deducto gurgite campum,
Rivus aquæ puræ: cætera gramen erat.
Cætera dum ſpecto, media Iovis arbore corvus
Sedit, & in puro fonte natavit olor.
Venit, & extemplo (quid enim non ſomnia poſſunt?)
In viridi virgo candida ſedit humo.
Illius in gremium demiſſis leniter alis
Candida neglecto gurgite venit avis,
Collaque, gaudenti ſimilis, libavit & ora:
Ora quidem pennis candidiora ſuis;
Sed nimium torva faciem contraxerat ira,
Aſperaque immitis læſerat ora furor.
Tum fragili dulcem dimiſit gutture vocem,
(Vt puto vox mœſtæ vel morientis erat)
Qualia Mæandri redeuntibus edit in vndis,
Præſcia cum fati dicitur eſſe ſui.
Illa reluctantem medias dejecit in herbas,
Deque ſuo gremio ſæva removit onus.
Sic cecidit, gremiumque vna lucemque reliquit,
Et moriens triſtem corpore preſſit humum.
Venit & annoſus media Iovis arbore corvus,
Venit ovans animi, lætaque ſigna dedit.
Quem bene vix totis venientem ſuſtulit vlnis,
Et gremio nigram læta recepit avem.
Finis erat ſomni. ſomni tamen hæſit imago
Senſibus atque oculis non abitura meis.
Quæſieram cauſas: (cauſæ latuere rogantem)
Conſcia quærenti ſingula dixit anus.
Quæ placuit virgo, virgo tua, dixit, amica eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Purpureus vatis pectora ſignat olor.
Carmen vterque canit feliciter, albus vterque eſt:
Hic niveus pennis, moribus ille ſuis.
Vita reliquit avem pariter gremiumque puellæ:
Et tibi cum vita finis amoris erit.
Corvus amans ſenior: ſenior præfertur ab illa.
Ingenio non eſt gratia magna tuo.
Dixerat. obſtupui, voxque arida faucibus hæſit,
Et didici certam noctibus eſſe fidem.

ELEG. III.

AD FRANCISCUM SWEERTIUM.

TE tenet intentum geminæ Cyllenius arti
Et dubium natus Pleiade monſtra
iter:
Curaque ſe partem nunc hanc nunc ver
tit in illam,
Altera dum Muſas, altera tractat opes.
Nos ſteriles laudes, & inertis præmia voti
Pergimus, & vitæ commoda nulla ſequi:
Sed modo Socraticæ ſolantur tædia chartæ,
Et modo majorem porticus alta videt:
Aut vbi blanda Venus ſopitos excitat ignes,
Sum mihi materies, ſum mihi ſemper opus.
Nec mea diſcordes exercent ſomnia venti,
Nec mea turbatæ vota morantur aquæ:
Nec peregrina meas impellunt æquora merces,
Nec pelago clauſas detinet vnda rates.
Cum dominam vidi, nihil eſt quod reſtet ab illo:
Conſtitit, & portum noſtra carina tenet.
Nec niſi nos, Svveerti, teneros mercamur amores,
Ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nec niſi nos Veneris triſtia damna movent.
Baſia ſi pepigit, meruit formoſa vocari,
Et precium pacti muneris, illud habet.
Se quoque ſi dederit, ſatis eſt ſi carmina reddam:
Hæc bene qui ſolvit, præmia magna dedit.
Non alias priſco noverunt tempore merces,
Quos populos nondum ſaucia terra tulit:
Cum p riter ferrum, pariter quod quæritis aurum,
Præſcia tot fraudum diſſimularet humus.
Omnia quæ ſalva poterant virtute teneri,
Illa parens cuivis, cuilibet æqua, dabat.
Nec nocuit mitem carpſiſſe è vitibus uvam:
Obvia pendebat vitibus uva ſuis.
Nil nocuit pomum: pendebat in arbore pomum.
Hæc poterant ſalva ſimplicitate legi.
Atque aliquis collum teneræ cingebat amicæ.
Cingenti thalamum gramen & herba dabat:
Blandaque quot tulerat compreſſis baſia labris,
(Hoc tunc innocuus fine manebat amor)
Tot dominæ flores glandeſque ex arbore lectas
Reddidit: his precium tum quoque rebus erat.
Senſim aliquis majora dedit;pulchramve columbam,
Aut aliquam, nido demere juſſus, avem.
Paulatim pecudes raptæque à matribus agnæ,
Et precio mentem ſollicitavit ovis.
Nec pietas aberat, ſed adhuc in moribus omnis
Cenſus erat: probitas nomen habebat opum.
Credibile eſt illo veteres regnaſſe poëtas
Tempore: gens illo tempore digna ſumus.
Impietas terris, mox fluctibus eruit aurum:
Non meruit faciles impetus ille vias.
Primus adhuc purum fraudes invexit in orbem,
Quem gelido natum vertice Maja dedit.
Fabula nota quidem, ſed non & cuilibet, illa eſt:
Res tamen autores fertur habere Deos.

Pleïas vmbroſo puerum celaverat antro,
Quod fureret Iuno debuit ille tegi.
Cingebat viridi naſcentem populus vmbra,
(Herculeas nondum preſſerat illa comas.)
Non Veneris deerant myrti, dilectaque Phœbo
Non ſua cypreſſus, non ſua laurus abeſt.
Iupiter ex alto ſolitus deſcendere cœlo,
Sæpius hac cœcum nocte tenebat iter.
In thalamo fulmen cum majeſtate jacebat:
Sic bene fallebat, ſic bene tectus erat.
Nox quoque, quæ tollit diſcrimina cuncta Deorum,
Abſtulerat vultus: omnia nocte latent.
Tres comites tantum, proles Latonia, Phœbus,
Et qui cæruleas numine torquet aquas.
Mulciber his greſſum, quamvis his junxerat impar,
(Tum primum claudo cœperat ire pede.)
Ventum erat ad montem. puerum videre jacentem,
Et facies viſa eſt digna parente ſuo.
Fraus tamen in vultu emicuit manifeſta jacentis,
Sed fraudi in puero quis locus eſſe poteſt?
Sic abeunt furtim. tenero jam paſcua rore
Et virides herbas ſparſerat orta dies.
Viderat errantes bis ſex in gramine cervos
Phœbus, & ad pharetræ reſpiciebat onus.
Nuſquam erat. ad montem ſua fert veſtigia rurſum,
Et relegit per quas venerat ante vias.
Territus exemplo dum Lemnius aſtitit illo;
Et ſibi jam vacuas conſpicit eſſe manus.
Venerat armatus dilecta forcipe dextram.
Senſit & æquoreus tertia damna Deus.
Quid faceret? vultu ter pallidus hæſit eodem,
Et ſua percuſſus lumina fixit humi.
Et puer, & genitrix, & cognita damna duorum,
Et nox, & tenebræ, ſuſpicione carent.
Primus abit Phœbus, primus pervenit ad antrum:
Mox

Mox ſequitur Phœbum junctus vterque Deus.
Protinus vt venêre, videt ſua quilibet arma.
Singula ſub cunas traxerat arma puer.
Iupiter agnoſcit teneræ veſtigia mentis,
Et puer hic nobis vtilis, inquit, erit.
Vtilis & terris, & ſævis vtilis vndis.
Navita jam puppes jam tua vela para.
Iam video totis impleri carbaſa ventis.
Exigua eſt tellus: adjiciatur aqua.
Nunc Borea primum, nunc Africe nomen habebis.
Hactenus humanis viribus æqua licent:
Pergit in ignotum veſana pecunia pontum,
Nec ſatis eſt fati conditione mori.
Diriget hic vectas peregrino è littore puppes,
Nec minus & terra dulcia lucra dabit.
Quiſquis amas lucrum, lucri venerare potentem,
Extaque fer tepidis, & cadat agna, focis.
Mox tamen inventa liquidum teſtudine carmen
Addet, & à Muſis proximus eſſe volet.
Parva loquor: quintus cum ſexto acceſſerit annus,
Incipiet quovis dulcius ore loqui.
Felix, quem placido naſcentem lumine cernet,
Seu ſequitur Phœbi, ſeu tua caſtra Venus.
Dixerat: aſtiterant fatales omnia nentes,
Et digitos fuſis applicuere Deæ.
Di faciant illo videat nos leniter ore,
Vtque ſolet, largas det tibi ſemper opes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. IV.

AD

JOANNEM RUTGERSIUM,

poëtas, ac præcipue Homerum & Heſiodum, primos ſapientia autores eſſe.

QVI putat æternos tantum oblectare poëtas,
Aut modo nugarum ſomnia vana ſequi,
Illi nec faveant Muſæ nec pulcher Apollo,
Et procul à ſacro limine ſemper eat.
Nec pateant fontes, quos non niſi docta bibiſſet
Ingenii tantas Græcia noſſet opes.
Omnia, Rutgerſi, primum docuere poëtæ,
Cum rudis & ſimplex & nova terra fuit.
Sunt quoque qui Divis ſolitos accumbere vates
Regia Saturno ſceptra tenente ferant.
Sunt quoque qui credant, magni primordia mundi
Vatibus æternos expoſuiſſe Deos:
Et ſeries rerum, cunctaſque ex ordine cauſas,
Multaque quæ vulgo non penetranda latent.
Talia cantabat mediis in fluctibus Orpheus,
Æquoreæ primum cum patuere viæ,
Territa cum pubes & adhuc ignara carinæ,
Aurea Phrixeæ terga petebat ovis.
Talia cantabat, cum robora dura canentem
Et lenes numeros ſylva ſecuta fuit,
Et rapidæ tigres. rapidas tigreſque leaſque,
(Hi fuerant homines) prima tenebat humus.
Omnia ſuppreſſa feritas ratione regebat;
Nullus honos veri curaque laudis erat.

Plu-

Plurima Muſæus primum videre Linuſque,
Sidereos obitus, diſſimileſque vias.
Hi quoque magnorum primo reperere Deorum
Et genus & vires, & docuere ſuos.
Principio tali Sapientia venit in orbem:
Quæ quia grata parum nec ſpecioſa Dea eſt,
Lenibus attentas numeris defluxit in aures
Mollius. hoc velo diſſimulanda fuit.
Omnibus eripuit poſitam ſub judice palmam,
Quem vitrea genuit Nympha Meletis aqua.
Nympha ſenem genuit: vel ſic quia ſancta vetuſtas
Non noſtri docuit ſanguinis eſſe virum.
Quot ſegeti ſpicæ, quot ſunt in vitibus uvæ,
Arbore quot frondes, vere moventur apes,
Quot tremulis ſummæ criſpantur fluctibus vndæ,
Seu prior abceſſit, ſeu nova ſurgit hyems,
Tot ſpecies rerum tot nomina, nomina plura
Aut ſpecies plures, magnus Homerus habet.
Seu cadit vrbs ſenſim luſtris obſeſſa duobus,
Telemachi metuit ſeu duo luſtra pater.
Aſpice magnanimum (non eſt imbellis) Achillem,
Sed nimium præceps, & ſine mente, ruit.
Aſpice Neſtoreos, non ſunt ſine viribus, annos.
Quæ moveant fortes arma diſertus habet.
Dum trepidat Priamus, dum ſpes accendit Achivos,
Vulnus in Atridæ pectore fecit Amor.
Deperit & poſcit Briſeida: virgine rapta
Æacidæ ceſſant bella movere manus.
Sic levibus pereunt & ſtant ingentia cauſis,
Et minimi nutu ponderis alta cadunt.
Hinc trahitur totum Mars & differtur in annum,
Et trepidos, ritu fulminis, Hector agit.
Iupiter ex alta mortalia deſpicit arce.
Mortales ſuperis nil ſine poſſe vides.
Hoc ſine, nequicquam Danai vertuntur in hoſtem,

Hoc ſine, rem fruſtra Troica turba gerit.
Aſpice jactatum poſt prœlia rurſus Vlyſſem;
Alterius dices illa fuiſſe viri.
Tot licet infelix ventos patiatur & imbres,
Et toties gelida frigora nocte ferat,
Omnibus his pariter plus eſt metuenda Calypſo:
Lenones oculos blandaque verba parat.
Et modo feſtivis properantem detinet vlnis,
Et modo turbatas callida monſtrat aquas.
Hinc quoque ceratam deducit in æquora puppim,
Dirigit & curſus, & ſibi vela facit.
Fluctibus abripitur poſito velamine, nudum
Sævus in Alcinoi littora ventus agit.
Quid tibi vis, Fortuna, tamen? quid perfida geſtis?
Auxilio felix non fuit ille tuo.
Omnia cum rapias, totum ſibi linquis Vlyſſem.
Exuvias tantum, Diva, natantis habes.
Hæ tibi, vel toti pelago donantur & vndis.
Sic quoque cum deerunt omnia, dives erit.
Hinc animoſa ſuos inſtruxit porticus hortos,
Vnica quam virtus, nec comitata, juvat.
Serius eſt magno quicquid miramur Homero.
Vlterius nullum Græcia novit opus.
Credite, poſterius doctæ vidiſtis Athenæ,
Quid bene conveniens, quid ſine laude foret.
Nam neque tum notum ſapientia nomen habebas,
Nec fuerant ſeptem pectora docta viri:
Nec Samiæ fuerant audita ſilentia linguæ,
Et non ſollicitos qui putat eſſe Deos:
Nec quem Cecropiæ letho miſere cicutæ,
Cui nocuit verum, ſed ſine nube, loqui.
Penelope procul eſt, & adeſt pulcherrima Circe,
Nec properat blandæ jungere membra Deæ.
Viderat indignis juvenes horreſcere ſetis,
Nec ſua mutatos ora movere viros.

Illa

Illa voluptatis ſunt præmia. flecte carinam,
Et ſcopulos, quiſquis perlegis iſta, cave.
Credite cœleſtes animas. poſt fata ſuperſunt,
Multaque corporibus non adeunda vident.
Aſpicit Ajacem (Stygias tranaverat vndas)
Aſpicit hic comites poſt ſua fata ſuos.
Procris in amplexu Cephali formoſa recumbit,
Hæret & extincto nunc quoque juncta viro.
Quid tibi ventorum referam cum nomine vires,
Qua Boreas cœlum parte vel Eurus agat?
Bis duo ſunt illi, numeros auxere minores
Poſtmodo: paulatim creſcere cuncta ſolent.
Quid referam cœlum? ſtant quælibet ordine ſigna:
Invenies partes quæque ſubire ſuas.
Pleïades ſeptem, quamvis ſex eſſe putentur
Eminus. obducit nubibus vna caput.
Volvitur Orion, ſed & hunc quæ reſpicit Vrſa:
Cum geminam cernas, vtraque ſicca manet.
Vis quoque non vna eſt medicis quibus vtimur her-
Hæc aliis prodeſt, ſcilicet, illa nocet. (bis:
Has quoque diſtinxit. varia eſt natura locorum,
Et ſeries: totam carmine pingit humum.
Scit bene qua currus levibus flectatur habenis.
Scit bene qua pugnax arte regatur equus.
Di tibi concedant magnorum maximè vatum,
Lætus vt in viridi gramine ſemper eas.
Nec ſtatuat duras in te Proſerpina leges.
Conveniunt vmbræ mollia jura tuæ.
Scilicet Iſmarios ex quo Dea vidit amores,
Ingeniis noſtris æquior eſſe ſolet.
Nec minus illa tibi faciles accommodet aures,
Nec minus illa tuo gaudeat ore cani.
Eſt locus extremos Phœbi venientis ad ortus,
Oceanus nullum qua ſibi fecit iter.
Rore madent teneræ ventiſque tepentibus herbæ:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Perpetuo Zephyri rura beata tenent.
Floribus & quovis veſtitur terra colore,
Ver quia perpetuum eſt. ver ſibi terra facit:
Nec niſi maturæ dependent vitibus uvæ,
Nec niſi quæ poſſis carpere mala vides.
Hæc quoque ſi ſpectes, ſunt aurea. talia quondam
Heſperidum campos mala tuliſſe ferunt.
Sæpe vbi ſecuri jacuere ſub arboris vmbra,
(Securos populos arboris vmbra tegit)
Frondibus immiſtæ afflantur violæque roſæque,
Et cingit meritum ſponte corona caput.
Nec ſtudium quemvis, eadem nec cura moratur.
Hic properat, ſedet hic: hic canit, ille tacet.
Tranſtulit huc raptos iterum Menelaus amores:
Hæc etiam ſcimus dicta fuiſſe tibi.
Hæc quoque terra tuam gremio complectitur vmbram
Hoſpitiumque tibi vatibus apta dedit.
Magne pater ſalve. nec ſe tibi jungere tellus
Audeat: ex alto ſpiritus ille venit.
Nec tibi præripiat meritam, me judice, palmam
Mantua: vix quamvis illa ſecunda tibi eſt.
Illa tuo purum deduxit flumine rivum.
Purior eſt lymphis & minor illa tuis.
Sic pelagi è ſalſis, nec quæ ſine fluctibus, vndis
Exiguæ dulcis copia manat aquæ.
Nec minus in vaſtum pelagus diffunditur orbem,
Nec minus ingentem fluctibus ambit humum.
Proximus huic longo, nec non & laudibus, ævo,
Quem gelidis ortum finibus Aſcra dedit:
Quem ſua vicinæ puerum docuere Camœnæ
Carmina. Parnaſſus non procul inde fuit.
Sederat, vt fama eſt, deſertæ in vallibus Aſcræ:
In manibus pini virga ſedentis erat.
Pendebant aliquæ prona de rupe capellæ,
Paſcebant aliqui non procul inde boves.

In medio, placidaſque inter paſſimque vagantes
Per teneras frondes, ipſe ſedebat, oves.
Hos populos illi dederat fortuna regendos:
Non alias vſquam pauper habebat opes.
Terra pedum pulſu viſa eſt vicina moveri.
Reſpicit: à tergo tres videt eſſe Deas.
Bis totidem parvi linquebant culmina collis.
(Exigui juxta culmina collis erant)
Vna tenens laurum, lauroque evincta capillos,
(Calliopen Grajo nomine turba vocat)
Hæc tibi dant, inquit, quæ cernis præmia, Muſæ,
Hæc tibi ſunt iſta ſceptra tenenda manu.
Et tibi ne certent magnorum præmia regum,
Tutus ab inſidiis omnibus illa geres.
Tutus ab inſidiis, viridi ſecurus in herba,
In viridi fuſus membra jacebis humo.
Vtque ſoles, tardos ſtimulis impelle juvencos,
Vtque ſoles pecudes paſcere paſce tuas.
Nos quoque pauperies paucis lætiſſima rebus,
Nos quoque ſimplicitas non operoſa juvat.
Et tibi ne deſint facilis compendia vitæ,
Terra parens ſegetes, & dabit amnis aquas.
Quod ſatis eſt, cuivis tribuit natura deuſque,
Luxuries nullum novit habere modum.
Dixerat, & ſumma pertentat tempora lauro,
Et leviter pura tempora tingit aqua.
Fons erat illimis vicini in vertice montis,
Quem volucris velox vngula fecit equi.
Hauſerat hinc paucas, vt erant ſine ſordibus, vndas,
Spargeret vt ſacras hoc Dea rore comas.
Tinctus abit vates: cum lumina protinus illi
Occupat inſolitus membraque torpor habet.
Fuſus humi dulcem carpit tenerumque ſoporem,
Qua ſtabat. gelidum præbuit herba torum.
Mane erat: educit pecudes in gramina rurſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et calami ſparſas carmine cogit oves.
Sponte ſua quidvis facili veniebat ab ore,
Nec vitio durum, nec rude carmen erat.
Viderat intonſi juvenem cui colla capilli
Primaqne pingebat flore juventa genas:
Hic quoque paſcebat patrias in montibus agnas
Curaque vicinos fecerat vna duos.
Diligit hunc ſenſim, nec erat non dignus amari,
Sed prohibent Parcæ cætera : raptus obit.
Vltima perſolvit juveni ſolatia rapto,
Materiem vati ſuppeditabat amor.
Mox Thetidis laudes, Thetidique vt Pelea quondam
Vnanimi vitæ fœdere junxit Hymen.
Hinc terram, terræque canit præcepta colendæ.
Hoc quoque vix reſtat: cætera tempus habet.
Quid noceat Baccho, quo quæque ſit ordine vitis,
Et quo ſit melius conſtituenda modo.
Forſan Ariſtæi veteres his junxerat artes,
Et quæ ſollicitas æra morentur apes :
Qui, placeant flores, quæ proxima gentis origo.
Quæ loca, quas latebras agmina parva petant.
Addidit herbarum proprios cum viribus vſus,
Et medicam docuit, cætera doctus, opem.
Quid memorem pulchros terræ quos prodidit, ignes
Ortaque quæ cœlo lapſaque ſigna canit?
Idæoſque Deos. & qui, dum format Achillem,
Centauri monitus inſtituentis erant.
Iupiter inſano ſuſpendit in æquore molem:
Æquoreis tellus vndique cedit aquis.
Hanc quoque deſcripſit, faciemque habitumque lo
Prodidit, & juſtum continuavit opus. (corum
Quid memorem priſcas heroidas, extaque vatum?
Addidit & magnos vltima cura Deos.
Hic Chaos antiquum, primique exordia mundi,
Cunctaque paulatim nata fuiſſe vides.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Cum mare, cum tellus, cum ſidera mixta jacerent,
  Cum facies mundi nulla vel una fuit.
Cætera gens, horum veſtigia pone ſecuta eſt
  Quæ docet. ex illis fontibus vnda venit.
Diſcite Pierides titulos condicere veſtros.
  Cur aliis veſter cedere pergit honor?
Tu quoque, Rutgerſi, cum detrahat omnia livor,
  Vatibus intactum crede fuiſſe nihil.

ELEG. V.

AD

DAVIDEM LINDANUM,

de ejus Phyllide, in qua tertium Theocriti idyllium prope ad verbum exprimitur.

NOn ſic ingratum Corydon cantabat Alexin (amans,
  Perditus, & duro vulnere tactus,
Qui pulchram docuit reſonare Amaryllida ſylvas,
  Vt tua vita tuo carmine dicta fuit.
Atque ita ſim felix, nec me mea vota morentur,
  Et videam patriæ tecta ſolumque meæ,
Vt mihi dulce foret tecum, Lindane, vagari,
  Et pariter tecum paſcere poſſe pecus.
Hoc decuit Phœbum. Phœbus cum matribus agnos
  Pavit, & errantes in ſua tecta tulit.
Pavit & ante pecus cum Cypride pulcher Adonis,
  Et Veneri gratus pulcher Adonis erat.
Phyllis amans & amata, vagantes clauderet agnos,
  Et tibi vicinas curreret inter oves.
Illa tibi plures componeret ordine cannas,
  Et ſtipulam vati materiemque daret.

Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nec procul hinc, junctis in vallibus ipſe jacerem,
Dives opum quas ſors ipſaque ferret humus.
Haurirem patrias gelidis è fontibus vndas,
Sedaret ſubitam ſpica paterna famem.
Nec ſugerem glandes . abeat Bacchuſque Cereſque,
Quos furor & rabies viſque ſecuta fuit.
Hic procul à ſtrepitu, procul à clamore meorum,
Quos ſua civilis cogit in arma furor,
Ceſſarem patulæ viridi ſub tegmine fagi,
Aut vbi diffundit populus alba comam,
Vel qui de pronis revolutus collibus amnis,
Temperat arentem, frigoris autor, humum:
Nec pinguem requiem captanti aut munera ſomni,
Narraret pavidas anxia fama nurus,
Bellaque quæ noſtrum penitus diffuſa per orbem,
Adducunt ſocias in ſua fata manus:
Sed facilem vitam ſecuraque in ocia nato
Vita mihi facilis nec niſi læta foret.
Hic canerem dulces Siculi paſtoris amores,
Qui Latio per nos incipit ore loqui.
Daphnis vt infelix nimio flagraverit igne,
(Saucius ille tuo Nais amore fuit.)
Fluminaque & fontes erraverit altaque circum
Culmina, qua flammas Ætna ſub aſtra vomit.
Ætna vomit flammas, flammas in pectore Daphnis
Celabat, nulla reſtituendus ope.
Fundebant lachrymas vicino in flumine Nymphæ,
Augebat patrios quæque puella lacus.
Quid faceret? qualis nix primo ſaucia ſole
Liquitur, & lympha eſt quæ modo dura fuit:
Sic abit in lachrymas, ſic mœſto pectore Daphnis
Carpitur, & fruſtra nomen in ore gerit.
Naida clamabat: reddebant Naida ſylvæ:
Nec tamen inſtanti ſæva ferebat opem.
Nocte alius lentos Amaryllidis ardet amores:

Tity-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Tityrus interea carmine paſcit oves.
Tityre coge pecus, ſed ne feriare caveto.
Aſpicis hic caprum? cornibus ille ferit.
Cur Amarylli tuum nunc denique linquis amantem,
Nec leviter nobis conſpicienda venis?
Vtque ſoles, ſummo proſpectas leniter antro,
Deliciaſque tuas, me, velut ante, vocas?
Nunc male barbatus tibi ſum, ſimuſque videri.
Nympha tuo cogor perditus igne mori.
Aſpicis hos luctus? vtinam nunc denique fiam
Inſtar apis, circum quæ tua tecta volat.
Poſſem hederas inter filicemque impune vagari,
Quæ tibi circundat, Nympha ſuperba, caput.
Nunc ſcio quid ſit amor: gravis eſt Deus. ille leænæ
Hæſit in vberibus, ſylvaque mater erat:
Qui mihi nunc totis ferus ah ferus oſſibus ardet.
Incipe paſtori baſia ferre tuo,
O nimium formoſa. ſed & ſic ſaxea tota es.
Nigra ſuperciliis luminibuſque veni.
Irrita ſint quamvis, gratum ſunt baſia munus.
Quam metuo, pereat ne tua ſerta tibi,
Carpta meis digitis: apio quam fecimus ante,
Cumque apio partem mixte corymbe tenes.
Quid mihi nunc fiet miſero? tu ſurda moraris.
Littus habe veſtes, accipe corpus aqua,
Hic vbi nunc thynnos aliquis piſcatur in alto.
Et ſi non peream, ſat tibi caſus erit.
Senſimus hoc nuper. nam cum miſer vſque rogarem,
Num tibi cura mei vel ſuper vlla foret;
Hæſit, & in noſtris paulatim emarcuit vlnis
Quam tenui, nullos & dedit herba ſonos.
Veraque dixit anus, cribri cum verteret orbem,
Callida quæ ſpicas granaque legit heri.
Vreris inſano nil commiſerantis amore:
Et tamen hanc capram nunc quoque vanus alo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quam toties Memnonis Erithacis atra popoſcit
 Filia: nam fœtus edidit ante duos.
Scilicet illa feret quæ nunc tibi munera ſordent.
 Ecce oculus dexter poſt mea verba ſalit.
Conſpiciamne oculos ergo illius? hic vbi pinus
 Sibilat, interea carmina pauca canam.
Si forte aſpiciat noſtros miſerata dolores
 Dum canimus: nec enim ferrea ſemper erit.
Talia cantabat Siculi paſtoris avena
 Carmina, paſcentes quæ didiciſtis oves.
Talia ſublegeret cantantibus aurea nobis
 In patria, veniat pax modo, Phyllis humo.

ELEG. VI.
IN
CUPIDINEM BRUXELLÆ
juxta labyrinthum artificioſe factum, qui è fonte aquam jaculatur.

QVisquis in ambiguo toties totieſque vo-
 lutus,
 Nunc ſequeris greſſus nunc fugis ipſe
 tuos, (error.
Non hæc cauſa viæ eſt, nec tanti nominis
 Aſpice naturæ, ſeu libet, artis opus.
Aſpice qui lympham madidus de fonte Cupido
 Vibrat, & ipſe ſuam gurgite tingit humum.
Non illum genuit claudo Cytherea marito,
 E Nymphis genetrix illa vel illa fuit.
Non face, non jaculis, non ſævis ignibus urit.
 Pro jaculis frigus, pro face mittit aquas.
Qualibus optarit nimios abſtergere ſoles
 Delia, cum multo victa labore jacet.
Cecropis accedat poſita cum caſſide parma,
 Sentiet hic nullas ſæva Minerva faces.

Acce-

Accedant gelidas hauſturæ Naides vndas,
 Virginitas illis ſalva futura ſua eſt.
Accedat Bromius, quamvis veſanus & excors,
 Amittet rabiem, cum volet ille, ſuam:
Cornua deponet vibrata ſaucius vnda,
 Nec cuiquam ſoliti cauſa furoris erit.
Iupiter huc veniat, nullo mutabitur auro:
 Iupiter huc veniat, non abiturus olor.
Spicula quæ cernis, ſine vi ſine vulnere manant,
 Et prohibet ſolam miſſa ſagitta ſitim.
Non hic in patrias Cinyreida mitteret vlnas,
 Nec lethi Hippolyto cauſa pudenda foret.
Byblida nec fratris vetito torreret amore,
 Inque ſuæ ſimilem verteret autor aquam.
Caſtius hac nihil eſt. tota eſt ſine ſordibus vllis,
 Frigidior glacie, frigidiorque nive.
Vllaque ne ducant tremulæ contagia lymphæ,
 Hoſpitibus raro janua clauſa patet.
Ipſa Venus veniat natis comitata duobus,
 Ipſa Venus clauſas ſentiet eſſe fores.
Semita ſola patet, dubios quæ ludit eundo,
 Et vario cœcum tramite ſignat iter.
Erret in hac Theſeus, Theſeus ſine fine redibit,
 Et referet ſemper, qua tulit ante, pedem.
Illic perpetuæ texuntur frondibus vmbræ:
 Perpetuas vmbras dat locus ipſe ſibi.
Dumque alios ludit, pariter ſe vindicat æſtu,
 Vt proculà puro gurgite Phœbus eat.
Et ne virgineæ patiantur crimina lymphæ,
 Et ne vel radiis læſa tepeſcat humus.
Interiora tenet gelidus, neque deficit, humor,
 Et procul ex imis fontibus vnda venit.
Stat ſuper armatus ſolis (quis crederet?) vndis,
 Et ſolas vndas ejaculatur Amor.
Sentiat hunc, nullos ſi quis deſiderat ignes,

Frigo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Frigoraque ardoris poſcat amica Deum.
Sentiat hunc, ipſum ſi quis vitabit, Amorem,
Cauſaque nullius fiet amoris Amor.

ELEG. VII.

AD

JOHANNEM REIGERSBERGIUM,

poëtas facile & conſtanter amare.

NE mihi ſit tanti, merito geſtare corym
Et viridi lauro tempora jure tegi,(bos
Aut inter veteres non diſplicuiſſe poë
Nec minus à tota poſteritate legi,(tas
Vt toties noſtros aliquis traducat amo
Et fragilem dicat vatibus eſſe fidem, (res
Cœleſteſque animos lentas admittere curas,
Et quaſi torporem deſidiemque pati.
Hoc facinus Pæan cunctique avertite Divi,
Nec Veneris proles, nec ſinat ipſa Venus.
Eſt aliquid Muſis pariter commune, Deoque,
Qui ferit & ſemper pectora noſtra tenet.
Vt duo majores ſumunt incendia vires,
Vt fulgor gemino major ab igne venit,
Aut vbi mens Bacchi dubiis impellitur auris,
Difficiles motus diſſimileſque capit,
Et modo, ſed totas, ſubito propendet in iras,
Et modo, ſed toto, Cypridis igne calet:
Sic, vbi vis Phœbi pariterque accedit Amoris,
Plus ira Veneris pectora noſtra premit.
Tum pariter jungit, pariter ſe miſcet vterque,
Et pariter flammas & ſua tela movet.
Sæpe ego cum vellem faciles effundere verſus,
Optavi tenero tactus amore capi.

Sæpe etiam finxi, nimium ne languidus eſſem,
Nec bona tam, vulgo ſed meliora, dedi.
Ipſa per ardentes loquitur Cytherea poëtas,
Et minus à Muſis impetus ille venit.
Quod Nemeſis quondam potuit, quod pulchra Ly-
Crede mihi, Divæ non potuere novem. (coris,
Adde quod accenſos irritant carmina vates,
Et lenocinium mens ſibi noſtra facit,
Cunctaque credibili fingit majora videtque,
Et favet infelix ignibus ipſa ſuis.
Cætera celantur, quævisque in imagine formæ
Et labes animo diſſimulata perit.
Maſcula ſit: talis Tritonia fertur vbique.
Pæta ſub Idæo judice Cypris erat.
Sit facie triſti, ſit pallida: talis ab illo
Quo fuerat Iuno tempore victa, fuit.
Sæpe agilem noſtro legiſti in carmine Roſſam,
Parva tamen multis viſa breviſque fuit.
Sic perii, cauſaſque mihi cur ſemper amarem,
Nec bene quæ poſſem vincula ferre, dedi,
Abſolvique faces & ſæva Cupidinis arma,
Et volui innocuas Cypridis eſſe manus.
Sive erat incomptis, nec adhuc ornata, capillis,
Viſa eſt ſimplicitas carmine digna cani:
Sive aliud deerat, ne poſſet compta videri,
Ingenio cœpit comptior eſſe meo.
Sic ego ſex meſſes perii totidemque decembres,
Et cineri vires auxiliumque tuli.
Nunc mihi crudeles alio vertuntur amores,
Materiemque meam terra Valachra tenet.
Vix equidem vultus formoſaque lumina vidi;
Protinus incalui, protinus ictus eram.
Hauſerunt gemitus Domburgi littora noſtros,
Et Nymphæ lachrymas vix tenuere ſuas.
Hæc quoque nonnullis meruit taciturna videri,

Et

Et nimium raro, nec niſi juſſa, loqui.
Me decus ingenuum, teneræque modeſtia formæ,
Me pudor in caſta virginitate juvat,
Nominaque invenio flammis aptiſſima noſtris,
Vt, velut infuſa Pallade, creſcat amor.
Creſcit, & ingentes animo concepimus ignes,
Creſcit, & ardorem, nunc quoque, læſus alo.
Sic ne non pereaṁ, plus veris laudibus addo,
Et nocet autori, credere velle ſibi.
Da nobis Hecuben, tam multos neſciet annos,
Da nobis miſeram Baucida, dives erit.
Sit turpis macie, longiſque exercita curis;
Hanc gracilem dicam: ſic mihi verba dabo.
Sit faciem ſit nigra manus: ceu Tibure miſſa
Protinus intactum carmine vincet ebur.
Donamus faciem, donamus quidlibet illis,
Et formæ artifices ingeniique ſumus.
Non Helene tanti, quamvis formoſa putetur,
Vt Phrygios bello frangeret vltor, erat:
Cui, licet è Leda genitæ cygnoque parente,
Mæonidæ formam conciliavit opus.
Felicem nimium tam lenta Cypride vulgum,
Quos dubia tantum cuſpide tangit Amor.
In nos ſanguineas, certiſſima tela, ſagittas,
Et ſemper pharetræ mobile verſat onus.
Pectora deficiant vatum: ceſſabit. & illi
Nil facient tædæ, nil ſuus arcus aget.
Sordebit propria ſævum rubigine ferrum,
Extinctus domitor fulminis ignis erit.
Te quoque felicem, gemino qui ſaucius igne,
Audiat ipſa licet lux tua, ſæpe cales.
Certius ex alta bis mittitur anchora puppi,
Et tenet inſtabiles vncus vterque rates.
Certius hoc fateor. ſed nos crudelis in vna,
Et nimium conſtans, ſed pia, cura tenet.

Non perit in cunctis, ſi quis non hæret in vna.
  Ludit, & e quavis gaudia certa petit.
Exigit à nobis meritas conſtantia pœnas,
  Et damno eſt probitas, vt ſolet, ipſa ſibi.
Di facerent, noſtræ vellent quoque ſcire puellæ
  Carmen, & hic illis cognitus eſſet honos:
Tam faciles omnes, quam non ſine amoribus eſſent,
  Nullaque laus ſalva virginitate foret.
Quæritur, infelix toties cur perdita Sappho
  Occiderit. vates ingenioſa fuit.
Non illam gravidi lana tenuere quaſilli,
  Nec varie docta pingere norat acu:
Nec bene creſcentem tremulo percurrere telam
  Pectine. quod faceret nil niſi carmen erat.
Dicitur arſurum prius exarſiſſe Phaonem,
  Et puero flammas præripuiſſe ſuas.
Ah quoties illi lentos objecit amores,
  Ah quoties dixit ſaucia, ſerus ades!
Ah quoties teſtata ſuas eſt carmine curas,
  Et Veneris blandum carmine pinxit opus!
Nec tantum dubios ſemper ſectamur amores,
  Sed legem thalami pectora noſtra ferunt.
Cum tacitas ſedes inamœnaque regna ſubivit
  Et Stygios Orpheus conſtitit ante Deos,
Credidit Ixion, & qui fugientibus vndis
  In medio ſemper flumine quærit aquam,
Et notæ Danai diverſo crimine natæ,
  Legitima vates ſemper amare fide.
Solus amor noſter tenebras perrupit Averni,
  Quaſque domos homini mors dare ſola poteſt.
Plus tamen incertis animus jactatur in vndis,
  Mens vbi, cum ſperat, plus tamen ægra timet.
Accedunt veteres, blandiſſima turba, poëtæ:
  Præcipue, cujus pulchra Corinna fuit.
Qui docuit cunctos, quod non neſcire poëtas

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Tu quoque, perlecto carmine, certus eris.
Et qui Callimachum patrios deduxit ad Vmbros,
Et cui perpetuo poſcitur igne focus.
Teïus in ſylvam lepidos deducit Amores,
Et tenerum myrto ſedulus agmen agit.
Extinctum poſt fata Bion deplorat Adonin,
Flebiliuſque ipſa Cypride fata gemit.
Ferreus eſt lectis ſi quis non vritur illis,
Hippolyto quamvis durior illa legat.
Liber eram, memini, nec me mea Roſſa tenebat,
Simichidæ juxta forte jacebat opus,
Et Batti faciles, & noti Daphnidis ignes,
Et læſus patrias Tityrus inter oves:
Ingemui, vetereſque iterum rediiſtis amores,
Et placuit ſimplex non operoſa Venus.
Hic pomo teneros aliquis mercatur amores,
Huic precium formæ dulce columba venit.
Protinus & carmen rediit: cum carmine rurſus
Cœpit amor vires, cœpit habere dolor.
Spes quoque paulatim vires aſſumpſit eundo,
Spes ſtimulos addit: ſpes ſibi vela facit.
Spes acuit blandos & callida paſcit amantes,
Credulitas quamvis vatibus iſta nocet.
Siſyphe ſic volvis rediturum è culmine ſaxum:
Invidiam pœnæ ſpes tua ſemper habet.
At tibi qui lentos inclamas ſæpe poëtas,
Ne noceat nati Cypridis ira, cave.
Qua pharetram geſtat qua ſpargit ſæpe ſagittas,
Hac ſocios vates vindicat ille manu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. VIII.

In obitum

FREDERICI TAUBMANNI,

cum ab eo Plautum manu morientis inſcriptum & ad ſe miſſum accepiſſet.

QValis mœſta parens, cum jam ſuprema minatur
Atropos, & vergit non reditura dies,
Exiguum charæ munus dat & oſcula natæ,
Atque ait, hoc noſtri pignus amoris habe.
Illa datum ſervat, matremque agnoſcit in illo,
Et matris, parvum ſit licet, inſtar habet:
Non aliter ſævi, Taubmanne, in limine fati,
Cum premeret ſacrum mors inimica caput,
Inſcriptum noſtro miſiſti nomine vatem,
Qui tibi deliciæ qui comes vſque fuit,
Qui tibi longævam ventura in ſæcula vitam,
Nec leve poſt cineres nomen habere dedit.
Agnovi gratámque manum ductuſque labantes,
Qui puto jam dextræ deficientis erant.
Hæc quoties ſpecto, toties Taubmannus in illis
Spirat, & ante oculos ceu redivivus adeſt.
Sæpe etiam lachrymæ mœſto labuntur ab ore,
Et ſubeunt animo mors pietaſque meo,
Et ſubit iſta fides: quam nunc poſt fata ſuperſtes,
Doctus in Elyſia valle poëta colis.
Hic tua victuri veniunt ad fœdera vates,
Et jungit teneram quælibet vmbra manum.
Occurruntque tibi. Pars priſcæ munia vitæ,

Pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Pars Muſam & ſtudium, pars rogat vna domum.
Injiciunt alii ſertos in tempora flores,
Dant alii, quales ſponte miniſtrat humus.
Deducunt alii, longaque exercita febri
Membra, ſub arboribus ſub foliiſque locant.
Hic lenem Zephyrus venienti aſſibilat auram,
(Hos Zephyrus campos hæc loca ſemper habet)
Frigoraque indulget, ſed mitia. totaque Phœbi
Ardentis radios telaque neſcit humus.
Laurus humum virideſque involvunt vndique myrt
Illa domus vates hoſpitiumque tenet.
Quaque ſedent, violis ſudat pia terra roſiſque,
Et calcant teneras ſub pede veris opes. (Eo
Namque vbi mane novo pulchrum caput extuli
Ros cadit aſſiduus, totaque terra madet:
Quotque cadunt guttæ, totidem ſine ſemine ſurgu
Ingenui flores, quos ſuus humor alit.
At ſuper impendent capiti cum vitibus vlmi,
Quæ plenum geſtant nectare ſemper onus:
Sed quod ſponte viris ſummo de ſtipite manat,
Et Ganymedea non eguere manu. (quam e
Nec cibus vllus adeſt, nec abeſt tamen. invida nu
Apponitque ſuas terra benigna dapes.
Talia Saturno duxit ſub rege vetuſtas
Tempora, cum terræ mixtus Olympus erat,
Errabantque Dei paſſim: contentaque parvo
Nullarum probitas non erat inſtar opum.
Sub lauri foliis denſaque à vitibus vmbra,
Cryſtallo quavis purior vnda cadit.
Vnda cadit prono de pumice. quaque virentem
Sulcat humum, trepidat: nec leve murmur abeſt.
Quale, vbi vere novo cinxere examina regem,
Certant vnanimes edere murmur apes.
Hac, ſi vera canunt, quiſquis ſe proluit vnda,
Oblitus vitæ fata prioris agit,

Et triſtes gemitus lachrymaſque è pectore delet,
  Nec memor eſt lethi, nec memor ipſe ſui.
In medio, Phœbi gelida de fronde corollam
  Nectit, & è myrto pulpita condit Honos.
Illic innocui recitant ſua carmina vates:
  Pars Elegos, ſed quos ſcribere juſſit Amor,
Pars Sylvas faciles natoſque ex tempore luſus,
  Pars ignes Lyricos, pars Epigramma canit.
Hic ſedet, & priſcos Lotichius ardet amores:
  Hoc nullum majus gens tua nomen habet.
Nec negat hoc Naſo, lateri cui proximus hæret,
  Nec negat hoc Nemeſi nunc quoq; junctus amans,
Nec negat hoc Veneris puer & Cythereïa mater,
  In terris alium vix habitura parem.
Aſſidet, & totis indulget baſia labris,
  Aut junctum in chorea fert Tunicata pedem.
Claudia quam ſequitur rivalibus æmula curis,
  Primus amor vatis primaque cura ſui.
Ille manu medica Phœbique potentibus herbis
  Sæpe aliquam vellet quærere læſus opem:
Mox vbi pulchra videt ridentis lumina Nymphæ,
  Gaudet, & ardori jam favet ipſe ſuo.
Exulat è toto funeſta Tragœdia luco,
  Et quæ ſanguineas cogit in arma manus.
At feſtiva ſedet lepido Comœdia vultu,
  Nixa pedem ſocco, cætera ſerpit humi.
Hanc colit ante omnes Vmber, tua gaudia, vates,
  Quem decimam credunt ex Helicone Deam:
Cui Veneres omnes, omnes riſere Lepores,
  Forſitan & palmam Græcia victa dedit.
Nunc quoque, ſi quando redeunt ad pulpita ludii,
  Haud mora, quæque ſuam deſerit vmbra domum,
Et ſpectaturi properant per gramina manes,
  Ipſe quot immenſus gramina campus habet.
Hunc ſequeris paſſim viridem, Taubmanne, per herbam,

Seu conſedit humi, ſive theatra petit.
At te Simplicitas ſequitur, Riſuſque Saleſque,
Viventi comites qui tibi ſemper erant.
Feſtiviſque jocis, quorum tibi copia larga eſt,
Elyſio nulli cedis in orbe locum.
Vel tibi ſuppeditat faciles Elegeïa verſus,
Ad numeros qualis nunc mihi ſponte venit.
Vel cœlo propiora canis terramque peroſa,
Sæpe Dei natum carmine, ſæpe Deum.
Qualia cantantem mirata Galægia quondam,
Impoſuit capiti debita ſerta tuo.
Quicquid agis, dum lacte tibi junctoque litamus
Carmine, formoſum linque poëta nemus.
Ipſe ego conſtituam tumulum tibi mœſtus inanem
Quotquot erunt anni, parvaque dona feram:
Pallentes oleas, nec tactas frigore lauros:
Delius has, illas flava Minerva colit:
Et, quæ cæſa ſemel non eſt victura, cupreſſum,
Et gratum lachrymas quæ tibi munus erunt.
Eliciamque tuam verbis ſolemnibus vmbram,
Nec Ditis rigidas experiere fores.
Scilicet Orpheæ dedit hoc Proſerpina Muſæ,
Cum rite Iſmarium ſollicitaret ebur.

ELEG. IX.
In natalem
P. OVIDII NASONIS
diem ab eo proximum qui natalis Minervæ.

ANte duos, fulvi vectorem velleris, or-
tus,
Sol adiit. medio nata Minerva fuit.
Altera lux oritur feſtis de quinque
Minervæ,
Et Divæ auſpicium bella colentis habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quæ, licet vberius Pelignis favit aquoſis,
Romana; tamen eſt inter habenda, dies.
Illa dies terris Naſonem contulit: illa
Sydus inocciduum perpetuumque dedit.
Protinus excepit naſcentem Æneïa mater,
Et pueri cunas ducere juſſus Amor.
Nec lucis memor ipſa ſuæ, Tritonia virgo
Adfuit, & Phœbus Pierideſque Deæ.
E quibus vna ſoror jam motam ſuſtulit vrnam:
Altera ſic monitis illius orſa loqui,
Vive puer, dixit: ſeptemque aſſurgite montes.
Infelix Helicon, gloria prima, jaces.
Ingenio vincat Tyberinus, vincit vt armis.
Non alium Grajis fata dedere parem.
Tranſtulit Æneas huc Veſtæ numen, & ignes:
Tranſtulit ille ignes huc, Cytherea, tuos.
Alme puer, puerique parens, aſſurgite nato,
Addat & ad feſtos hunc quoque Roma diem.
Ille verecundis dictabit verba puellis,
Quæ ſcribat domino quæque relicta ſuo:
Aut gemet in foribus non exauditus amator:
Aut dominæ lentam ſollicitabit opem.
Et modo præcipiet, tenerum modo tollet amorem,
Et medici partes conciliator aget.
Nunc ſpecies formaſque alias inducet, & annum
Lapſaque ſub terras ortaque ſigna canet.
Et nuſquam deerit facundæ copia linguæ,
Grataque ſimplicitas, mobilitaſque viri:
Nec dulcis quanquam in minimis ſapientia rebus,
Quæ vim non rigide præcipientis habet:
Et quicquid longis vix ſuadet Græcia chartis.
Non alio Delphis Delius ore canit.
Quod ſupereſt, Fortuna fave. ſed fata minantur,
Et pluviam cœli diſcolor arcus agit.
Eloquar an ſileam? lachrymæ ſua verba morantur:

(Verbaque cum lachrymis mixta fuiſſe ferunt.)
Nec magis aut Cremeræ, Ticini aut cæſa juventus,
Aut clades ſuperis vlla pudenda fuit:
Nec magis infauſtum Romæ fuit Allia nomen.
(Inter Cæſaras atra ſit illa dies!)
Finibus in Scythicis, vltraque binominis Iſtri,
Ille tuus quondam, perfide, doctor erit.
Non Venus hoc natos de ſe ſperare jubebat;
Ardorum genitrix, Æneadumque parens.
Triſtibus hic elegis patriam plorabit ademptam,
Nec ponti gelidam diſſimulabit humum.
Qualia deſerta Philomela ſub arbore, natis
Orba repente ſuis, aut viduata, gemit.
Qualia Mæandri toties redeuntis in vndis,
Aut canit, aut fertur, jam moriturus, olor.
Hic fati immemorem diſtringet carmen in Ibin.
Archilochi diris dignior ille fuit.
Dixerat: ingemuit. vocem tenuere ſorores.
Flet Venus admonitu, flet male gratus Amor.
Indoluit Phœbus: ſublectaque verba ſorori
Rettulit, ante oculos viſus adeſſe, mihi.
Dicta dies aderat, primaſque Aurora tenebras
Purpureis nondum tota premebat equis.
Ipſe Deum vidi. ſeu tactæ mentis imago,
Seu ſomnus fuerit: nec puto ſomnus erat.
Læva Dei myrtum, dilectaque ſerta gerebat:
Compoſitum fidibus dextra tenebat ebur.
Littoreaque premens leviter mea tempora myrto,
Sacra dies hæc eſt, & celebranda tibi,
Sacra dies, inquit: quæ primum lucis in auras
Naſonem populis, & tibi Roma, tulit.
Hanc ego, ſeu Lyciam, maternaque littora calco,
Seu Boreæ ſedes teſquaque, lætus ago. (tem
Nec pudet; & referam, quanquam pudet (omnia va-
Scire decet; cœlum vatibus omne patet:)
No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nos quoque læſit Amor, volucriſque potentia Divi,
Et ſatis in cœlo fabula nota ſumus.
Nec loquar aut Chiones pulchræq; Coronidis ignẽ,
Aut veterem Daphnes, aut, Hyacinthe, tuum,
Et quemcunque ſuo deducit carmine noſter,
Cum facies verſas nobile cantat opus:
Pelignis memini vixiſſe ſalubribus olim.
Cauſa fuit facies grataque forma Deæ.
Nympha fuit, vultu (ſi quicquam credis amanti,)
Digna Deo natis cœlicoliſque coli:
Clara, genus Solymi, Solymo cognominis: à quo
Sulmonem patriam ſcis habuiſſe ſuum.
Vlteriora ſequor. ſtudiis non illa Minervæ
Dedita, nec ſylvis arboribuſque, fuit.
Non illi juvenes, non illi ſtamina curæ:
Non radio docte, non bene pingit acu.
Carmen amat tantum, noſtraſque amplectitur artes:
Carmen amat tantum, noſtraque ſacra colit.
Negligit & formam. facies ſine cultibus vllis,
Et magis hoc ipſo, cultibus orba, placet. (arte?)
Hoc quoque jam (quis enim propria non tangitur
Materies noſtri magna furoris erat.
Sæpe canit vultuque ipſum commendat Homerum,
Quique ſuas Aſcræ gramine pavit oves:
Sæpe lyræ dulcem digitis accommodat artem,
Alcæique animos, Steſichorique modos. (phæ:
Nondum hæc Auſoniæ celebrabant numina Nym-
Vix Muſas Latii tum coluere viri.
Cura viro lituus, clypeuſque, & caſſis, & haſta.
Pars propriam, poſitus rure, colebat humum.
Matre ſub immiti ducebant penſa puellæ:
Aut plus aut ſolitum quæque trahebat opus.
Incalui fateor: nec ſpes affulſit amanti.
Hæc quoq; quo minor eſt, hoc magis vrget amor.
Deſerui cœlum, Pelignaque ſaucius arva

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ingredior; forma diſſimulante Deum. (tem.
Et modo cantantem ſequor, & modo plectra movē-
Nunc plectrum moveo, nunc prior ipſe cano.
Et placui, ſenſi: niſi ſi placuiſſe putavi.
Scis quam de facili cornua ſumat amans.
Nil tamen obtinui, vixque oſcula frigida carpſi.
Hæc quoque luctando, nec, niſi victa, dedit.
Atque aliquid volui. ſed enim, probitaſque pudorq;
Ingenuus tenuit, ſimplicitaſque Deæ.
Feſta dies aderat, Phrygiis qua vectus ab oris
Conſtituit Solymus mœnia prima ſuis.
Conveniunt matres ex ordine. virque paterque
Quilibet, & quævis feſta celebrat anus.
Nec pudor hic poſitis in vino ludere menſis,
Nec pudor inſtabiles nocte referre pedes.
Nympha petit latebras, prætentaque fontibus antra.
Forte illi in manibus docta Corinna fuit:
Aut aliquid Sapphûs. nec enim ſuus ardor amanti
Singula noſcendi tempora longa dabat.
Collis humo ſurgit, quem cingunt vndique rivi:
Sylva tegit collem, frigore grata ſuo.
Hortus ineſt ſylvæ latiſſimus. altera pendet,
Altera pars plana eſt. utraque juncta ſibi.
Omnis ab arbitrio locus eſt ſecluſus: ab omni
(Halantes Zephyros excipe) ventus abeſt.
Sol quoque abeſt omnis: niſi cum jam cedit, & auro
Illudit foliis arboribuſque ſuo.
Fons ſtrepit in medio, lapſuſque è culmine ſummo,
Per flores trepidat, quos ſuus humor alit.
Denſa ſalix fontem, fontem viridiſſima myrtus
Roſque maris cingit: nec mea laurus abeſt.
Nympha petit fontem: ſiccaque in margine veſtem
Ponit. humi veſtem: cætera tingit aquis.
Membra nivem vincunt, quæ nondum Sole tepeſcit,
Impuri nondum quam tetigere pedes:
Quæ-

Quæque ſuperfuſo commendant omnia rore,
Commendant ſpeciem ſponte nitentis, aquæ.
Subſequor ignaram: vulgoque remotus ab omni,
Solvor in amplexus, Nympha Latina, tuos.
Sumque Deum faſſus. faſſo negat. vltima reſtant:
Nec niſi ceſſiſſet viribus illa meis.
Victa pudore gemit, patriamque relinquit & vrbes,
Errat & in ſolis incomitata locis.
Luna latet novies, totieſque recolligit ignem:
Et Solyme precium virginitatis habet.
Mota meis favit precibus Lucina puellæ.
Sponte, ſuo blandum tempore ſolvit onus.
Negligit infantem, gelidaque ſub arbore ponit:
Et potuit quemvis ille movere Deum,
Venit ovis, juſſuque meo lac præbuit illi:
Multaque mel flenti ſuppeditavit apis.
Indolui læſus: puerumque, altricis egentem,
Lactanti, patrio tactus amore, dedi.
Forte illic Phrygiæ matrona è ſanguine gentis
Enixa eſt: vna quæ fuit orba die.
Strix puerum rapuit: nutrixque doloribus ægra
Suppoſuit fœtum, matre juvante, meum.
Deſerui Nympham. viſa eſt indigna parentis
Nomine: viſa meo non ſatis apta thoro.
Calliope ſacra genitum circumtulit vnda,
Et quæ de tenero nomen amore gerit.
Nec ſemel ad cunas cecinit Cythereïa mater,
Et puero ſomnos conciliavit Amor.
Vix ſeptem addiderat bis denis menſibus annos,
Cum patrio cœpit dulcius ore loqui.
Sponte ſua verſus tenero decurrit ab ore,
Ad numeros veniunt verba ligata ſuos.
Et calet, & quovis primævus tangitur igne.
Vno hoc diſſimilis, cætera matris habet.
Plus patriæ tamen artis habet. vigor ille paternus,

Lætaque vis fandi, non habitura parem.
Multaque quæ vulgo non pervidêre poëtæ.
Non niſi cœleſtes impetus ille capit.
Deſine jam faciles mirari in carmine motus,
Et dulce eloquium, plenaque verba Deo,
Ingeniumque viri, quo nil fœcundius uſquam eſt.
Pars cœli, & noſtri ſanguinis ille fuit.
Sola Venus nocuit, nec amici Cæſaris ira.
Debuerat vati mitior eſſe ſuo.
Debuit & nobis. (niſi ſi diverſa movemus:
Et puto jam cœpi non bona verba loqui.)
Scilicet hoc merui, cum de cœleſtibus vnus
Imperio lauros auſpiciumque dedi.
Scilicet hos merui, cum tela emiſſa per auras
Actia, victrices conſtituêre rates.
Cum quibus edomitum Rectori ceſſimus orbem,
Et rerum moles Cæſariana fuit.
Quod potui feci, nihil ut mortale teneret,
Et propriam lucem conſpicuamque dedi.
Altera lux Divam genuit, lux altera vatem.
Artifici meruit proximus eſſe Deæ.
Illa dedit puppim, Scythicas qua finderet vndas,
Auxilium miſeræ præſtitit illa viæ.
Hæc tibi, quam pictis fas eſt adjungere Faſtis,
Hæc tibi, quæ ſacros inter habenda, dies.
Dixerat. obſtupui: cœlumque albeſcere ſenſi.
Luxque ſimul nata eſt, & celebrata mihi.

ELEG. X.

In fontem puriſſimum, in ſylva non procul Gerardimontio.

FOns perlucidior vitro, nive purior ipſa,
Nympharum hoſpitium, Naïadumque domus,
Quem circum gelidæ defendunt ſolibus vmbræ,
Et multæ coryli multaque quercus amat,
Pertæſus nimio ſpirantem frigore ventum,
Et ponti aſſiduas ſollicitaſque minas,
Ad te lætus eo, patriæ vix redditus oræ,
Finibus è Batavi littoribuſque maris.
Accipe me: ſic te, non lapſus ab arbore ramus,
Non vllæ pecudes, nullaque turbet avis:
Sic qui nunc trepidant per humum decurrere rivi,
Et nunquam faciles impediantur aquæ,
Sic puro tremulæ claudantur marmore lymphæ,
Quas non pura ſatis ſolaque claudit humus:
Sic ſemper ſitiant formoſas Naïdes vndas,
Et caſtæ Dryades quas tua ſylva tegit:
Sic veniat Diana tibi poſcatque lavari,
Sic ſoli veniat conſpicienda tibi:
Sic longe fugiat Satyrorum impura juventus,
Virginibus ſolis vt tuus humor eat:
Accipe defeſſum nimiis ſoliſque viæque
Æſtibus, & ſiccam frigore pelle ſitim.
Namque ego nec Chii malim puriſſima Bacchi
Pocula, nec malim pura Falerna ſequi.
Felix, cui ſatis eſt quantum natura propinat
Omnibus, & cuivis juſta miniſtrat humus.
Quem non immodicæ poſſunt corrumpere menſæ,
Non molles epulæ, non operoſa Ceres,
Poculaque occultas leti ducentia cauſas,

Et nocitura ſibi prodigioſa ſitis:
Sed gaudet manibus ſalientem ducere lympham,
Aut puram madido de Iove ſumit aquam.
Sic ego crediderim priſcos vixiſſe parentes,
Quos vitæ innocuæ ſponte trahebat amor.
Te ſupra virides circundant vndique rami,
Datque tui ſaturo, cum lubet, herba thorum,
Cui variæ veſtes, omnis cui purpura cedat,
Et quæ bis Tyrio murice lana madet.
O ego ſic poſſim tranquille ducere vitam,
Ignotus populo, notus at ipſe mihi!
Sic mihi paulatim veniat non pigra ſenectus,
Tardaque mors, felix terminus ipſa ſui.
Non ego magnorum ſpectem convivia regum:
Sat menſæ comites vnus & alter erunt.
Qualis noſter amor, noſtræ pars maxima mentis
Vrientius. ô Muſis & mihi dulce caput!
Vel qualis Morinæ notiſſimus incola terræ,
Quo nil candidius Belgica tota tenet.
Qui centum aligeros volitantes vidit Amores,
Luminibus circum dulcis Hyella tuis.
Ipſe tua nectam viridem de fronde coronam.
Tu mihi pro lympha Bellerophontis eris.

ELEG. XI.

In vrbem

GANDAVUM

cum eam denuo poſt inducias videret.

CÆſareis dignata parens celeberrima cunis,
Et poſt majores vix genitura Deos;
Hoc quoque, ſi fas eſt, titulis adjunge tuorum,
E Batava vatem qui tibi venit humo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Liber, & impatiens dominas admittere gentes,
Et tuus, & laudi natus, & alta ſequi.
Cætera ſunt hominum: Deus eſt in pectore vatum.
Hoſpitium noſtræ numina mentis amant.
Hinc decus, & centum ventura in ſæcula virtus
Mercedem à tota poſteritate petit.
Quam neque tecta tibi ſublimibus alta columnis,
Nec genitus Cæſar, nec tua templa dabunt:
Quamvis Liza pater, quamvis hinc rector aquarum
Scaldis, & inde tuam Livia tingit humum:
Ruraque vaſta tibi media ſpectantur in vrbe,
Et formoſa tua creſcit in vrbe Ceres.
Omnia perrumpunt & eunt in ſæcula chartæ,
Nominis autores: cætera mortis erunt.
Vivit, & in ſolis ſpectatur Græcia chartis,
Acceptumque ſuis vatibus eſſe refert.
Quantaque nunc ſupereſt Muſis debere fatetur,
Et vetita eſt noſtro carmine Roma mori.
Te quoque per laudes fas eſt aſſurgere noſtras,
Altaque victurum tollere in aſtra caput.
Non mihi Parnaſſus dominæque in vota ſorores,
Nec precibus Pæan ſollicitandus erit.
Vrientius occurrat, ſatis eſt. Helicone relicto
Inveniam Muſas, & ſatis oris erit.
Dicam animos in bella tuos, ſævoſque tyrannos
Nunquam impune tuas ſollicitaſſe manus:
Exactoſque duces toties, quos turpiter auſos
Quidlibet, in fraudem vis ſua ſæpe tulit.
Salve, invicta parens, populorum invicta tuorum,
Vel ſine militibus non habitura parem.
Sola triumphorum genitrix & cauſa tuorum,
Et ſola auſpiciis non ſuperata tuis:
Digna nec inviſos includere mœnibus hoſtes,
Digna nec imperium læta volenſque pati.
Non indigna tamen poſito ſic vivere bello,

Et pacis longæ commoditate frui.
Omnia debentur tranquillæ commoda paci:
Ante alias ingens hæc Dea numen habet.
Plus tamen ante omnes huic nos debere fatemur,
Et minus eſt quicquid cuilibet illa dedit.
Illa mihi Vrienti dulces invadere vultus
Obtulit, & pura pectora juncta fide.
Hoc ſatis, hæc rerum ſors eſt extrema mearum.
Hic modus, hic voti terminus ipſe mei eſt.
Ibimus, & gemina devincti tempora lauro,
Dicemus laudes, maxima Ganda, tuas.
Tum geminas, Pax alma, tibi ſacrabimus aras,
Et cadet ante tuos alba columba pedes.
Sic pariter junctique animis in ſæcula mille
Ibimus, & famæ dulce teremus iter.

ELEG. XII.

Libri concluſio.

HActenus anguſtas lepide tranſmittimus vndas,
Et peragit curſus noſtra juventa ſuos.
Cum domitæ bellis acies, cum nomina regum
Materies poſſent carminis eſſe mei;
Non animi vires, non defuit altus Apollo,
Et poteram tanto digna furore loqui.
Pectora (nam memini) ſtimulo percuſſerat Evan,
Et gravis in dextro crure cothurnus erat.
Iam poteram Grajis aliquid debere poëtis,
Nec nihil ardoris, nec nihil artis erat.
Grotius applauſit: populoque ignotus in ipſo
Ter pede percuſſit curva theatra ſuo.
Spiritus aſſurgens, nec jam levioribus aptus,
Ibat, & ignavam deſpiciebat humum.
Mane erat: egredior, ſic Dî voluere, penates:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sic mea feſtivus fata regebat Amor.
Forte ſua, totos ut erat turbata capillos,
Vtque erat à ſomno languida, Roſſa venit.
Candida ſimplicitas placuit: ſubitoque cothurni
Pondere depoſito, factus amator eram.
Riſit, & oſtendens gremium Cythereïa mater,
En ait orcheſtram, magne poëta, tuam.
Ex animo reges ſævique abiere tyranni,
Et ſubii Roſſæ blanda theatra meæ.
E violis ſcenam contexuit alma Dione,
E viridi myrto pulpita fecit Amor.
In gremio cœpi levibus decurrere ſoccis.
Hoc opus: hoc vires materiemque dedit.
Materies hæc læta fuit, tragiciſque videbar
Queſtibus, & mœſtis aptior eſſe modis.
Roſſa, domi ſervans, miſerum proſcripſit amantem.
Nunc quoque pars operi convenit illa meo.
Candida poſteritas, veſtro date ſerta poëtæ,
Atque aliquis myrto dulce coronet opus.
Triſtis opes fortuna meas diviſit Iberque:
Vindicat hic partem, vindicat illa ſuam.
Hoc ſupereſt, quantum ſatis eſt poſt funera laudis,
Ne metuam à nulla poſteritate legi.

DANIELIS HEINSII

MONOBIBLOS,

SIVE

ELEGIARUM

Liber ſingularis.

PETRO SCRIVERIO S. D.

MONOBIBLON *meam, Scriveri clariſſime, hic habes. quam & titulo & loco cur à reliquis diſtinxerim, cauſam videtis tu, & quiſquis eruditus eſt. Inventiones quippe varias, liberas, amœnas, &, vt verbo abſolvam, Græcas, quæ ſimplicitate quadam transmarina & lepore numeros mereri ſibi proprios videbantur, tanquam faſce quodam, hoc libello incluſi. Quæ res, niſi animi nos conjectura fallit, tanto plus meretur gloriæ, quanto rarior minuſque hactenus tentata fuit. Quam nec violenter exigo; fretus judicio, ſine quo ne hoc quidem*

ſuſce-

ſuſcepi. Idem in nonnullis noſter ille inaffectatæ elegantiæ affectator Catullus præſtitit, & in primo libro maxime Vmber: quamvis, ſi vnam excipias elegiam aut alteram, minus in hanc curam incubuit, minuſque, ſive certo judicio, ſive alias naturæ ſuaſu, in propoſito perſiſtit. In reliquis, à ſe ſimulque à Græcis degenerat & retro cedit. Qui vir, curam & operam vbique ad elegiam, ſed & gravitatem admirabilem nonnunquam contulit. Cæteri longe ab hoc abſunt, & hominibus Græcis res habere ſuas ſibi jubent. Atqui liberrimum primo ſcribendi genus elegia fuit, quam delicatiſſimis induerunt Græci numeris. Quos, cum alii, tum vel maxime ingenioſus Naſo immutavit. qui cum ingenii ſui frænos vbique laxat, ne nequicquam declamaſſe videatur, artem, vt Romanus conſtringit, legemque & æquabilitatem verſuum præſcribit ſibi, cui ubique fere obtemperat. Sic cum terſiſſima Tibulli filo animam addat, cultum non ſuſtulit tamen. Laſciviam omnem ejeravimus: venuſtatem, ſi quæ ſit, non excuſo. Tantum cum Comico Muſam meam adhortabor, priuſquam ad hæc ſacra pergo, Μοῦσα χορῶν ἱερῶν ἐπίβηθι καὶ Ἔλθ' ἐπὶ τέρψιν ἀοιδᾶς ἐμᾶς. *Idem tu fac, diuque cum vxorcula tua ſuaviter vive.* *Lugd. Bat.* CIↃ. IↃ. CIX.

DAN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII

MONOBIBLOS.

ELEG. I.

Ad

PETRUM SCRIVERIUM.

DVm tibi feſtivis lepide ceſſatur in vlnis,
Cordaque manſurus mutua jungit amor;
Nos nova, Scriveri, dominæ conſulta morantur:
Atque iterum ſurdis volvimur in foribus.
Bis volui proferre pedem, bis blanda Dione
Perculit admoto lene caput ſtrophio,
In thalamoque ſuo ſolitos deducere ſomnos
Iuſſit, & ignavo condidit in gremio:
Qua circum domini volitabant ſemper Amores,
Et teneræ myrti fronde virebat humus,
Grajaque ducebant tenui veſtigia muſco
Obſita, jam multis deſita temporibus.
Iunge manus mecum: pariter referemur eodem,
Cypridis in lucos regnaque. vulgus abi.
Hic mihi dum laudis percurrunt pectora curæ,
Mens tremit, ac princeps terret & vrget honos.
Dum vehor, audenti faciles ſuccurrite Divæ,
Vt mea vecta ſuo flamine puppis eat.
Materies ſatis apta mihi eſt. feror huc feror illuc:
Præſidet & puppi dux Cytherea meæ.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et trahimur ſequimurque: dolor nocet ille: dolore
Plus tamen hoc ipſo velle carere nocet.
Et furor eſt, ſed gratus, amor: lachrymæque jocique,
Materieſque operis riſus & ira mei eſt.
Di pereat, quiſquis lepidam ſpectare puellam
Ferreus, haud vllo tactus amore, poteſt,
Ridenteſque oculos placide placideque minantes
Haud didicit blando invadere ſuaviolo.
Mi facilis Natura leves præſcripſit amores,
Impoſuitque animo jura benigna meo:
Paſſeribuſque invectus ovantibus aurea Famæ
Templa, tuas pulſo Cypridis aula fores.
Pandite feſtivi tandem mihi pandite Amores,
Pandite laſcivi cum facibus pueri
Formoſæ ſedes: ne quicquam ingrata negare
Audeat, aut noſtris ſe ferat ex oculis.
Sed penitus penituſque ardentem pectoris æſtum
Sedet, in amplexus juſſa venire meos.
Illis Scriveriumque inter dominamque faventem
Conſtituat tumulum Cypris amica meum.

ELEG. II.

DVm ſua nocturno deducit lumina cœlo
Cynthia, dux tacitis addita ſideribus,
Aſtraque volvuntur tacito palantia mundo,
Totaque ſuppreſſo murmure languet humus;
Heinſius infelix, crudeli tactus ab igne,
Ad dominas perdit dulcia verba fores.
Tu niveo primos exhalans pectore ſomnos,
Languida ſopito lumine, Roſſa, jaces,
Innocuis perfuſa ſoporibus, inſcia rerum,
Pectora non vllis ſaucia vulneribus.
Qualiter Aſſyrio jam delaſſata marito,

Vici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vicinas Cypris deficit in violas,
Dulci victa ſopore, nec vllis ſaucia curis,
Nec jam vel nati vel memor ipſa ſui:
Aut matutino feſſæ ſub ſidere Nymphæ,
Poſtquam nocturnos inſtituêre choros,
Secreto in nemore, aut occulti in gramine campi,
Qua lapſa è gelida rupe ſuſurrat aqua,
Omnes procubuere, fatigatæque per herbas
Ingenuos paſſim conſtituunt thalamos.
Hic zonæ tunicæque, arcuſque, leveſque pharetræ
E tremulis pendent vndique corticibus.
At procul inſano percurrens devia paſſu,
Pan furit in voces, Pan furit in calamos,
Antraque cuncta vago pede perreptavit, & vmbras,
Sylvaque vocalem ſenſit adeſſe Deum.
Aſt illæ gelidis ſub frondibus inclinatæ,
Laxatis recubant molliter vberibus,
Virgineos ſomnos e pectoribus ſpirantes.
Huic procul aſſultant littoraque & nemora.
Talis ego, mea Vita, tuo percuſſus ab igne,
Languidus, ignoto vulnere tactus, eo.
Te nec noſter amor triſteſque ad limina voces,
Nec toties fuſæ ſollicitant lachrymæ.
At me pallida mors magis atque magis languentem
Opprimet hic ipſum dum moror ad thalamum.

ELEG. III.

HIc nemus occultum præcluſaq; fontibus antra,
Lymphaq; gaudentem frigore mulcet humũ,
Auraque vicinis juxta comes addita Nymphis
Leniter argutis ſpirat ab arboribus:
Malaque volvuntur tremulis labentia ramis,
Et paſſim, nullo decutiente, cadunt;
Exiguis variata ruboribus, æqua papillis,

Cum

Cum modico trepidant vbere, Roſſa, tuis:
Cum circum tunicas gracili preſſere tumore
Leniter, & primis luxuriant choreis.
Huc ades, ô mea Vita. videſne, vt amabile laurus
Sub gelidis præbere hoſpitium foliis
Propter aquæ rivum, gemino meditatur amanti,
Lymphaque muſcoſis exilit è laribus,
Languiduloſque agitata monet confundere ſomnos,
Argutaſque ſimul jungere delicias?
Donec lumina victa ſoporibus, ipſaque ſenſim
Devia mens blandis erret imaginibus:
Eque labellis ductus hiantibus halitus oris
Pectoris extremis effluat è latebris
In jecur inque meas calefacta per oſſa medullas,
Atque animam toto ſaucius ore bibam,
Collo pendens ſemiſupinus & oſcula libans,
Atque inter libandum oſcula deficiens.
Sic pariter victos ſomno fuſoſque per herbam,
Pallidus obliquo lumine cernat amans.
Atque aliquis mœſto ducens ſuſpiria vultu,
Propoſitum ſiſtat ſponte viator iter:
Donec rurſus iiſdem in amoribus evigilantes
Heſperus auratis occupet è foribus.

ELEG. IV.

QValiter ignotis jam primum ſaucia myrtus
Solibus, vmbroſo Cypridis in nemore,
Quam circum Veneres placitas duxere choras,
Et ſua ſuſpendit ſpicula multus Amor,
Iam viduata ſuis deſerto in gramine lymphis
Arida collapſis frondibus occubuit,
Aut roſa, quæ ſtrophiumque inter teneraſque pa-
Virgineis clauſa languet in vberibus, (pilias
Cui Zephyrus pater ipſe ſuas non amplius auras
Suffi-

Sufficit, & vires mater ademit humus:
Haud ſecus ignoto mens externata furore,
Roſſa, tuis poſtquam vultibus incaluit,
Aret, & effœto collapſæ in corpore vires
Deficiunt animæ vincla ſoluta meæ,
Ebriaque ignotis mens vulneribus langueſcens
Ardet in amplexus poſſe venire tuos.
Haud ſecus, incluſum thyaſo quem perculit Evan,
Nunc quoque ab heſternis languidulum choreis,
Errat, & ignavi percuſſus flore Lyæi,
Omnia non certis pervolitat pedibus,
Avia dum lento calcantem gramina paſſu
Pallida nox denſis implicuit tenebris.
Aſt olli roſeæ languent ſub fronte corollæ,
Sertaque collapſis arida temporibus.
Donec ſidereum deducens Lucifer agmen,
In tepida lapſum mane prehendit humo,
Rurſus pallidulum, rurſus caput huc atque illuc
Iactatum variis, ſemper imaginibus.
Sic mihi, Roſſa. tuis perculſum pectora curis
Semper ab integro poſſidet alter amor.

ELEG. V.

Hylas.

CVm Venus occultis Cinyridæ ſaucia curis,
Furtivo domini ſurgeret è thalamo,
Languida nox prono factura ſilentia mundo
Stillabat madidis roſcida ſideribus.
Ridebant valles, ridebant obvia tempe:
In florem viridis protinus ibat humus.
Parvus Amor junctos aurigabatur olores,
Percutiens geminis colla papaveribus.
Quos dum forte cavis è vallibus aſcendentes

Pau-

Paulatim campis flectit ab Aſſyriis,
Nympharum in lucos (Nymphæ tum forte ſedebant)
Aſpicit occultis ſub nemorum foliis
Pendentem lympham: tacitæ quam noctis imago,
Et tenebræ totis abſtulerant oculis,
Ni circum alludat radiis argentea Phœbe,
Et ſtrepitus denſis murmuret è violis
Occultus. qualis deſertæ rupis ab antro
Vere novo florum conſcia fundit apis.
At circum faciles Nymphæ choreas ducebant;
Nymphæ formoſis invida turba viris;
Quas intenta ſuo luſtrabat lumine Luna,
Pendentes tremulis arma ſub arboribus.
Pendebant pharetræ, pendebat inutilis arcus,
Quem metuunt Panes, quem metuunt Satyri.
Ergo abit, & puram ſpectator pergit ad vndam,
Oblitus niveas flectere rurſus aves.
Cunctaq; dum luſtrat, dumq; omnia circumſpectat,
Et faciles luſus, & faciles choreas,
Corpore propendens toto gelidis ſuper vndis;
Deciderunt arcus, deciderunt pharetræ,
Elapſæ furtim. veluti cum noctis in vmbra
Stella repente altum decidit in pelagum,
In pelagum delapſa, vel vt delapſa putetur,
Fulget, & immenſum lumine ſignat iter.
Ardebant paſſim latebræ, totumque venenum
Hauſerat occulto fons gelidus latice.
At Nymphæ Nymphæ, ſua rurſus tecta reviſunt
Mane novo, cum ſe Memnonis Æthiopis
Pegaſeis ſuper arva parens ſuſtolleret alis,
Et roſeis lora flecteret articulis:
Omnes innocuo devinctæ membra ſopore.
Qualis collapſis parthenice foliis
Demiſit collum gravis imbribus, aut vbi primum
Iam matutinis roribus immaduit:

Dum

Dum dulcem reduces traxêre per oſſa furorem,
  Non jam virgineis ſaucia vulneribus.
Ergo omnis fontes, nemora omnia circumcurſant,
  Et nuper gratas effugiunt latebras
Palantes. patrio quam vellent poſſe ſub antro
  Furtivo puerum avertere connubio,
Quem ſimplex à matre ſua deduceret error,
  Ad gelidos fontes, & nemorum ſpatia!
Ah miſera, ah demens, quam nec ſolitis pertentat
  Fluctibus aſſidue pectora ſerus amor.
Quantos illa ſuo conſumit corde dolores!
  Quam velit hoc matrem poſſe latere ſuam!
Ah teneræ matres, ſi cui puer integer annis
  Creſcit adhuc veſtro neſcius in thalamo
Crudelis flammæ, parvuſque ſororia libans
  Oſcula, materno nil timet in gremio;
Nympharum cupidos defendite ſemper amores,
  Neve aliquis veſtris prodeat è foribus:
Aut ſi cui male forte ſitis tentaverit ora,
  Sunt alii fontes, ſunt alii latices.
Hæc vobis matres edicimus: hæc Venus ipſa
  Suadet, & amiſſa mœſtus Amor pharetra.
Neſciit hoc magnorum infelix cura Deorum,
  Alcides, puero captus ab Argolico,
Cui circum malas flos aureus emergebat,
  Purpureis ſerpens vndique temporibus.
Neſciit, vtque comes volucri deſcendit ab Argo,
  Pergit Hylas puram quærere fontis aquam,
Valle ſub vmbroſa, qua pumice deſuper alta
  Humor aquæ prono murmure deſiliens,
Pendebat nemore in medio. Puer inſcius vrnam,
  (Inſcius hoc captas quippe videre Deas)
Admovet. Aſt illæ ſub frondibus hinc atque illinc
  Innocuum junctis involüunt manibus.
Luctantem fruſtra, fruſtra puerilia tendentem

Vndi-

Vndique cum multis brachia lacrymulis:
Siquis ſollicitas Alcidæ ferret ad aures
Extremos gemitus verbaque frigidula,
Quæ mediis ſuper impendens immurmurat vndis
Infelix! illa vaſticies nemorum,
Et conclamantes intercepere latebræ,
Et ſuſpirantis languida vis Zephyri.
Haud aliter prolem trepidantis ad omnia cervæ,
Diviſam caræ matris ab vberibus,
Crudelis lupus impediit. illa anxia matrem
Clamat, & in matrem dirigit ora ſuam.
At mater, nec jam mater, procul avia luſtrat,
Et bene vix natam ſentit abeſſe ſuam:
Sic puer Alciden Alciden jam ſuper vnda
Advocat. Alciden puppis Iaſoniæ
E levibus tranſtris & ſedibus egredientem,
Cingebat viridi gramine mollis humus.
Illum muſcoſo Nymphæ duxere ſub antro,
In vitreas ſedes, in vitreos thalamos,
Damnatum flammis & virgineo Hymenæo.
Vndique Hymen lætis ibat ab arboribus,
Vndique Hymen toto reddebat vertice ſylva,
Nil metuens crudas Herculis exuvias,
Aut nodoſa cavam quæ complent pondera dextram,
Grajaque dilectæ robora militiæ.
Sic formoſus Hylas divorum cœpit haberi,
Additus æternis corpore Naiaſin.

ELEG. VI.

AD JANUM RUTGERSIUM.

RVtgerſi, cui junctus amem, ni fata morentur,
Ire per & terras, ire per & maria,

Seu

Seu fugitive paras extremum viſere Celtam,
Seu dominos rerum viſere ad Æneadas,
Non ego dedigner tecum, juvenſque marinos,
Et quicquid toto naſcitur Oceano,
Dorida cum natis, verſæque Palæmona formæ,
Et luſtrare tuos, Cymodocea, choros.
Aut vbicunque latet formoſi mater Achillei,
Heu Priamo quantis cognita funeribus!
Nec nos Æoliæ terrerent iræ procellæ
Aut infeſta vagis æquora ſideribus,
Et nunquam Oleniæ non noxia lumina capræ,
Nec melior pictis Oarion ratibus.
Donec gramineæ ejectos in margine ripæ,
Sub patulæ feſſos arboris hoſpitio,
Exciperent Nymphæ indigites quocunque ſub axe,
Aut quaqua miſeris eſt locus exulibus.
Seu nos Parthenope magno calcata Maroni,
Errantes aliquo abduceret in nemore,
Seu nos Euganei colles, dominumque peroſa
Aſpicerent pulchri littora Tarviſii.
Illic Alcidæ nos populus, aptaque amanti
Deciduis myrtus frondibus obrueret:
Et triſtes pelagi caſus argentea lympha
E prono pendens elueret lapide,
Sedaretque ſitim pariter, pariterque ſopore ob-
duceret attonitis lumina navifragis.
Nec quamvis miſeros, nec quamvis omniū egenos
Deficerent doctæ, numina noſtra, Deæ.
Nec modus, aut blandi carmen recitare Properti,
Quem levis impoſitis preſſit amor pedibus.
Sive illum molli defixit Cynthia ſomno,
Horrentem notæ jurgia ſævitiæ:
Seu cum non faciles impugnat carmine valvas,
Ebrius, & duris oſcula dat gradibus:
Herculis aut magni raptos deducit amores,

Opprobrium caſtis non leve Naïaſin.
Felix, qui dulces verſu mercatus amores,
Hæret in extincti nomine Callimachi.
Felix, in roſeis ſemper qui tempora ſertis,
Inque Philetæis ſemper habet foliis.
Quondam etiam ſomnum Siculi ſuaderet avena
Carminis, & patrias Tityrus inter oves.
Seu cum crudeles Amaryllidos uritur ignes,
Et dominæ ingratis volvitur in foribus,
Cum ſe poſcit apem fieri, leviterque corollam
Illius in ſummis ſtringere temporibus.
Seu cum Trinacria paſcens Polyphemus in Ætna,
Non minus Ætna tuis ignibus incaluit:
Quem procul accedit Siculis Galatea ſub vndis
Ferrea, pene ſuis ſurdior æquoribus.
Quamquam nec deſunt violæ pendere roſæque,
Liliaque ingenuis mixta papaveribus,
Plurimaque ignaro largitur munera ponto,
Quæ fruſtra ingrati ſæpe ferunt Zephyri:
Vndaque vicinis e littoribus procurrens,
Spectantis nequicquam eripit ex oculis.
Illinc æternæ traherent nos mœnia Romæ,
Heu cœlo quantis cognita nominibus!
Virtutum pariterque virûm commune ſepulchrum,
Et tantum ſeræ poſteritatis amor.
Heic, Divi, quam dulce foret ſine lege vagari,
Et priſcis mentem fallere deliciis!
Forſitan Andini fuerant hic limina vatis,
Forſitan hæc Tulli preſſa fuere pede.
Heic Naſo, heic Vmber ſera ſub nocte redibat
Ebrius. heic ſurdas conſtitit ante fores.
Illic ſollicitas excepit janua rixas,
Improba, nocturnis humida de lachrimis.
Heic myrti, flores illic jacuere ſoluti,
Hæc eadem blandas pertulit aura preces.

Forte illic teneros corrupit paſſer ocellos,
Lesbiaque aurata conſtitit in ſolea.
Ingentes ſalvere animæ: vos Heinſius abſens
Abſentes, vt fas, lacte meroque colit.
E vobis divinum avido bibit ore leporem,
Quodque poteſt, veſtris paſcitur ingeniis.
Cætera, Rutgerſi, liceant tibi: non tamen illis
Immemorem noſtri te decet eſſe locis.

In nuptias

JOANNIS BORELII,

& caſtiſſima virginis

AGNETIS HAIMAN,

poſt peregrinationem.

QVi primum Venere inſolitam damnare puellam
Inſtitit, & mentis flectere duritiem
Vt levibus contacta cupidinibuſque metuque,
Ferveret ignoto pectora diſſidio,
Ceu quondam geminis rapientibus æquora ventis,
Vis Auſtri gelido diſſidet à Borea,
Idem te Aſſyriis reducem cum vidit ab oris,
Et ſacris Nili fontibus, implicuit
Ignoto gemitu atque ignoto volnere amoris,
Et levibus ſtrinxit pectora compedibus,
Quamvis immeritos teſtantem plurima Divos,
Et ſæpe in Batavo littore conſpicuum,
Sævas ſi lachrymas læſæque incendia mentis
Fluctibus inſanus mergeret Oceanus.
Sed non indomitas fregiſſent æquora curas,

Non poſſeſſa ſemel pectora linquit Amor,
Quem penitus magis atque magis traxere medullæ,
Et magis atque magis viſcera combiberunt.
Namque ferunt, procul à patriis complexibus olim
Humidulas inter Heliadum lachrymas,
Et ſaltus Arabas, vel qua fragantis amomi
Semper odoratæ luxuriant nebulæ
Erranti, dominos fatorum ita voluere Amores,
Cum tibi curarum millia molta darent,
Vt poſt ſæva viæ certamina, ſæva laborum,
Immitis dominæ ſpiritus exciperet
Reſpirantem animam, longiſque doloribus ægro
Virgineis eſſet portus in vberibus.
Vnde nec aſſiduis incumbens fluctibus vnda,
Nec Notus inſanis nubibus abriperet,
Non triſtes ſcopuli, non vis truculentior hædorum,
Aut gravis incertis motibus Oarion:
Sed feſtiva jocorum & blandi copia amoris,
Caſtaque nocturnæ præmia militiæ.
Cum tibi virgo, intacta aliis, ereptaque matri,
Nocturnis collum luſibus impediet.
Ah miſera, ah primis vix tandem ſaucia curis,
Quam veniens iterum lux alia atque alia
Inveniet domini complexibus intertextam
Brachia, materno tam procul à latere!
Quamvis mœſta ſuos lachrymis corrumpet ocellos,
Alterius nondum ſueta venire domum,
Et ſæpe incaſſum dubio ſuſpiria voto
Erumpent trepidis anxia pectoribus.
Qualis Penelopea novo deducta marito,
Hæſit in antiqui voltibus Icarii,
Humentes nequicquam oculos dejecta genaſque,
Cum toties pia percurreret ora rubor,
Lumina conſpecto quoties ſuſtolleret illo,
Cujus in amplexus eſſet itura, viro.

Quantos illa tamen fidei meritura triumphos,
Digna fuit tota poſteritate frui!
Nam neque cum Dîs æternum victura Calypſo,
Cujus bis geminus cingeret antra liquor,
Et thyæ fragiles, & non funeſta cupreſſus,
Prataque perpetuis roribus irrigua:
Nec cujus genitor radiantibus æthera bigis
Purpureis ſurgens ſcandit ab æquoribus
Dilectæ, potuere animum expugnare pudicum.
Tantus in abſentem conjugis arſit amor.
Nec minus illa tibi noctes vigilabit honeſtas,
Neſcia cujuſquam furta manumque pati,
Nec minus vſque tuis hærens amplexibus, vna
Incipiet ſomnos jungere languidulos.
Sitis felices tuque & tua, moltaque ſæcla
Vnanimis pariter vivite corporibus,
Alteriuſque alter læto devinctus amore,
Hæredem tantis addite muneribus:
Qui dum par opibus paulatim ſurgit avitis,
Volturium fauſtis arceat à foribus.
Hæc Venus, auratis Libani quæ vivit in hortis,
Aſſyrio fragrans ſemper odore comam,
Hæc Venerum cum matre tulit chorus omnis, & omnia
Ivit in æternis ſcribere corticibus.
Nec procul abſiſtens ſacro Concordia luco,
Sternuit, & certis annuit ominibus.

ELEG.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. VIII.

AD
MAXÆMILIANUM
VRIENTIVM,

in obitum matronæ

JUSTÆ VRIENTIÆ, N.V.

Domini Cruickenburgici conjugis, Max. F.

NOn ita me ſolo crudelẽ in monte leæna
Edidit, aut ſævis tigris in Armeniis,
Vt nullos, Vrienti, poſſim ſentire dolores,
Aut ſiccis lachrymas vultibus aſpiciam
Quæ mœſto tibi nequicquam de lumine manant,
Vt gelida è ſummo lympha cadit lapide:
Quam mittunt virides ſolatum Naïdes herbas,
Ne miſere æſtivis deficiant radiis:
Dum propere ereptæ fundis ſuſpiria natæ,
Quam tibi, quam caſto conjugis è thalamo
Crudelis Lucina, nihil miſerata gementem,
Abſtulit, & niſu ſuſtulit in medio,
Certantem blandos patri præbere nepotes,
Qui tibi languenti viribus ac ſenio,
Dulcia dilecto immiſcentes brachia collo,
Nubem omnem mœſti diluerent animi.
Verum ea non tetulere infeſti gaudia Divi.
Sed veluti myrtus Aſia, quam teneræ
Deſuper aſſiduo perfundunt gurgite Nymphæ,
Nympharum ſpes & delicias Dryadum,
Paulatim diffuſa comas attollit ovantes,
Et non occultis auctibus erigitur:
Iam ſibi promittunt Divæ de fronde corollam,

Et jocunda ſuis frigora temporibus :
Mox ſi illam Boreas radicitus extirpavit,
Occidit, & verſo mœſta jacet decore,
Iam virides oblita infelix pandere ramos,
Orbaque vitali quem biberat latice.
At miſeræ Nymphæ circunſtant, & ſua fruſtra
Irrorant madidis gaudia luminibus.
Nequicquam. quia jam collapſam pondere toto
Ipſa parens tellus non potis erigere eſt:
Nec dulcem inſpirare animam. quia frigida vitæ
Pauſa ſemel, nulli reſtituenda, venit.
Sic tibi continuo felicis commoda natæ
Invida fatorum ſurpuit invidia.
Cum tenera primos ætas includeret annos,
Et roſeum vitæ florida ver ageret.
Tu ſupera aſſiduis incuſas numina dictis,
Nec tibi, ſeu denſæ noctis eunt tenebræ,
Seu cum purpureum ponto caput extulit Eos,
Cura liquefieri pectoris ægra poteſt.
Omnia dum volvis, dumque omnia pectore verſas,
Cunctaque percurris, cunctaque ſuppeditat
Indulgens dolor ipſe ſibi, perque omnia tendis,
Non expectatis ſaucius vlceribus.
Et modo primævæ occurrunt monumenta juventæ,
Et pueræ luſus, gaudiaque innocua ;
Vt materna ſuis committens ora labellis
Hæreret cupide nexibus aſſiduis,
Aut tenerum ſomno leviter caput inclinaret,
Demiſſis recubans candida brachiolis:
Vel qualis trepido conſcribens ora pudore
In thalemum primis iverit ominibus;
Omnia perfundens lachrymis & queſtibus omnia.
Quæ nunc aërii cuncta ferunt Zephyri.
Nec reditura venit ſero intellecta voluptas,
Cum ſemel adverſis deſiit alitibus.

Nec ſemel avolſum reddit Proſerpina crinem,
Quem male damnato ſuſtulerat capite.
Non ſi perpetuo quot currunt ordine luces
Aſſiduo Ditem ſollicites gemitu.
Nec ſi flebilius damnato luctibus Orpheo,
Impellas querulis ſidera carminibus.
Septem illum perhibent deſerti in vallibus Hæmi
Noctes, & ſeptem continuaſſe dies.
Cum interea neque gratum admitteret ore liquorem,
Aut epularum animum frangeret illecebris:
Sed veniente die, ſed cum nox ſurgeret atra,
Clamaret ſolam perditus Eurydicen.
Eurydice clamabat: at Eurydece clamanti
Nulla dabat miſero ſigna, nec alloquio
Conjugis heu fidi miſerum lenibat amorem:
Sedibus errantem quam procul Elyſiis
Sæva coërcebant magnorum jura Deorum,
Quæque Adraſteis lex venit e tabulis.
Nec tamen, vt ſemel eſt Muſarum tacta lepore
Et Charitum donis, funditus interiit,
Sed ſuperans magis atque magis fatum omnibus æquum,
Perſtitit invita vivere Perſephona.
Hoc illi potuit conjunx dare muneris Orpheus,
Hæc ſolæ tribuunt munera Pierides.
Sic tua jam fatis quamvis conceſſit iniquis,
Vivet ab æternæ munere Menemoſynæ.
Hæc tibi perſolvunt noſtræ ſolatia Muſæ,
Has tecum pariter imus ad inferias.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. IX.

AD

IEREMIAM PIERSSENÆUM.

de patriæ amore. in qua fabula Europæ.

ETſi me patriis optantem vivere terris,
  Et modo dilectis ſtare ſub ilicibus
Muſarum dulci liquefactum nectare mentem,
  Et modo, cognato fonte levare ſitim,
Sæpe animo dubius dolor abripit, & male ſano
  Sevocat à caſtis corda lubidinibus,
Quas mihi, Pierſſenæ, Deus ſub pectore verſat,
  Qui madidam Delon incolit & Lyciam,
Non tamen & toti poſſunt requieſcere ſenſus,
  Muſarum & dominæ caſſibus impliciti,
Sed ſic attonitis hæremus mentibus ollis,
  Vt primum aſpectæ vultibus Andromedæ
In ſcopulo, in ſaxis, oblitus vertere curſum,
  Nubibus in mediis hæſit Abantiades,
Quem Danaës pulchro mentem irretitus amore,
  Edidit aurata Iupiter in pluvia.
Nam modo non dura curarum compede vinctos
  Mitis Amor blanda detinet in domina,
Et modo non gratæ pallentes jurgia linguæ,
  Cogimur immites multa rogare Deos:
Et modo nequicquam vos ſuſpiramus amici,
  Vos loca, vos fontes, vos juga, vos virides
Nympharum ſedes, vos pulchræ flumina Gandæ.
  Non ego vos Scaldi aut Livia conſpiciam;
Dilectos certe; quantum neque pulcher Anaurus

Dici-

Dicitur Europæ gratus Agenoreæ
Æſtibus in mediis lætum veniſſe levamen,
Corporaque humidulis candida vorticibus
Illius & comitum blande foviſſe ſororum,
Aſſuetæ Tyriis ludere virginibus.
Tum quoque vicinis inſiſtens neſcia lymphis,
(Neſcia demiſſo conſtiterat calatho)
Formoſos vultus media ſpectabat in vnda,
Cum nivei vidit cornua falſa bovis.
Non ſic immitis Boreæ cum ſpiritus vrit,
Candidus immiſtis conſpicitur nivibus
Summus Athos, vel quæ converſa è ſedibus Oſſa
Intulit æternis prœlia cœlicolis,
Nec ſic quas intenta levi decerpſerat vngui
Lucebant medias lilia per violas.
Quarum tunc oblita, ſimulque oblita ſuarum,
Ah miſera, ah totis ſenſibus attonita,
In tauro hærebat, in tauro ſuſpirabat.
Et modo virgineis ſollicitat manibus
Manſuetos viſus, & quæ palearia collo
Dependent mediis candida pectoribus.
Cornua nunc florum jocundo perpluit imbri,
Et levibus ſertis induit. ille manus
Formoſas faciemque acri externatus amore
Lamberat. Ah ſi non corpore depoſito
Membra velut defeſſa ſimul poſuiſſet in herba.
Quo tunc præcipue Sidonis attonita
Aſcendit ſuper. hærentem per cærula ponti
Protinus & fluctus abripit æquoreos,
Lumina nequicquam jactantem & brachia retro,
Et fruſtra madidis reſpicientem oculis
Dilectas comites: fruſtra quæ in littore ſummo
Miſcebant miſeris omnia lachrymulis.
Namque olli gemitus pallor ſuppreſſerat amens,
Torpebat miſero lingua retenta metu,

Dum ponti tremulo ſenſim plangore cachinnans
Vectanti teneros alluit vnda pedes.
At juxta inflantes levibus velamina pennis
Stridebant animæ leniter Æoliæ,
Et circum tremulis verrebant æquora caudis
Dorides, & formoſæ Oceani dominæ,
Niſæa, Spioque, Thoëque, & Callianira,
Et cum Dexamene candida Cymodoce,
Teque Hymen Hymenæe ſonantes æquore toto,
Ad Iovis optatos ſuſtulerunt thalamos
Pectoraque, roſeaſque genas, & candida colla.
Sed neque Divarum gaudia, nec madidi
Illa vicem curans velaminis, aut delapſi
Interea è ſummis pectoribus ſtrophii,
Omnia nequicquam plangoribus incendebat.
O patria, ô fontes, ô nemora, ô ſylüæ,
O male dilecta blandorum copia florum,
Ipſaque rura in queis luſimus, & comites,
Voſne ego deſerui tauro dilecta marino?
Voſne ego deſerui perfida, nec comitum
Nec memor ipſa mei, tectorum oblita meorum?
Iam nunc præcipue mater amata vale.
Quoi ego, væ miſeræ, dulci conjuncta cubili,
Cum nox vmbroſo ſurgeret è pelago,
Et formoſa pater protenderet Heſperus ora,
Nunquam à dilecto corpore ſecubui.
Quoi hærens, quoi incumbens, ceu vitibus vlmus
Stringitur, & lentæ ſaxa tenent hederæ,
Spirabam ſomnos: quæne hic in fluctibus amens,
Quæne heic indomito merſor in Oceano?
Nec terræ apparent. at certe triſtis imago
Apparet pelagi. fluctibus indomitæ
Aſſultant vndæ juxta, atque extrema minantur.
O maria, ô caſti Nereidum thalami,
O Nereu pater, ô, & cærulea Amphitrite,

Cum

Cum qua mutavi tecta laremque meum,
Hoc mihi jam morituræ extremum ſolvite munus,
Conſcia nullius dum morior ſceleris;
Vt cum jam mœſto ceſſerunt corpore ſenſus,
Et ſuper ipſa mei nil niſi funus ero,
Ad patrios vultus maternaque deferat ora
Inſani Boreæ ſpiritus aut Zephyri.
Sic ſaltem vt portus contingam & littora nota,
Totaque maternis inveniar manibus.
Atque illam rapidis jactantem plurima ventis,
Creta peregrino ſuſcipit hoſpitio,
Creta Iovis magni cunæ, & commune ſepulchrum,
Creta parens legum, Creta parens ſegetum.
At pater ereptam Cadmo conquirere natam
Per ſimul & terras imperat & maria.
Qui tunc infelix percurrens omnia fruſtra,
Fruſtra animi mœſtus hæſit in exilio.
Illic multiplices primum inveniſſe figuras
Dicitur, & Muſarum artibus invigilans
Oblitus patriæ remeare ad littora terræ.
Vt cum ignara ſui bucula, decutiens
Nocturnos rores media procumbit in herba,
Languida, vicino non procul à fluvio.
Heic illam gelidas auras fluvii captantem,
Sidera dilecto tam procul à ſtabulo
Oppreſſere, vagam magis ac magis, inque peditam,
Omnia dum primi munera veris obit.
Me quoque Pierſſenæ, domo procul, & procul omnium
Aſpectu, patriæ tam procul à gremio
Invigilantem animo Muſarum munere dulci,
Terra peregrinis detinet in laribus:
Non tamen immemorem veſtri, patriæq; domuſque,
Quos ego præcipuis proſequor officiis.

ELEG. X.

AT vos deſertas ignoto ſidere terras,
Et rupeis omnes curritis & pelage;
Si qua ibi deliteat veſtro medicina furori,
Et ſemper cupidam paſcat avaritiem:
Nos pulchris dominæ complexibus immorientes,
Exercet ſemper vna eademque via.
Nam modo, formoſo erramus ſpirantis in ore,
Oris purpureæ cum patuere fores:
Nunc malas circumvehimur, quas ipſa Dione
Incolit, & multa cum face luſtrat Amor:
Nunc victi collo pendemus, & omnia Divûm
Munera, defixo cernimus intuitu:
Aſtrorum nunc rivales habitamus ocellos,
Et pariter mente abducimur atque animo.
Ceu quondam patriis extorris finibus erro,
Expertas auſus non prius ire vias,
Per nemora omnia fertur, & omnia amœna viarum,
Demens, in patriæ totus amore ſuæ.
Tum ſi inter ramos olli penituſque ſub vmbra,
Fons ſylva ſeſe prodidit in media,
Qui nemus vndique reddit & vndique amœna viarum
Omnia, gemmanti candidior glacie:
Heic molta percuſſus imagine vanus inhæret,
Et ſylvæ effigiem cernit, & omne nemus.
Dum pelluſtranti defeſſis ſenſibus omnia,
Defeſſis torpor ſenſibus incubuit.
Sic nos errantes tremulos dominæ per ocellos,
Mors captos ſola hinc ducet & abripiet.

ELEG. XI.

Fabula Pori & Peniæ, è quibus Amor natus eſt, ex Sympoſio Platonis.

CVrarum domitrix hominumq; æterna voluptas,
  Cum Venus e patriis ſurgeret æquoribus,
Hinc illinc Zephyri, ludentes vndique circum,
  (Qualis cum vernas impulit aura roſas)
Purpureum mare ſtringebant ludentibus alis,
  Et juxta attonitæ Nereïdum choreæ,
Omnibus e ſcopulis naſcentis lumina Divæ
  Miratæ, ſolitas deſeruere domos.
Aſt olli tenero de corpore plurimus humor
  Depluit, intactis candidior niuibus,
Paulatimque oculos & lactea colla videres
  E tremulis ſenſim mergere vorticibus,
Pendentis ſummo ſuper æquore, dum leuis vnda
  Spumaque ſubſidit candida: quam roſeæ
Interſcindebant hinc atque hinc vndique guttæ.
  Non aliter quam cum fulgure purpureo
Lux nova per violas aut purpureos Narciſſos
  Emicat, & primis ſparſa cadit radiis
Adueniens Phœbi coma, nocturnuſque viator
  Gaudet, & exactis erigitur tenebris.
Iam prope nautarum requies pulcherrima Cypros
  Strabat, & in medio longa natabat humus
Æquore, ſurgentemque Deam ſummiſſa vocabat
  Gurgite. Vix ſummo corpore contigerat
Humentes ripas; ripas ridere putares.
  Ridebant ripæ paſcuaque & nemora,
Quæ Dea cunque ſuo veniens pede delibabat.
  Tunc etiam cunctos ordine cœlicolas
Pro ſe quiſque ſuis e ſedibus aduenientes

Cypros

Cypros odorato ſuſtinuit gremio.
Quin etiam fama eſt, invito lumine Phœbi,
Sidera bis curſus ſuſtinuiſſe ſuos,
In terras ventura. ſed aurea nox fugientia
Iverat injectis ſiſtere compedibus.
Hic illi teneræ Divorum è gente miniſtræ
Occurrere Deæ, polchraque Paſithee
Floribus intextum vernis ſuſpendit amictum
Arridens, roſeis Cypridos ex humeris.
Tum demum domuit laſcivas veſte papillas,
Et leviter preſſis conſtitit vberibus.
Iupiter excepit venientes ordine Divos,
Atque iterum ſedes duxit in æthereas,
Sedes, quas croceo illuſtrantes lumine fratres,
Circum quiſque ſuis excubat in foribus,
Terras cernentes, atque omnia perſpectantes
E ſpeculis: ex quo tempore progeniem
Iupiter è cœlo Titanum ejecit aperto,
Atque iterum matri reddidit attonitæ.
Protinus auratis deducit lumina valvis,
Et ſolita cluſas ætheris arte domos
Horarum manus innocua, pleniſque miniſtri
Lancibus, æternas expediunt epulas.
Ergo intus domus ambroſio diſcedit odore,
Et trepidat puris jugiter in cyathis
Vis illibati mera nectaris, & ſuus humor
Ingentes addit cœlicolis animos,
Miſceturque Deûm feſtis clamoribus aula,
Tectaque feſtivi pervolitant ſuperi,
Paſſim currentes, paſſim capita inflectentes:
Donec ſidereo ſuſtulit e thalamo
Formoſos vultus croceo rex Lucifer ore,
Et faciles ad ſe juſſit abire Deos.
At Divûm Porus occultos digreſſus in hortos,
Errabat tremulo per loca ſola pede.

Nam-

Namque olli multo percuſſi nectare ſenſus
  Mentem animi ſolitis ſedibus expulerant.
Donec flexanimo devictus membra ſopore,
  Qua riguo fons argenteus è nemore
Molli lapſus rore levem ſomnum ſuadebat,
  Concidit, & preſſis incubuit violis.
At ſuper arboreæ nutabant leniter vmbræ,
  Et temere ſparſa temporibus folia
Victum illudebant ſomno caput: & roſa molta,
  Quam matutini contulerant Zephyri.
Viderat infelix non vno nomine virgo,
  Viderat ignarum ſola jacere Deum
Infelix Penie, cupideque hæſura lacertis
  Venit, & in vino dulce peregit opus.
Illinc aligerum mortalibus edit Amorem,
  Et Veneri puerum donat habere ſuum.
Nunc quoque qui cingit dominam, paſſimque va-
  Improbus in terris perſequitur Venerem. (gantē

ELEG. XII.

AD

JANUM LERNUTIUM,

cum Sluſæ eſſet ipſe.

ME tenet audaci Batavorum indagine capta,
  Sluſa, peregrinis nunc habitata viris:
Vnde avidus Brugarum arces & mœnia cerno,
  Mœnia munitis mœſtus ab aggeribus;
Gordunis vicina meis: vbi Cæſare nato
  Tollit honoratum Ganda ſuperba caput.
Flandrorum ſedes, totque inclyta vatibus olim

Mœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Mœnia Brugarum, municipeſque mei,
Illuſtres ſaluete animæ: vos Heinſius abſens,
Sed tamen aſpiciens rura lareſque ſuos,
Vos procul hinc ſaluere iubet: vos lumine mœſto
Anxius, & vanis proſequitur lachrimis
Turribus e ſummis. qualis Minoïa coniux,
Vidit ab extremis deuia littoribus
Nequicquam, pelago fugientis vela mariti,
Ebria non caſſis ſollicitudinibus:
Vel quæ Dulichias proſpectans ire carinas,
Conſtitit in ſolum lumina fixa virum,
Ædibus ex altis vel culminibus deſertis,
Regia neglecto limine Penelope.
Nec tantum patriis dilecta cubilia Nymphis,
Nec tantum meditans rura lareſque ſuos,
Quanuis & patriis habitata cubilia Nymphis,
Quanuis & meditans rura lareſque ſuos,
Et gelidos fontes, ſoliſque habitanda poëtis
Dîſque poëtarum præſidibus nemora;
Defeſſus ſterili damnatas ſidere terras,
Littora defeſſus aſpicere & maria,
Lernuti, quantum vſque tuo percuſſus amore,
Et quantum infelix læſus amore tui.
Iupiter! vt ſæuum pereat rubigine ferrum,
Et quicquid Chalybum funditus intereat.
Non ego nunc fruſtra complexu avulſus amico,
Alloquerer ſurdas eminus halcyonas,
Languentes nequicquam oculos & brachia tendens
Non audituri fluctibus Oceani.
Sed totus totuſque tuas effuſus in vlnas,
Et totum cupidis nexibus inuoluens,
Luſtrarem fontis, luſtrarem deuia tempe,
Et quæ nunc domino dulcia rura carent.
Quondam etiam mecum veteres renouaret amores
Nondum feſſa tibi ludere mens animi.

Vt tibi dilectæ grauis oſſibus hæſit Hyellæ,
  Oſſibus & toto pectore fixus amor :
Cum miſer arguta deceptus imagine rerum,
  Vidiſti geminis pendulus ex oculis,
Cum pharetris arcuque errantes vndique Diuos
  Ludere feſtiuæ luminibus dominæ.
Hæc tibi narranti paulum intermiſſa ſenectus
  Vſque vel extremos iret ad Æthiopas,
Nec tibi nequicquam cultus cum matre Cupido
  Verteret a ſacro canitiem capite
In Libycos fluctus, vel quà ſol lumine ſero
  Reſpicit obiectos fluctibus Heſperios.
Donec nos parili defunctos ordine fati
  Lux eadem campis ſiſteret Elyſijs,
Ducentes choreas & carmina læta canentes,
  Qualia defectus funere cantat olor.
Legibus his ferrum pereat, pereatis vt enſes.
  At nobis niuea detur amare fide.

ELEG. XIII.

DIuini ſaltus, & ſaltibus æmula ripa,
  Feſſarum ſedes humida Naïadum,
Et lauri fragiles, & quæ ſuperimpendentes
  Solis oberrantes excipitis radios
Intonſæ myrti; quæque alto e culmine lapſa
  Innocuo ſerpis murmure, lenis aqua ;
Heinſius has vobis, ſi quicquam dulce putatis,
  Exuvias veſtris pendit ab arboribus,
Hanc zonam, ſtrophiumque, laboratamq; corollam,
  Quam mea lux manibus texuit ipſa ſuis,
Collapſam de temporibus, cum forte, ſub illa
  Arbore, iucundis compoſitam violis
Grata quies blando deceperat illice vento,
  Et nunquam tacitæ garrulus humor aquæ.

Quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quam Zephyrus lentis pendentem aſſibilet alis,
Et tepidis tingat humida nox lachrymis,
Mâne novo: cùm ſideribus jam pene peractis
Lucifer Eoo fulgurat in thalamo.
Quod ſi forte ſuos huc verterit improba vultus,
Atque iterum veſtris occubet in foliis,
Dulci victa ſopore, & euntis murmure rivi;
Depoſitum præſto ſentiat eſſe ſuum.
Vos eritis teſtes, Zephyrus pater, auraque fontis.
Perfidiæ teſtes non decet eſſe Deos.

E L E G. XIV.

ROſſa vale : mens alta ſuis ſubducta ruinis,
Languida detrectat vincula : Roſſa vale.
Templa patent Phœbi: Muſarum amplectimur aras.
Parce Venus tantas ſollicitare Deas.
Raſa coma eſt: tutæ ſtat Libertatis in ædem,
Inque peregrina prœlia ferre pedem,
Pantheæque fidem, & primi incunabula Cyri
Volvere, vel faſtos Attica Diva tuos,
Spartanumque dolum & turbantes fœdera Divos,
Tantaque Thebana funera facta manu,
Terque decem lapſis patriæ ſuccurrere rebus,
Theramenen dubio dum vehit aura pede.
Fixaque erit rerum gravibus mens ardua curis,
Anchora jactatam dum tenet illa ratem.
Portus adeſt. lege vela manus. ſtat littore puppis.
Sæva licet ſpument æquora, firma manet.
Nata mari Venus eſt, pelago jactamur amantes:
Elevat illa vndas pectoris, illa domat.
Vix tamen emerſi. madidi tollantur amictus:
Exuvias Nereu vix fugientis habe.
Phœbe fave, Grajûmque chori, virideſque latebræ,
Et caſtis tempe ſacra Cupidinibus.

Tempe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Tempe, queis Nymphæ ſuper impendentibus antris
  Flore novo, vernos conſtituere choros.
Grajugenûm nemus, & vitreis pura vnda lapillis,
  Pendulaque è Pindi templa cacuminibus,
Heinſiadæ domus eſt: lepidos hic fallit Amores,
  Et Charitum dulci volvitur in gremio.
Teïus hic multo trepidat veſtigia Baccho,
  Et tremuli furtim lumina fallit Amor,
Suaviolisque ſuos Cythereæ dulcibus hymnos,
  Et lepido totum munere vendit opus.
Blande ſenex, tibi cura levis Venerumque medulla
  Caniciem mites evocat in choreas.
Scilicet aſſidue mens eſt tibi nidus Amorum,
  Ovaque ſub blando pectore mille foves,
Emerguntque Deûm pulli: ſemperque renaſcens
  Pipilat exuto cortice parvus Amor.
Te teneræ ramis myrti ſtimuloque roſarum
  Per violaſque ſuas ruraque Cypris agit.
Nec tibi languentis liceat ſpreviſſe corollas,
  Aut impune Deæ deſeruiſſe choros.
Arma calyx cyathuſque tibi: te cingit Amorum
  Grex levis. hic oculos dirigit, ille pedes.
Hic tuba Mæonidæ, & Muſarum eliſa cavernis
  Fulmina. quæ vaſto Pindarus ore tonat.
Iupiter Argolicûm, ſuperis mens proxima Divis,
  Vltima Parnaſſi culmina, finis humi,
Thebarum Cadmea, ſoli ſublimis Olympe,
  Phœbe hominum, Pitho maſcula, quarta Charis,
Ambroſiæ flos, verna dies, pincerna beate
  Nectaris, Elyſium nobile, Graja Venus,
Te procul invectum nebula atq; ingentibus vmbris,
  Eminus, & vultu deficiente ſequor:
Rima brevis qua vix trepidos admitit ocellos,
  Et tenui erumpit lumine tanta dies.
Pande fores, Rex Muſarum, Rex alta ſonantum,

Me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Meque per & rupes & tua ſaxa vehe.
Pande fores cortina Deûm, ſtimuliſque ſubactum
Et valido vocum robore pectus age.
Magne virûm, neruoſque tuos infunde thoroſque,
Quique ex ardenti ſpiritus ore venit.
Ardua ſublimes animi mens concipit ignes.
Fulminis attactu dum calet icta tui.
Interea tantis dum findimus aëra pennis,
Illa lues noſtri pectoris exul abi.
Roſſa vale, curæque leves. date jura Quiriti.
Liber eo: Phœbi, finis amoris, amor.

E L E G. XV.

BAcche pater, tibi manſuras hic ponimus aras:
Poſteritas vatem me ſciet eſſe tuum.
Seu quia deſertis Nonnum reuocamus ab vmbris,
Seu quia feſtivus te ſibi junxit Amor:
Seu quia victor eras, dilectaque pampinus vmbræ.
Terque hederæ frontem circuiere tibi.
Non mihi Deriades flavuſque occumbit Orontes,
Victa ſed eſt lachrymis dura puella meis.
Hoc opus, hæc res fama mea eſt. tibi fata Lycurgus
Imputet, & thyrſo debeat vmbra tuo,
Et trepidæ crimen genitricis nobile Pentheus,
Subditaque ignoto numine prima dies.
Cui Satyrûm proceres, & nubibus orta juventus,
Et ſua conjunxit Thebais arma manus.
Me teneræ leni vexerunt carmine Divæ
Per choreas faciles regnaque Cyprigenæ,
Parvaque tentantem lepidæ duxere Camœnæ,
Semita qua veterem monſtrat amœna viam.
O quæ ſollicitas docuiſti fallere curas
Hoc Erato Graijs nomine nota meis,
Cui tot vota dicavit Amor. cui dulcia ſacra

Battiades aris fecit in Argolicis,
Poſtque columbarum levibus provectus habenis,
Vmber ouans ſimili tramite preſſit humum;
Vatem ſurripe, Diva, tuum, qua nobilis humor
Liquitur è ſacris Mæonidum latebris,
Iuxta Pegaſeos deſerto in gramine rivos,
Antraque non tactis conſona virginibus.
Ebria mens bacchatur, Io. quid inania ceſſant
Pocula, Bacche pater, nec bene plena tui?
Vatem dedecet vnda tuum. jam turbidus Evan
Pectoris inſanas vndique tunde fores.
Vatem dedecet vnda. feror feror arduus inter
Sidera ſublimi vertice. terra vale.
Bacche, pater vatum, taurino nobilis ore,
Fœmina, virque ſimul, neutraque, & ambo tamen;
Liber, Io, dux thyrſigerûm, dux dulce furentum,
Matre Deo ducens ſemina, Liber Io:
Pergama ſuccubuëre meis invicta carinis.
Iunge pater tigres, & mihi trade, tuas.
Parvus Amor noſtris ſummittet colla catenis,
Et geret extinctas languidus ante faces.
Illum vectus ego ſublimi feruidus axe,
Ante meæ pompæ fercula victor agam.
Roſſa latus cinget tremulis velata corymbis,
Candida, riuali conſpicienda meo.
Cingite ſperatæ riuales blanda puellæ
Limina. riuales, dum licet, ite, mea eſt.
Scilicet, eſt aliud, lepidis ſuccumbere Muſis,
Quam precio formam vendere velle ſuam.
Eſt aliud ſacro perfundi pectora rore,
Qui Veneris dulci depluit in nemore,
Et viridi Famæ ſubſultans ſemper in horto,
Stillat ab auratis Mnemoſynes pateris:
Quem Venus occulta labentem dirigit arte,
Et Charites puris excipiunt calathis.

Les-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Leſbia quem quondam teneris celebrata camœnis
  Hauſerat è cyathis , docte Catulle, tuis,
Quo Nemeſis formoſa ſuos perfudit ocellos,
  Et meruit tanto nomine poſſe legi.
Has inter mea Roſſa, oculoſque & pectora tingens,
  Vivet in æterno Mæonidum thalamo,
Deliciis evecta meis lepidiſque camœnis,
  Quo via conantem non ſinet ire necem.

MONOBIBLI FINIS.

DAN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DAN. HEINSII

EPIGRAMMATA,

ET ALIA

POEMATIA,

inter quæ & juvenilia, quondam ex tempore conſcripta.

In reliquias

CAROLI CLUSII

poſt ejus obitum editas, & Orationem funebrem ab

ÆLIO EVERARDO VORSTIO

de eodem habitam.

FLoræ ſacerdos, candidatus herbarum,
Quaſcunque Phœbus ſpectat aut alit tellus,
Non noſtra tantum, ſed remota, ſed quævis,
Quam pontus ambit aut Olympus involvit,
Ereptus orbi Cluſius, tamen totum

Spar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Spargit per orbem non minus ſuos flores.
Illum diſerta voce Vorſtius nuper,
Florum peritus, & peritus herbarum
Vitæ perenni conſecravit & famæ;
Victurus ipſe non minus celebrato.
Muſæ corollam nectite hoc & hoc dignam,
Non in bicorni monte, qua ſecat nubes
Parnaſſus ingens, ſeque cum polo miſcet.
Quos præferatis Cluſius dabit flores.

In libellum ſuum De Tragœdiæ ſecundum Ariſtolem conſtitutione, ad Rochum Honerdium, cum Tragœdiam ſuam Thamaræ nomine inſcriptam edidiſſet.

Honerdi, medias inter doctiſſima curas
  Ocia qui, vulgo non imitandus, agis,
Nunc quoque regalem non dedignate cothurnum,
  Ne tibi pars vitæ deſidioſa foret;
Accipe quæ paucis tibi feſtinavimus horis,
  Dum tuus ardentem præcipitavit amor.
Ipſe liber (nec enim quicquam manifeſtius) vltro
  Crevit, & ad finem ſponte cucurrit opus.
Eſt aliquid juſſis non mollibus ire per altum,
  Et quæ non liceat ſpernere, velle ſequi.
Talis Olympiaci perfuſus pulvere campi,
  Neſcius in meta conſtitit acer equus:
Talis, ab ingenti dum fertur fluminis alveo,
  Ignarus medias navita ſulcat aquas.
Forſitan hæc qui ſcire volet, quem gloria tanget
  Scenica, quem leges, vnus & alter erit:
Lectoremque ſuum, ſi quis deſiderat artem,
  Ipſa ſibi brevitas ſimplicitaſque dabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sint cito, ſint nullo quamvis properata labore,
Poſt Thamaram ſero ſcripſimus illa tibi.

In vrbem

GANDAVUM,

cum ex ejuſdem vrbis turri eam conſpiceret.

DIvorum genitrix, hominum ſuprema voluptas,
Aſpice quam late regia Ganda patet.
Longum iter eſt quodcunque vides. ſtat Cæſare di-(gna,
Et regni ante oculos totius inſtar habes.
Bis duo concurrunt fluvii. venturus in vrbem
Rex Scaldis, comites tres ſibi ſumit aquas.
Ipſa parens nutrixque ſua eſt. ſibi ſufficit vndam,
Vicinus ſegetem ſponte miniſtrat ager.
Hinc domus Aſtrææ populis dat jura forumque,
Hinc Mavors alia clauſus in arce latet.
Septem vrbes vrbs vna æquat. ſi pœnitet vrbis,
Rus pete: rus ingens vrbs tibi noſtra dabit.
Murorum oblitus formoſos incolis hortos,
Et prope jam neſcis mœnibus illa capi.
Contraxit Natura orbem. tam prodiga nuſquam eſt.
Totius ſpecimen molis in vrbe dedit.

In cellulam in vrbe

GANDAVO,

in qua natus eſt

CAROLUS QUINTUS

cum ad eam viſendam acceßiſſet.

TErrarum domitor, plus quovis Cæſare Cæſar
Carolus, hac primum ſerpere cœpit humo.
Salvete, ô domus & magni incunabula Divi,

Quem mundo genitum Ganda ſuperba dedit.
Privatos vrbes aliæ mirentur alumnos:
Quis credet cives nos habuiſſe Deos?

In vrbem

GERARDIMONTIUM.

DElicię cœli ac terræ, quam plurima tempe,
Et gelidi ſaltus ſylvaque multa tegit;
O quam te memorem! vix pulchri gaudia ruris
Excludunt muri, mœnia claudit ager.
Pene vrbem invadunt Satyri caſtæque Napeæ,
Vix Dryades poſſunt non habitare domos.
Mons ſuper incumbit: media fons lacteus vrbe
Diſſimulat puram, nec tamen abdit, aquam.
O Divûm domus, ô noſtræ fax vnica Muſæ!
Difficile hic non eſt numine digna loqui.
Quis carmen neget? hinc occurrit Caſ alis ipſa.
Paulùm tolle oculos: hic Helicona vides.

AD

PAULUM BUZANVALIUM

Regis Chriſtianiſſimi legatum, Pro Theocrito ſuo.

DVm tenet infractos civili robore Gallos
Publica pax, populo ſæpe vocata tuo;
Tityrus & pulcher Corydon, ſimplexque Comatas
Et tibi quæ donet munera Daphnis habet;
Daphnis arundinibus melior, ſed Tityrus ore:
Hic domini pecoris paſtor: at ille, ſui.
Fiſtula ſed multis ſenium contraxerat annis,
Et prope jam longo tempore muta fuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nos varias ſordes, nos longi incommoda ſæcli
  Suſtulimus, propera vulnera facta manu.
Offerimus tibi pacis opus. qui Celtica dicat
  Arma duceſque tuos, alter & alter erit.
Tempora, da veniam, tua ſi mea dona ſequantur,
  Et ſtudeam domini ſorte placere mei.
Si tibi Mars nocuit toties gentique tuorum,
  Hoc mihi nunc proſit, quod tibi triſte fuit.

Ad Muſas

CORNELII REKENARII,

apud quas Theocritum ſuum Amſtelodami inchoavit & abſolvit.

AMſtelides Divæ, Rekenaria numina, Muſæ,
  Hoſpita gens, patriæ nomine juncta mihi,
Auſpicibus vobis, reus hoſpitiique novique
  Carminis, has grates Heinſius autor agit.
Et (meminiſtis enim) vobis, pia numina, primum
  Teſtibus, hoc ipſum creſcere cœpit opus:
Primaq; in his tectis manus vltimaq; addita cœpto (eſt:
  Et nimium gratam ſæpe tuliſtis opem.
Simichides vobis aliquid debere fatetur:
  Et Corydon vobis quod referatur habet.
Non mea mens patriæ candori detrahet oræ,
  Nec minuam laudes, Flandria noſtra, tuas:
Simplicitas mihi cura mea eſt, & honeſta voluntas:
  Exulat è toto pectore vanus honor.
Quicquid id eſt, vobis aliquos referemus honores:
  Vos eritis famæ pars quotacunque meæ.
Atque aliquis cernens Siculi monumenta poëtæ,
  Heinſiaca quæ jam ſunt meliora manu;
Protinus adjunget comites vos: æquaque laudis
  Debita pars vobis, pars erit æqua mihi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sic iterum ſalvete Deæ: comiteſque laboris,
Nunc iterum comites nominis eſte mei.

In Echo, ſive Imaginem Iocoſam

IANI DOUSÆ,
Domini Nortvici & Cattendici.

NVper in vmbroſum dum Pan divertitur antrum
Qua nata è gelida rupe ſuſurrat aqua,
Cum furit & medio ſol inſaniſſimus æſtu
Immodico ſiccam ſidere torret humum:
Adſtabant priſci comites. hinc Daphnis amator,
Hinc melior ſparſas cogere Thyrſis oves.
Dum furit, & junctas percurrit carmine ceras,
Et veteres ignes & ſua fata canit;
Reſponſura cavis aberat quæ vallibus Echo
Reddit amatoris vltima verba ſui.
Sylvaque, ſeu totis inſpirat ſibila cannis,
Sive ſuos ignes fataque, muta tacet.
Quid faceret? Deus ille acres propendet in iras,
Nec bene rivales fertur habere ſuos.
Quid faceret? paſſim per devia rura vagatur
Saxaque: per totam devius errat humum.
Pervenit hinc illuc, &, quam non repperit vſquam,
Nordvvici profugam repperit eſſe Deam.
Æmulus ingemuit: dumque omnia ſcire veretur,
Dum ſibi prælatum quærere ſuadet amor, (tum
Dum tremit & properat, dum torquet in omnia vu
Dum cupit & metuit credere: Douſa fuit.
Douſa meus doctæ dictabat carmina Nymphæ,
Ingenio Divam fecerat ille ſuam.
Diriguit, vetereſque animo dum colligit iras,
Subſtitit, & mœſtus condidit arma dolor.
Douſa meus quondam (vetus eſt injuria facti)

Surr

Surripuit calamos, Pan Tegeæe, tuos:
Dum veteres vatis Siculi percurrit avenas,
Triſtiaque agreſti carmine fata canit:
Cypris ut infuſum gremio plorarit Adonin,
Cum pueri vecors inguina rupit aper.
Tunc ſibi præreptam Pan indignatus avenam,
Vix lachrymas fertur continuiſſe ſuas.
Hoc quoque reſtabat (nihil eſt immitius vno
Douſiada) totos exuit ille Deos.
Vox ſurrepta fuit. reſtabat vocis imago:
Hanc quoque Nortvicum contulit ille ſuum.

In Rhetoricæ Ariſtotelicæ Introductionem

GERARDI VOSSII.

DVm patriæ tectis patrium defendimus hoſtem,
Et peragit munus caſſis & haſta ſuum;
Pax abiit: pacis cum nomine, vos quoque Divæ
Pierides, mœſtam deſeruiſtis humum.
Ceſſit & infelix Facundia, prima Dearum,
Ceſſit, & ut vidit, muta dolore fuit.
Curia reſtabat: ſed non cui ceſſerat olim
Vel furor Antoni, vel, Catilina, tuus:
Quam melius doctis iterum deducit Athenis,
Dum Stagira tuas Voſſius haurit opes.
Di tibi dent, cunctis quod non bene noſtra poëtis
Tempora, temporibus laurea ſerta tuis.
Cedant arma togæ. ſemel imperterritus Ajax
Non potuit lingua vincere, ſæpe manu.

LEONARDO VOOCHDIO,

ſupremæ Curiæ aſſeſſori, patrono maximo.

OS patriæ vindexque tuæ, quo ſoſpite nunquam
Neſcia facundæ curia vocis erit,

Idem qui faciles ſubducis in ocia Muſas,
  Ne pereat Batavis debita fama tuis;
Deſine tantarum præconia poſcere laudum :
  Ne mea per tabulas nomina quære tuas.
Plus tibi debetur, quam quod perſolvimus vlli :
  Sufficiunt aliis carmina , nulla tibi.
Felices nimium, qui tantum carmina debent,
  Cum par officio eſt ipſe poëta ſuo.
Nos pia poſteritas victos fateatur oportet :
  Nec ſatis eſt vllum quod referamus opus.
Hactenus invitos laus expugnavit amicos,
  Atque aliquem fecit verſibus eſſe ſibi.
Nunc trahimur: ſero nimium pudet eſſe poëtam.
  Poſterior meritis eſt mea Muſa tuis.

AD

JANUM DOUSAM,

cum ei Heſiodum ſuum adoleſcens admodum offerret.

ASCræi calamos & junctum nomen Homero,
  Accipe devotum, maxime Douſa, tibi,
Qui faciles Muſas, ſi quicquam credimus illi,
  Vidit, & errantes audiit inter oves,
Et modo qui paſtor tulerat virgamque pedumque,
  Suſtulit audaci laurea ſceptra manu.
Mel dedit huic glandeſque ſuas Parnaſſia rupes,
  Quæque ſitim pepulit Pieris vnda fuit.
Vagiit hic inter pecudes Cyrrhæque puellas,
  Et puer in cunis cœpit amare Deas.
Seu ſocias quæris: ſociæ vixere Camenæ.
  Seu ſocium quæris: Delius ipſe fuit.
Nil propius Muſis fuit hoc. quas quærimus omnes
  Præſentes habuit ille poëta Deas.

I

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In nuptias

A. V. CASPARI VOSBERGII, & BARBARÆ PANHUSIÆ.

OPtatus toties & tot dilatus in annos,
Ad ſua jam tandem tempora venit Hymen.
Ipſe moræ precium diuturnaque tædia penſat,
Et ſteriles noctes diluit æquus Amor.
Seu faciem ſpectes, nihil eſt niſi virgine dignum,
Illæſuſque animi perſtat in ore pudor.
Sive animi vultum: leges perferre maritas,
Et ſoli didicit poſſe placere viro:
Et matronales tali cum fœdere mores,
Et docte famulas flectere poſſe manus.
Ah quoties dices, Nimium natura negavit
Virginibus! minus eſt quod ſibi turba petit! (eſt?
Quid referam cenſum, quem nec contemnere tutum
Hunc vulgo ſapiens, nec male vulgus amat.
Aſpicis & parvum qui ſe tibi donat Iülum.
Hæc quoque dos ad te non oneroſa venit.
Ille pudicitiam vel ſolo vindicat ore
Matris, & abſolvit gaudia prima thori: (tem.
Quamque probat caſtam, ſterilem negat eſſe paren-
Sponſorem lepidum poſteritatis habes.
Quis dubitet certos à te ſperare nepotes,
Qui nondum genitor jam pater eſſe potes?

Aliud.

STirps non degener optimi parentis,
Nec laus vltima maximi Senatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quem non cæcus amor, nec impotenti
Cypris devia ſauciavit ictu,
Et qui ſpicula vana machinatur
Imbellis puer, arbiterque formæ
Inſanus furor, & levis juventus;
Sed mens provida, patriæque nata,
Seu pacem moderatur inter arma,
Et ſuffragia dirigit VValachra;
Seu, magnæ Themidos gravis ſatelles,
Iuſtum gentibus indicas & æquum:
Tandem ſidera nec maligna fata
Non inertibus annuêre votis.
Iam poſt munia cuncta poſtque honores,
Diceris quoque publice maritus:
Iam noctes quoque conſecrabis illi
Cui tot patriæ dies dediſti.
Ipſa hæc gaudia pura baſiorum,
Iſtæ deliciæ facetiæque,
Queîs Cypris madet & madent Amores,
Laticlavia purpuraſque ſpondent,
Et faſces meditantur & ſecures.
Privatum nihil eſt, niſi voluptas,
Et caſtæ Veneres Cupidineſque;
Nec domeſtica turba liberorum,
Sed juris dominus togæque vindex
Iſto à ſanguine poſcitur Senatus.

In

PAULI RUBENII
præſtantiſſimi pictoris, & Iſabellæ Brantiæ, nuptias.

ILle decus rerum, cedit cui tota vetuſtas,
Et pariter Coæ Parrhaſiæque manus,

Auſus

Auſus inacceſſos heroum ducere vultus,
Sacraque divina principis ora manu,
Ceſſerat ignoto (quis enim non cedit?) amori,
Et teneræ luſus virginitatis erat.
Pinxerat in toto feſtivum pectore vultum,
Mortales lepide tangere nata Venus.
Ah quoties ſævas conatus fallere curas
Arte ſua, ceſſit victaque terga dedit!
Ah quoties blandam dominæ duxere figuram,
Conantemque iterum deſtituere manus!
Exorandus erat facundo Brantius ore;
Sed niveum pectus, qualia Phœbus amat.
Et magis accendit ſoceri præſtantia mentem,
Quem celebrem tanto nomine fama canit.
Sed tamen & flectit ſocerum tangitque viciſſim,
Et ſimilem ſimili captus amore capit.
Cumque ſuo jungit germani nomine laudes,
Et merito fratrem vindicat ipſe ſibi.
Iam patuit toti virtus Rubenia mundo,
Lectoremque ſibi, qua patet orbis, habet.
Hæc quoque perſuadent. cedunt genitrixque paterq;
Dat quoque paulatim victa puella manum.
Iam tibi felicem, juvenis digniſſime, noctem
Numina concedunt, nec negat ipſa Venus.
Incipe feſtivos ſocero debere nepotes,
Et ſimili totam prole beare domum.
Sic qui ſæpe ſoles alienum ducere vultum,
Pingendo melius, jam dabis ipſe tuum.

In Emblemata Horatiana

OTTHONIS VENII.

SOcraticos fontes & linguæ divitis vber,
Et quicquid ſacri porticus omnis habet,
Quicquid Democritus riſit, quod flevit vbique,

Qui ſapiens cæcum condidit autor opus,
Et quicquid Samiæ dixere ſilentia linguæ,
Et qui ſollicitos non putat eſſe Deos,
Vidit, & exiguum contraxit Flaccus in orbem,
Nullius addictus verba magiſtra ſequi.
Vidit & Otthonis mens æmula. nec mora, cælum
Sumpſit, & hinc nobis gloria ſurget, ait.
Hactenus humana ſapientia voce locuta eſt:
Nunc primum humana pingitur illa manu.

In
DOMINICI BAUDII
Poëmata.

BAudi, quem proprio Genius donavit Iambo,
Et lepor, & priſcæ ſimplicitatis amor,
Et nivei mores, & quam nec dicere poſſum,
Non protrita Venus, non peregrina tamen,
Sanctaque libertas, nec cuiquam obnoxia virtus,
Vix ſceptris pavidas ſubdere nata manus;
Talia, Saturno quondam ſub rege, poëtas
Credibile eſt magnis ſæpe dediſſe Deis:
Talia, feſtivis ceciniſſe poëmata Grajis,
Fæcibus obductos credimus ora viros:
Libera cum tellus, & adhuc ſub vatibus eſſet
Vel terror ſcelerum vel pietatis honor:
Seu libet audaci leges præſcribere Baccho,
Paret, & ad leges flectitur ille tuas:
Seu libet ingentes irarum effundere motus,
Archilochi nunquam doctior ira fuit.
Quid metuis? magnis virus ſolenne poëtis
Invidiam? riſum non feret illa tuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In amores ab

OTTHONE VENIO
pictos & editos.

CVm primum patrio viſa eſt è gurgite Cypris
Tollere ſparſa caput rore fluentis aquæ,
Qualis erat, talem venienti reddidit ævo,
Et ſecum juſſit vivere Coa manus.
Paulatim niveæ cedebant corpore guttæ :
Iurares tremulum ſurgere ſemper opus.
Læva videbatur lymphis illudere palma,
Stringebat tenues altera palma ſinus.
Doctior Otthonis tot dextera finxit Amores,
Quot gemitus & quot gaudia nutrit Amor.
Armati pharetris occurrunt vndique Divi,
Attollunt rigidas, ſed ſine luce, faces:
Et quamvis maneant, geminas librantur in alas:
Et nil cum noceant, ſpicula ſæva gerunt.
Si fas eſt, Venus ipſa tuo concedit honori,
Iam toties nati cuſpide læſa ſui.
Si fas eſt, ſimiles, Veni, ſperamus Amores,
Sævius armatos, & magis innocuos.

Erotopægnium.

HEſterna mea lux mihi luce impreſſerat vdum
Baſiolum, dulci dulcius ambroſia.
Erubui: colloque incumbens languidus, igneaque
Opponens tremulis lumina luminibus,
Demiſſo capite ac defixis vultibus hæſi,
Et dixi, miſero, ſic, mea Vita, faves?
Nec mora, ſubridens lepido ſufflavit ab ore
Ima neſcio quid dulcius ex anima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Moxq; iterumq; iterumq; iterumq; iterumq; afflavit
Vdum neſcio quid, neſcio quid tepidum,
Quod penitus penituſque receptum ſenſibus imis,
Omnem externaret pectore ſenſum animi.
Nunc feror infelix anima ſine. nunc miſer erro,
Perque vias omnes me ſine ſolus eo.
Ah miſer, ah quærit ſeſe Heinſius. hei mihi, tene
Vendere tanti vnum, lux mea, baſiolum?
Sic equidem eſt. animam miſero ſubducis amanti,
Inque tuo nunc me pectore, Roſſa, geris.
Ah lachrymer? quid agam? lachrymis nequit illa mo-(veri,
Quæ tantum lachrymis paſcitur vſque meis.
Baſiolum poſcam: totuſque in vultibus hærens,
Halitibus paſcar illius, illa meis.
Sic mihi, ſic certum eſt. animam ſic rurſus eandem
Inveniam, rurſus perdere ſi potero.

In nuptias

N. V. ADRIANI MATHENESII,

Dom. de Mathenes & Opmeer, Academiæ Curatoris, &c &

N. V. HENRICÆ VERDOES.

FOrmoſæ Harmonies caſtas cum venit in vlnas,
Iam juſſus patria cedere Cadmus humo;
Adfuit, & doctus citharam percurrit Apollo,
Et ter tres comites ex Helicone Deæ:
Nullaque non priſcos Superûm cantabat amores,
Et digitis preſſum ſollicitabat ebur.
Hæc Divæ, memores quæ quondam inventa dediſſet,
Solverunt merito præmia digna viro.
Iuſtius hos doctæ thalamos accedite Muſæ.
Non ignota Deæ, nec peregrina via eſt.

Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hic ubi Lugdunum Phœbo gratiſſima ſurgit,
Et veteris famam nunc Heliconis habet.
Argumenta dabit magnarum ingentia laudum,
Heroum titulis utraque fulta domus.
Seu Matheneſiam lubeat deducere gentem;
Vix finem longæ nobilitatis habet:
Seu veteres Douſas, quorum notiſſima nobis
Formoſæ genitor virginis arma tulit:
Auſus in ignotas populis irrumpere terras,
Et nece venalem primus inire viam.
Nec tamen hanc gentem, Divæ, ignorare poteſtis:
Ex illo veſter ſanguine Douſa fuit.
Plus tamen eſt, ipſis quod dat quoque præmia vobis,
Et curam veſtræ proſperitatis habet.
Cedat Agenorides. namque hic, ſi cætera deſint,
Muſarum pater eſt, ut fuit ille decus.

In nuptias cognati

WASTELII,

Et cognatæ

BARBARÆ DENDERIÆ.

WAſteli triſtes, toties quos vidimus, ignes,
Et trepidæ finem vulnera mentis habent.
Vidimus hunc, qualem vix dicere carmina poſſunt,
Vix quoque qui fecit vulnera credat Amor:
Cum modo conatus tremulos eludere piſces,
Auxilium flammis eſſe putaret aquas,
Et modo dilectis formoſam includeret vlnis,
Et dominæ lentam ſollicitaret opem.
Nil erat. infelix jam deſperare ſalutem
Et dominam, tanto tempore feſſus erat.

Victi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Victima nunc tandem Veneri formoſa viroque
Ducitur, & thalamum caſta puella petit:
Qualis cum Danaas tenuerunt crimina puppes,
Concidit ad læſos Iphigenia Deos.
Damna movent Superos. Bacchi caper imbuit aram,
Et Cereri, ſpicæ noxia, porca cadit.
Et Fauno modo capra venit, modo ducitur hœdus:
Frondibus hæc Fauni graminibuſque nocent.
Hic, modo quæ flammis miſerum torquebat aman-
Offertur cupido, non moritura tamen. (tem,
Pergite formoſæ nobis illudere Nymphæ.
Placatur ſola virginitate Venus.

In exſequias viri generoſi

NICOLAI DYCKII,

Harlemi à filio

JACOBO DYCKIO,

legato Regio, Harlemenſi & ipſo, celebratas.

QVi prope luſtra novem vicinum terruit hoſtem
Dyckius, & preſſo nomen ab hoſte tulit,
Cui dextrã, Oſtendæ clauſam cum linqueret vrbem,
Hoſtis mirator Naſſoviuſque dedit;
Nunc redit in patriam vita privatus & ævo;
Et quam defendit ſanguine, poſcit humum.
Sic redeunt, quos pulcher honos, quos patria tangit,
Et vitæ memores non ſinit eſſe ſuæ.
It tota exequias Harlemum, vrbiſque Senatus,
Et tanquam nati claudere funus amat.
Legatus ſequitur cum majeſtate parentem

Filius:

Filius: hoc illi gens peregrina dedit.
Solus pompa ſibi, ſolus patriæque patrique,
Nec plus ſplendoris quam pietatis habet.
Annales Batayi primo repetantur ab ævo,
Et quicquid novit conſcia fama canat:
Nec talem hæc flevit, nec talem vrbs vidit alumnum,
Ex quo libertas ſanguine cœpit emi.

In

P. PAPINIVM STATIVM,

& præcipue illius Sylvas, à

I. CASPERIO GEUARTIO

emendatas, & illuſtri Viro

BENIAMINO AUBERIO MAVRERIO,

domeſtico Apollini, inſcriptas.

FRaternas acies, nec Homeri nomen Achillem,
Sed qualem experta eſt Deïdamia virum,
Condidit auguſto doctoque Papinius ore,
Qui prius & Sylvas non grave luſit opus.
Quas Melior, quas Stella tibi, pia pectora miſit,
Sed tantum pura pectora juncta fide.
Flebilis illa quidem, tamen has incuria major
Læſerat. horrebant omnia, fœda ſitu.
Arebant ſine luce comæ, ſine dulcibus vmbris,
Solaque nox vmbram, ſed duplicata, dabat.
Ingenii lucem Gevartius intulit illis,
Arboribuſque ſuam reddit, vt ante, diem.
Aque tuis radiis, Auberi maxime, lucem

Spe-

Sperat: & ipſe ſuam donat habere tibi.
Sic quæ deſertæ fuerant ſine numine Sylvæ;
Inſcriptæ Phœbo, pars Heliconis erunt.

In

ABRAHAMI MYLII

De antiquitate linguæ Belgicæ Commentarium.

FOecunda ingenii, pulchræ ditiſſima linguæ,
Ingentes aluit Belgica magna viros:
Sed neglecta ſuis quos ipſa eduxit alumnis,
Et, velut orba parens, pene relicta fuit.
Illum ſponte ſua Latiæ traxere Camœnæ,
Hunc pellex rapuit Græcia, blanda loqui.
Eſt & Idumææ cui grata eſt gloria palmæ,
(Notior antiquis nulla corona fuit.)
Mylius ingemuit, terræque dat oſcula; nec tu
O genitrix tali laude carebis, ait.
Audiat, externos ſi quis ſibi poſcit honores,
Et tibi, quam debet, ferre recuſat opem.
Dixit, & infigens tabulæ mentemque manumque,
Patronum patriæ pene jacentis agit.
Quod nuſquam eſt alii Latium mirentur amentque:
Cui debes, civem Belgica mater habes.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ad
ERMEGARDIN RUTGERSIAM,
IANI RVTGERSII

Sororem unicam, uxorem ſuaviſſimam, cum primo eſſet gravida.

SIc te Dii, mea dulcis Ermegardi,
Meum cor, mea ſuavitas, meum mel,
Mearum requies ineptiarum,
Et finis tepidi moduſque amoris,
Sic te Dii faciant brevi parentem,
Vt ex te Heinſiolum Ermegardulamque
Lubet, lux mea dulcis, intueri:
Qui patris genio, pudore matris,
Confundat, mea lux, utrumque noſtrûm;
Te mihi, tibi me, atque utrique utrunque.
Quare, ſi quid agis, venuſta noſtra,
Si quid e gremio minaris illo,
Illo prætumidoque turgidoque,
Redde protinus: aut tibi Ermegardin,
Aut mihi Heinſiolum, aut utrique utrumvis.
Vt utrunque in eodem uterque denuo,
Meum cor, mea vita, baſiemus.
Ipſe in Heinſiolo meam Ermegardin:
Tu me in hoc, vel in hac, mea Ermegardi.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In

EUSTATHII SWARTII

Analecta, Illuſt. viro

JACOBO DYCKIO

legato Regio, domeſtico patrono, inſcripta.

QValis, cum Lyciam maternaque deſertit arva,
Et Cyrrhæ dominas viſere Phœbus amat,
Surrexere Deæ. redeunt animuſque vigorque,
Et cunctæ veniunt ad ſua plectra manus.
Hæc parat heroos, numeros parat illa minores
In Venerem: tragicum tertia cantat opus.
Ille favet cunctis, meritamque ex ordine laurum
Dividit: immunes nec ſinit eſſe Deas.
Talis Hyperboreo poſtquam migravit ab axe
Dyckius, inque ſua vivere cœpit humo;
Occurrêre viro Latiæ Grajæque Camœnæ,
Et ſi quem Phœbi myſticus afflat amor.
Svvartius hos inter, domino, gratiſſimus autor,
Inſcriptum curæ fert melioris opus.
Ille ſuas vultu placido dignatur alumnas,
Et fovet, & docta fertque probatque manu.
Talis Tuſcus eques, talis Busbequius olim,
Cum Pharia dictas à bove liquit aquas.
Regia res amor eſt Muſarum: regia res eſt,
Cum pereant reges ſceptraque, nolle mori.
Aſpice quid noſtro Mœcenas tempore poſſit:
Quas peperit Muſas jam colit iſta domus.

In

In Plautum à

IANO GRUTERO,

poſt

CICERONEM,

emendatum.

ILlud grande decus, quo ſe Germania jactat,
  Nec non Belga tamen quem putat eſſe ſuum,
Cui, lecto Cicerone, nihil reſtare putabit
  Romani quiſquis flumina mellis amat,
Ingenii metas famæque egreſſus, in alto
  Contiguas Divis cœpit habere domos.
Laudibus hic potiturque ſuis fruiturque beatus,
  Sed tamen & laudes aſtruit ipſe ſuas.
Nec Muſas putat eſſe ſatis, quas Græcia mater
  Ter quondam ternas credidit eſſe Deas.
Adjungit decimam. quæ dum ſic culta legetur,
  Dicetur pariter reſtituiſſe novem.

In mirabilem caſum Turonenſem: in quo, fracto tabulato, reliquiſque lapſis aut læſis, ſola Regina conſtitit immota.

CVm traherent nuper tecta inſidioſa ruinam,
  Nec jam commiſſum trabs ſibi ferret onus;
Pars, Auguſta, tuo quæ preſſa eſt corpore, ſola
  Subſtitit, atque ipſo pondere tuta fuit.
Cervicem intrepidæ, cœlum qui ſuſtinet, Atlas,
  Et tutelares ſuppoſuêre Dei.
Incolumi te ſtante, tui ſenſere ruinam,

Inco-

Incolumes, quamvis tot cecidere viri.
Non poterant, niſi lapſa, tibi ſic parcere tecta,
Nec ſi lapſa fores, parcere tecta tuis.

In nuptias

IOANNIS POLLIONIS,

&

CHRISTINÆ POLYANDRÆ.

HEſpere, qui ſeræ defunctus munere noctis,
Idem mane novo, nec minus, alter eris,
Sic tibi det multos juvenum ſpectare calores,
Et toto quicquid Cypris in orbe gerit,
Nec tua præcipitet venturus lumina Phœbus,
Nec Dea, quæ Phœbo prævia mane venit;
Pande fores roſeas indignaque nubibus ora,
Et Triviam, comites & tibi junge tuos:
Hoc rogat infelix juvenis, qui pectore toto
Vritur, & juſtam te ſibi poſcit opem.
Ardet, & ipſe ſuos teſtatur Pollius ignes,
Hybernas ſolito tardius ire dies.
Nec negat hoc virgo: ſed nollet: & hactenus vri
Non didicit: quamquam nunc quoq; vulnus habet.
Scit quoque quid ſit amor, quanquam pudor obſtat (amori,
Et vinci metuit, ſic quoque victa tamen.
Et numerat cunctas, ſed noctem cogitat unam:
Hoc ſaltem illæſa virginitate licet.
Solve metus clari caſtiſſima nata parentis,
Non tibi, ſi neſcis, illa timenda venit.
Terret & oblectat timidas Cytherea puellas,
Et puer eſt, quamvis tela minatur. Amor.

Ludit,

Ludit, & ut ludat, geminos committit amantes,
Et ſpolium à veſtra virginitate petit.
Vectigal petit ille ſuum. quid nupta recuſas,
Quid dubitas? rapta virgine, mater eris.
Iam generum debes, debes Chriſtina nepotes,
Iam matri, quantum præſtitit illa tibi.
Hoc genitor pariterque rogat vir ſaucius. alter
Vt genitor fiat, fiat ut alter avus.

In albo

EVERARDI VORSTII,

Magnifici Rectoris.

LAus Aſclepia duplicisque Phœbi,
Qui plectrum ferit, & potens medendi
Fatorum dominas miniſtrat herbas,
Quid nos fœderis intimique amoris
Poſcis dulcia nec neganda ſigna?
Non ſi perpete concitatus œſtro
Totos Phocidis æſtuem furores,
Et Phœbi Lycium potentis antrum,
Imos pectoris explicem receſſus.
Sat teſtem fidei dediſſe nomen,
Et ſaltem memores notaſſe ceras.
Nobis cætera differenda crede.
Non hæc ductibus exarata paucis,
Et tantum manibus terenda noſtris,
Sed quæ per geminum volabit orbem,
Canæ Tethyos & ſoli viatrix,
Olim publica charta nos loquetur.
Phœbo præſtite perpetique fama
Cum nepotibus iſta res geretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

IN ANIMADVERSIONES

ad Sacrum Novi Fœderis, præſertim Syriaci, contextum, autore

LUDOVICO DE DIEU.

VIr cœlitus mirande, vir pignus Dei,
Rarumque munus additum mortalibus,
Quoſcunque lato terra complexu tenet,
Et circulari Phœbus aſpicit rota,
Quem primo ab ortu, qua ſerenat ætherem,
Accedere auſus, vixque naſcentem ſequi,
Belgarum aduſque clauſtra, & extremum mare,
Victum ſuperbus & triumphatum trahis;
Quæ lingua laudes digna proſequi tuas,
Edocte quaſvis? Seu Palæſtino placet
Diſertus ore, ſive Chaldæo, aut Syro,
Sive Æthiops peruſtus, aut felix Arabs;
Obſtrictus omnis Ortus applaudet tibi,
Et ora ſolvet. Omnis intuebitur,
Non fabuloſis aut ſepultis ritibus,
Romana queîs gens & Pelaſgorum tumet,
Emancipantem, larga quæ dedit manus,
Et autor ipſe muneris tanti Pater:
Qui fœdus immortale mortalis Dei,
Mortalis, immortalis, ac ſemper Dei,
Viam ſalutis, diſciplinam gaudii,
Quod cuncta vincit, ſine temporum caret,
Tot gentium fulgore perfundis novo:
Emenſus ante, quicquid ignotum, abditum,
Et involutum vox Prophetarum canit,
Oraculorum qui ſub obtentu latent,
Et veritati regiam pandunt viam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Adeſt labori ſeque ſufficit tuo
Rex ipſe rerum: ſive facundus ſacrum
Imples theatrum, mente ſublimi, ignea,
Et verba fundis plena veraci Deo:
Sive in nepotes ingenî vires tui,
Æternitatis candidatus, explicas,
Nondumque natos lumine involvis tuo.
Cœli ſacerdos, poſteris ſacrum caput,
Amor piorum, quos amabili jugo
Sponte ac volentes vitæ ad exemplum trahis,
Hæres paternæ laudis atque adoreæ,
Quem vox diſerta, digna majeſtas polo,
Alte recepta conſciorum mentibus,
Obliviosſo ſegregat ſilentio,
Coloniana ſpes opuſque, ſanguinis
Inuſitati germen, vt facundiæ;
Sic te favor benignus, ad metam vehat
Conſentientis eruditorum chori,
Sic cuncta diſcas, cuncta doctus aſſeras
Quæ barbarorum fœda deſtruxit manus,
Sic involutum quicquid, aut reconditum
Imperviumque, charta cœleſtis tegit,
Tecum peritus orbis aſſcribat tibi,
Famæque livor ipſe ſubſcribat tuæ;
Vt auſpicato aſſurgit ac plaudit tibi
Mens Heinſiana, priſco amore ſaucia
Laudis tuorum: Goliique Sol recens
Exortus orbi. nec minus capax tuæ
Et fautor ardens Imperator gloriæ.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ad Sereniſſimam

VENETORUM

REMPUBLICAM,

Cum Italiam

PHILIPPI CLUVERII

eidem ipſe inſcriberet.

REgina Ponti, fulmen Italæ terræ,
Orbis voluptas, quam ſuperba majeſtas
Dolensque vinci, legibus ſuis tutam
Infixit undis, indomabilem terris;
Tuas ad aras, orbis arbiter magni,
Et ordinator, & peritus emenſor,
Et omnium luſtrator, omnium exactor,
Ex orbe toto, mente quem tenet fixum,
Illuſtre munus, Italam dicat terram.
Vt quæ voluptas, quæque culmen eſt rerum,
Et fons, & omnis elegantiæ meta,
Tibi imputetur, Diva, maximæ rerum,
ITALICA TELLUS, PRINCIPI ITALAE TERRAE.

In

PHILIPPI LANSBERGII

Commentationes De motu terræ, deque aſpectabilis cœli typo.

MEtator ille ſyderum remotorum,
Et impeditæ veritatis interpres,

Null

Nulli ſecundum magna quem tulit Ganda
Cœli latebras, ultimoſque ſeceſſus,
Recludere orbi, ſæculiſque venturis;
Nunc major annis, & propinquior cœlo,
Cui ſemper inſtat ſemper incubat mente,
Movere terram, ſtare perdocet cœlum.
Senex, ſenectæ perſpicacis exemplum,
Senex, juventa perſpicacior quavis,
Quam falſus error, aut opinio veri,
Pellace fuco continenter involvit,
Terræque fixam fixa detinet Terra;
Quis te, beate, quis beatior ſpirat?
Cui tot laborum, gloriæque jam partæ,
Et veritatis, & ſui, polus centrum eſt.

In Furium ac Megæram, Luſitanos, cum Filium novo & profano cultui publice dedicarent.

MEgæra Furii, & Megæra Furius,
Vterque mango veritatis ac Dei,
Natum Molocho, plurimis ſpectantibus,
Votam dicatam conſecrarunt victimam.
Parens vterque, prima pars piaculi,
In hoc theatro, quo dicatus eſt puer,
Stetere pulla veſte, veſte ſquallida,
Paſſis capillis altera, alter lurido
Tetroque vultu, qui dicatos Tartaro
Et obſidentes buſta terreat ſtriges.
Nec ominoſæ defuere lachrymæ,
Quas atra mens, & conſcientia gravis,
Haud ſponte diris exprimit nocentibus.
Tandem parentum victima, ac pompæ caput,
Piacularis venit in ſcenam puer,
Vivum cadaver, diſcolor, diſpar ſibi,

Et inquinatis concolor parentibus.
Pullus Molocho conſecratus eſt color,
Solos Molochi qui ſacerdotes decet,
Colore ab ipſo quos Camillos dicimus.
Locus Molocho deſtinatus ac ſacer,
Si quæ Syrorum ritibus datur fides,
Ipſique ſi quid creditur nato Dei,
Vero Gehinna nuncupatur nomine;
Mox puniendis dedicata ſontibus,
Et inferorum nuncupata nomine.
Hanc ore diro, geſtibuſque mimicis,
Solos Molochi quod ſacerdotes decet,
Paſſis capillis altera, alter lurido
Tetroque vultu, dum dicatur victima,
Parens vterque prætulit ſpectantibus,
Megæra Furii, & Megæra Furius,
Duo hiſtriones qui Gehennam dedicant,
Natoſque ſecum qui Gehennæ dedicant.

In obitum

IOHANNIS BUXTORFII.

SI fas eſt, vir magne, tuos accedere manes,
Quem candor niveus, quem tibi junxit amor;
Perculſo, quacunque patet, cum gentibus, orbe,
Privatos gemitus ad tua buſta fero.
Europa ingenti lachrymas effundit alumno:
Tecum pars Aſiæ prima, ſepulta jacet.
Nec tantum infelix Solyme ſua damna recenſet,
Quæ viſa eſt iterum, te moriente, mori:
Cum victa victrix Babylon ſua pectora tundit,
Et jungit lacrymas vtraque læſa ſuas.
Nec jam fœmineum ſibi vindicat illa laborem,
Quæ melius tali ſtat recidiva manu:

Ne

Nec tumuli poſt buſta tui memorentur Iones,
Nec ſe Pyramidum nobile jactet opus,
Nec Mauſolei pendentia fornice tecta,
Nec teſtata ſuum cornibus ara Deum.
Omnia priſcorum poſt ſe monumenta reliquit
Quæ terris cineres monſtrat, amice, tuos.

In obitum viri clariſſimi.

IANI GRVTERI,

optime de omni eruditione meriti,

SI fas eſt, pietaſque ſinit lugere beatos,
Quos ſperata diu ſuſtulit atra dies,
Inferias, Grutere, tibi, tua cura, Camœnæ,
Et, perculſa tuo funere, Roma, venit.
Flet Tiberis, ſeptemque rigant ſua culmina montes,
Et quiſquis gemini culmina montis amat:
Servatis qui ſæpe tibi tot civibus olim,
Aptavit capiti debita ſerta tuo.
Nec modus aut lachrymis, aut lex queat eſſe dolori,
Publica quam toties tantaque cauſa ciet:
Ni truculenta tuo luſiſſet ſtamine Parca.
Invidiam culpæ detrahit illa ſuæ.
Exilium mortemque tibi, dum vita manebat,
Indixit, nulli parcere certus, Iber.
Vidiſti patriam cum libertate cadentem,
Et profugum profugi deſeruere tui,
Quæque tibi vita fuerat jucundior ipſa,
Ante oculos periit bibliotheca tibi.
Infelix, patriæque tuæ vitæque ſuperſtes,
Fleviſti, extremum non properare diem.
Quod ſupereſt, morti merito fatiſque negatum eſt,
Et quicquid poſt nos reſtat, eritque, tuum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vixiſti, vitæ ſeries nunc incipit actæ;
Quæ doctæ precium ſedulitatis habet.

In obitum

PETRI COLONII.
DANIELIS FILII.

PRæſidium miſeræ ſpeſque intercepta ſenectæ,
Cui jam crudelis vita futura ſua eſt;
Sic ſubito, ſic totus abis? ſic, denique, de te
Iam præter lachrymas vis ſupereſſe nihil?
Iam tibi maturos genitor ſpondebat honores:
Tu quoque quod nolles, voverat ipſe ſuos.
Iam Macetæ campos evectus & alta ſophorum
Dogmata: jam multis, te quoque, major eras.
Vincebat cœli ſtudium, quo totus abibas;
Tam ſimilis patri, quam pater ipſe ſibi.
Iam dulces genitrix de te ſpectare nepotes,
Et dici genitor jam properabat avus.
Invidit funeſta lues, ſpeſque abſtulit omnes.
Sic mihi, ſic matri, raptus, & ipſe tibi es.
Reſtabant jam pauca tibi, ſed plurima nobis,
Quos tuus accendit, non ſatiavit, amor.
Vna dies vetuit, primumque abrupit amorem,
Et ſecuit vitæ ſtamina cœpta tibi.
Tum quoque, ne tempus vacuum virtutis abiret,
Parſque foret vitæ diſcolor vlla tuæ,
Fatales moriens docuiſti vincere leges,
Et primo vitæ tempore, malle mori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In obitum

THOMÆ ERPENII.

QVi primum è tenebris Orientem adducere Solem
 Cœpiſti in Batavos, ô decus omne tuis,
Tene etiam ſuprema dies mortalibus vmbris
 Addidit? & mores nil potuere tui ?
Nil niveus candor, nil ſancta modeſtia, nil mens,
 Qui cœli in terris incola ſemper eras ?
Tot jam annos menſeſque, tuo pendemus ab ore;
 Seu totum hoc ratio, ſeu fuit acer amor:
Acer, & inſolitus, qui me tibi junxerat vni;
 Sæpe etiam paſſus vix meminiſſe mei.
Tu Grajorum adytis immerſum, & inertibus vmbris
 Iuſſiſti ad portus flectere vela tuos.
Et nunc in medio luctantem gurgite pinum
 Deſeris. heu fati lex inopina mei!
At ſaltem preſſiſſem oculos in morte natantes,
 Hauſiſſemque anima deficiente tuam!
Tot ſaltem excelſas fixiſſem pectore voces,
 Quot fruſtra effundit, jam moriturus, olor.
Quinetiam, nomenque meum morientis in ore
 Perſtitit; & totus, tum quoque, noſter eras.
Vita aliis erepta ſua eſt: nos odimus. & fas
 Cum Sole in terris deficiente mori.

In Anti-barbarum

SIXTINI AMAMÆ.

IMproba majorum quæ nata eſt tem pore primum
 Barbaries, noſtro tempore pulſa fuit.
Græcia nata fuit: Latiæ crevere Camœnæ,
 Quiſque ſua Muſas fovit & auxit ope.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nec ſummi procerum, nec Regum prona voluntas
Defuit. ex illis pars quoque noſtra fuit.
Orta dies fuerat. ſed, quæ, vix orta, repente
Occidit, & noctem ſentit adeſſe ſuam.
Has tenebras inter dubiæque crepuſcula lucis,
Altera fax oritur, nec prius orta dies.
Sol oritur, Sixtine, tuus: quo vindice, rurſus
Barbaries cedit, quæ reditura fuit.
Nec tibi Phœbeam ſatis eſt decerpere laurum,
Quam Latium, vel quam Græcia docta gerit:
Pectus Idumæo caluiſti accenſus amore.
Nobilior nulli lecta corona, tua eſt.
Laurum alii ſibi quiſq; gerant. tibi palma parata eſt.
Hanc Oriens ſoli nectit, amice, tibi.

In filiolum primogenitum

N. V. CONSTANTINI HUGENII.

NAtus in exemplum, ſemperque Hugenius annis
Major, & artificis grande parentis opus,
Quem genitor cunctos patriæ formavit in vſus,
Et tantum ſimilem noluit eſſe ſibi;
Nunc pater eſt, ſpectatque ſuos cum conjuge vultus:
Quos miſtus pariter ſignat vterque parens.
Nec tantum primo genitoris nomine gaudet,
Et caſtæ effigiem votaque matris amat;
Sed monitus ſancti exemplo curaque parentis,
Obſtrictum nato ſe videt eſſe ſuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In Poëmata

IACOBI ZEVECOTII,

minori Forma expreſſa.

POſt rerum Dominam Deamque Romam,
Et ſeptemgeminos in vrbe montes,
Tot arcus titulis ducum ſuperbos,
Et certantia nubibus theatra,
Thermas, pegmata, porticus, coloſſos,
Viſos non ſemel, & ſemel relictos,
Poſt preſſos cineres Maronianos,
Et qui, poſt Heliconios receſſus,
Primas Pauſilypus miniſtrat vmbras,
Seu toto Zephyrum moratur anno,
Seu certos reditus ituſque ponti,
Dulci temperie videt, nec horret,
Et conchas legit eminus marinas;
Poſt triſtes ſapientiæ labores,
Et quicquid ſtupet aut colit juventus;
Hæc primo Zevecotius ſub ævo
Ante vrbem patriam lareſque viſos,
Applaudentibus exhibet Batavis:
Pudentes elegos, ſed elegantes,
Et fortes, & amabiles jambos,
Et triſtes laqueos adhuc minantem
Ipſa debilitate choliambum,
Et faſtum tragici gravem cothurni,
Sed quem Hiſpania Cecropiſque tellus,
Noſtris, vt reor, invidet theatris:
Et quicquid ſtupet aut colit vetuſtas.
Hæc decem potes imputare chartis.
Hæc præſtat tibi puſio libellus.

In

GERARDI THIBAUTII

Gladiatoriam artem, ſymbolo ac præmio ab Illuſtriſſimo

PRINCIPE MAVRITIO

Naſſovio, &c. donatam.

INter ſe geminas ferro concurrere dextras,
 Fortunæ fuerat, nunc erit artis, opus.
Non hoc Roma parens, quamvis Mavortia, non hoc
 Lectorem docuit Græcia tota ſuum.
Temporibus noſtris, ipſa ſe teſte, vetuſtas
 Vincitur, & feſſas dat ſuperata manus,
Artis inops: totus quam dum conſiderat orbis
 Tyronem vnius ſe videt eſſe viri.
Hanc, rude donatus, Vejanius intret arenam;
 Intrata eſt numquam, dicet, arena mihi.
Threcius audebit cum Myrmillone ſub armis
 Stare, nec hic illi jam metuendus erit.
Hanc Samnis teneat, teneat qui provocat, artem,
 Ignavo neuter ſanguine tinget humum.
Hanc colit, hac noſtrum Thibautius imbuit ævum,
 Hanc nondum genitis nobile donat opus.
Nec negat hoc, Martis ſoboles, Naſſovius Heros,
 Et jam victori præmia certa dedit:
Inſtructorque operis, plauſuque opibuſque parenti
 Adfuit, & partem vindicat ipſe ſibi.
Quælibet arguto peragenda eſt judice cauſa.
 Hæc à non victo Principe palma datur.

JACOBO GOLIO,

Et lectiſſimæ virgini

RHENOBVRGO VERGOESIÆ,

Sponſis,

QVem fines patriæ, notaſque excedere terras,
Doctrinæ ſuaſit, ſed peregrinus, amor,
Qui totum in Batavos viſum ſibi vexit Eoum,
Et Phœbi veteres exorientis opes,
Sidera dum magno ſequitur labentia mundo,
Euclidæque aditus, & grave pandit opus,
Obtulit intento dulcem Vergoeſia vultum,
Atque oculos, totus quos habitabat Amor.
Qualis, cum Paphiam percuſſit vulnere matrem,
Aut cygnum fieri de Iove fecit avum.
Non ſic Erigone fulget, dilecta parenti,
Non Ariadnææ flava corona comæ,
Non Helice, non quæ crudelibus eruta vinclis,
Iure aliis paſſa eſt Andromedea capi.
Obſtupuit perculſus amans, Oriente relicto.
Elapſus docto pectore ceſſit Arabs.
Excidit attonito divinus pectore pulvis:
Succedit formis omnibus vna recens.
Metitur ſpatiis deſcripta æqualibus ora,
Quæ nunc ſollicito picta rubore madent.
Miratur, tereteſque manus, greſſumque, ſonumque,
Et quicquid caſte non niſi ſperat amans.
Tantum optat fieri, quæ quondam inſpexerat, aſtra,
Atque oculis totidem poſſe notare ſuum.
Quoq; trahit, ſequitur: ſequitur dum victa ſecutum,
Et totam precium ſeduſitatis habet.
Sidera quod fuerant, nunc eſt Vergoeſia. cœli
Extinxit cunctas vna puella faces.

EPITHALAMIUM IACOBI MUSII,

Cognati ſui, & lectiſſ. virginis

MARTINÆ JOACHIMI,

N. V. ALBERTI IOACHIMI,

ad Sereniſſ. Magnæ Britanniæ Regem Legati, filiæ.

CLarum ſanguine faſcibuſque, Muſi,
Et per tot titulos celebre nomen,
Qua Moſam Vahalis ſuperbus ambit,
Et Leccam ſibi jungit affluentem;
Qua triplex ſpatiatur, & Senatus
Rectorem Batavi ſalutat amnis;
Felix, cui dominæ faventis ardor
Totas ignibus imbuit medullas:
Nunc felix magis, & magis beate,
Cui, dulci genio paris juventæ
Et dulci obſequio peruſta mentem,
Totam ſe dedit, annuitque vinci.
Iam tuto tibi, jam datur volenti,
Per tot gaudia mentis evagari,
Et diſponere vota quæ morantur.
Iam totam licet æſtimare noctem.
Felix moribus & decore formæ!
Felix laudibus & decore famæ!
Felix, quem dedit, altero parente!
Quem facundia, quem ſevera virtus,
Tot terris venerata Regibuſque,
Et faſtidia temporum ſuorum,
Pætis Helvidiiſque prænitentem
Magni laudibus inſerunt Catonis.

Quem nunc libera juſſa Principeſque
Belgarum ſtupet Albion loquentem.
Felix, qui comiti comes per vndas
Ad Brirannica regna cum volabis,
Vres Nerea Nereique natas
Læſo pectore: deſideſque ventos
Ad ſpectacula feſta convocabis!
Hic quot fluctibus intumeſcet æquor,
Quot nox, æthere lapſa, promet ignes,
Tot ſuſpiria, baſiiſque mixta
Linguæ murmura blanda ſupputabit,
Et tota Thetis incaleſcet vnda.
Dum terræ ſimul, & ſimul beato
Languentis dominæ ſinu receptus,
Lentum pectoris edomabis æſtum.
Hic Hymen tuus, & tuus Cupido,
Flammarum moderator & profundi,
Qui ſubducta dabit legetque vela,
Et per tranſtra foroſque curſitabit;
Quem portum Batavæ dabunt carinæ,
Hunc portum gemino dabunt amanti.

AD CASTOREM ET POLLVCEM, BELLIMONTIÆ DOMVS,

cum vterque Licentiam in vtroque Iure reportaret.

DVplex gloria maximi parentis,
Quo nil cultius eruditiuſque,
Nil facundius elegantiuſque
Iactant Mattiaci, colunt Batavi,
Quem Rex Sarmata, Sarmatæque terror,

Belli deſtina, fulmen vniverſi,
Getarum moderator, inter arma
Noſtro fœdera comprobata voto
Totis viribus horruit loquentem,
Et pacem timuit, timendus hoſti;
Quæ vos gaudia, quæ fovent parentem,
Cum pares ſtudiis, pares juventa,
Pares ingenio, pares amore,
Pares laudibus eruditionis,
Inter tot ſcopulos, tot inter vndas,
Et fluctus dubios, ſcientiarum
Ad ſummum videt enataſſe culmen,
Et parem Themidis referre honorem?
Sic Caſtor geminus, ſuo que dignus
Frater Caſtore, Caſtoris gemellus,
Pares ſideribus, pares honore,
Quamvis ſidera cuncta metientem,
Hinc atque hinc dubium trahunt Tonantem;
Vt vos gloria, ſed duplex, parentem.
Qui nunc ſaucius vtriuſque amore,
Vtrumque inter, & vtriuſque amorem,
Verſatur dubius, negatque ſcire,
Tantum cum ſciat, hunc videns & illum,
Vter ſit prior altero duorum,
Cum ſolus ſit vterque par duobus,
Et par, nec prior altero, ſit alter,
Nec par aut prior altero, ſit vſquam.

CARO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

CAROLO MARTINIO,
cum ad ſummum Iuriſprudentiæ gradum eveheretur.

QVisque ſuos Divi veteres coluiſtis amores:
Et pretium cœli priſca juventa fuit.
Iaſiona Ceres formoſis condidit vlnis:
Endymion, Luna judice, pulcher erat.
Virbius acceptum Triviæ bis rettulit eſſe,
Et geminam lucem munus amantis habet.
Formoſæ notus Veneris, dum vixit Adonis,
Poſt mortem Aſſyriis continuatus, amor.
Tithono Cephaloque ſuos partitur amores,
Æthereas pandit quæ Dea mane fores.
Pierides, veſtram meruit Rhodopeïus Orpheus,
Et ſenſit Thamyras, ſed male gratus, opem.
Egeriæ placuiſſe ſuæ Numa fertur, & antro
Dictantem monitus detinuiſſe Deam.
Vna Themis placuit tibi, Carole. ſola Dearum
Implicuit dulces in tua colla manus.
Hujus in amplexus juvenis nunc ducitur. hujus
Connubii dotem, non male pactus, habet.
Libertas capiti, digitoque inducitur aurum:
Hoc quoque non dubiæ pignus amantis erit.
Teſtis adeſt, morum non inſcia, caſta Coloni,
Doctrinæ genitrix, cum pietate, domus.
Quæ puerum vidit, juvenem nunc exhibet orbi,
Et primam docuit laudis inire viam.
Nec minus hic, Cunæe, tibi debere fatemur.
Ille tuum poſthac jure putatur opus.
Tu dominæ jungis: tecum his aſſiſtere ſacris
Cogimur, & ritus, & pia verba ſequi.
Heroes veterum priſcis placuere Deabus,
Præmiaque amplexæ fert ſua quiſque Deæ.

Curæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Curæ aliis ſua quæque fuit. tibi, Carole, nubit,
Quam ſequitur ſemper, nunc comitatur, honor.

AD

Sereniſſ. & invictiſsimum

GUSTAVUM

ejus nominis ſecundum Suecorum Regem, &c. cum Iuriſconſultorum Ordini inſertus eſſet

JOHANNES CABELIAVIUS.

Regum maxime, quem peruſtus acri
Moſchus frigore, Sarmatæque triſtes,
Et ſeptemgemini pavent Triones;
Dum lauros tibi, victus, & triumphos,
Hoſtis porrigit, incolæque ferrum,
Cœlum ſidera deſtinat, ſed olim,
Nec quicquam faciles negare Divi,
Aut Mars ſuſtinet, aut amica Martis,
Tædas quæ ſibi vindicat jugales;
Nos nova juvenem toga nitentem,
Quem ſacro Themis imbuit ſub antro,
Vt magnum Egerie Latina Regem,
Invictum genii calore, & annis,
Plenum numine, gens amica Phœbo,
Nec victi tibi mittimus Batavi.

In

In Codicem Middoth, à

CONSTANTINO LEMPEREVR

Latine converſum, & commentario illuſtratum.

GRande illud adytum, quo ſuprema majeſtas,
Terræ polique conditrix, ſui finis
Et meta rerum, continenter inſuerat
Audire voces ſupplicantium ac vota,
Aulam faventis & palatium cœli,
Tot involutum tot receſſibus clauſum,
Toties renatum, denuoque collapſum,
Dum terra Iduma ſtaret & Palæſtina,
Struxere Reges. Rurſus obrutum fato,
Et jam ſuorum pene cognitum nulli,
Orbi renatus Imperator exſtruxit,
Cui tota Iduma cedit & Palæſtina.

AD

FRANCISCUM THYSIUM, ANTONII FIL.

cum vtriuſque Iuris ſummo gradu donaretur.

BEate Thyſi, quem juventa, vix primos
Emenſa fines, tot per invias cautes
Atraſque nubes, quot minatur Aſtræa,
Tuto reponit in Salaciæ portu,
Et invidendo nectit anchoram morſu.
Felix ſenectæ cura, dulce ſolamen

Figen-

Figentis in te vota: cujus ad limen,
Sic major annis, gratulantibus cunctis,
Parente digno digna mittitur proles.
Vt cornipes primævus, inclyto natus
Victore, palma quem reducit Elea,
Spem vincit animis, gloriamque ſucceſſu:
Aut regia ales, ſtirpe non minor tali,
Naſcendo Phœbum ferre diſcit, & lucem.
Mox creſcet ætas, auſpicatior famæ,
Fervorque agendo cedet, & pudor primus:
Vt additus plerumque mentibus rectis
Index honeſti, ſic inutilis rebus.
Hoc ſtirps avita proque avita majorum,
Hoc lucis vrget autor, integer morum
Vitæque cuſtos, æquus omnium laudi,
Suæ ſeverus æſtimator ac parcus,
Fugaxque famæ, quæ procatur invitum:
Non erudito, quotquot eminent uſquam,
Vlli ſecundus, & modeſtiæ princeps.

In obſcurißimas

A. PERSII FLACCI SATYRAS,

commentario

ISAACI CASAUBONI *illuſtratas*.

EST aliquid pulchrum. nihil eſt formoſius orbe.
Quæ teneant oculos plurima ſolus habet.
Deſpice. cernis humum, quæ ſe mirantibus offert.
Omnibus illa ſuas prodiga monſtrat opes.

Suſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Suſpice. pulchra vides diffuſi lumina cœli,
In numerum partes ſemper obire ſuas.
Vt veniente die pulcherrimus æthere Titan,
Sic fugiente, ſua Cynthia luce nitet.
Hæc tamen, aut nubes, aut nox intercipit ipſa.
Vt videas cæcos protinus eſſe Deos.
Vnica nox totum tenebris obducit olympum,
Vnica nox totam celat & abdit humum.
Sint tenebræ ſemper, nihil eſt hoc quicquid vbiq; eſt,
Et fugient partes omnia pulchra ſuas.
Non Helenen ipſam, non te male ſanus amabo,
Ni videam vultus Hippodamia tuos.
Palladis hinc oculos, hinc collum pone Diones:
Sub gelida lateat nocte, peribit amor.
Hic quoque qui libro toties memoratur in vno
Flaccus, & inceptum morte reliquit opus,
Socraticas totus pallebat doctus Athenas:
Sed prope nox totus, totus & vmbra fuit.
Sic latuit ſemper, quamvis legeretur vbique:
Et prope quam notus, tam tenebroſus erat:
Sunt duo qui lucent, duo ſunt qui lumina reddunt
Omnibus: hic cœlum purgat, & alter humum.
Caſaubonus humum radiis, Sol purgat Olympum.
Imperii ſedem ſervat vterque ſui.
Nil mihi cum nocte eſt. placeat morientibus illa,
Nos homines luci dedita turba ſumus.
Sint tenebræ Flacci. plus Caſaubone meretur
Lux tua. luce tua cognitus ille fuit.
Quam bene diſtatis! quicquid non novimus ante,
Illius; & quod nunc diſcimus, omne tuum eſt.

Paro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Parodia

PHASELI CATULLIANI
in Aſini expreſſam ab autore in Laude Aſini effigiem.

ASellus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe quadrupes pigerrimus,
Nec ullius ſtupentis ocium pecu
Nequiſſe præterire, ſive Inertiæ
Opus foret litare, ſive Murciæ.
Et hoc negat feroculæ Bataviæ
Negare littus, inſulaſve proximas,
Sicambriam, trucemque Bætici ſinum,
Vbi iſte, nunc ſcreator, antea fuit
Iners Aſellus. heic Salaciæ in ſolo
Rudente ſæpe ſibilum edidit ſono.
Bataviæ ora, nobiliſque Catta gens
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Aſellus inquit: vltima ex origine
Tuis nataſſe dicit in paludibus:
Tuo imbuiſſe & vngulas in æquore.
Et inde per tot alta littorum juga
Herum tuliſſe; læva ſive dextera
Foret cruenta: ſive agaſo verbere
Vtrumque durus incidiſſet in latus:
Nec vlla vota Vapularibus Diis
Sibi eſſe facta, cum veniret à mari
Noviſſimo, hanc ad vſque Muſicam domum.
Sed hæc prius fuere: nunc ineptiis
Vacat jociſque: ſeque dedicat tibi,
Gemelle aſellule, & gemelle aſelluli.

In Epiſtolicas quæſtiones

IOANNIS BEVEROVICII,

De vitæ termino.

PRofeſſor artis non habentis exitum,
Niſi advocatum numen in partes venit,
Ars artis, & lex deſtinatrix omnium;
Quem ponit arti terminum, ſervet Deo:
Nec immodeſte conſerat cœlo manum.
Succeſſus omnis cœlitus terræ datur,
Vni relictus cognituſque numini.
Qui belluoſo vela committit mari
Canus magiſter, artis ac ponti ſciens,
Portu negato, non minus ſcientiam,
Tuetur vſu, naufraga licet rate,
Quam ſæpe proſper, qui coronatis Deis
Lætum paterno limiti admovit pedem.
Quid ſperet æger, quem ſupremo in limine
Vitæ occidentis morbus afflictum tenet,
Seu lenta tabes, ſeu malignus ac recens
Et æſtuoſus inſidet venis calor,
Cos erudita monſtrat; vt vitæ ac necis
Non ordinatrix, ſic ſatelles addita
Et præſidentis adminiſtratrix Dei.
Quem Mars in arma cogit, affectam licet
Excuſſit hoſti non iners adoream,
Hoſtique palmam pene præreptam dedit.
Stat providus, ſtat omnium gnarus parens,
Fatumque ducit, quo lubet, cœlo datæ
Director artis, non inertis non iners,
Non ocioſus, negligenſque nullius.
Idemque terra tollit ac cœlo inſerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Fati miniſtram, deprimitque quo lubet
Inobſequentem: ſeu proterva deſerit
Calles apertos, regiamque ſemitam
Vt cornipes, quem legis ignarum ac ſui
Vix ipſe habenis campus excuſſis capit,
Auriga circo claudit, ac metæ applicat,
Voti impotentis terminum vt figat ſibi,
Nec cuncta credat poſſe, nec poſſit nihil.
Non vt remiſſe militantis in modum
Inefficax tutator agminis ſui
Fruſtra ſupinas inferat cælo fugax,
Sed vt volentes commodet fato manus.
Apollinaris quæ ſcientiæ caput,
Artiſque lex ſuprema Bevrovicius
Nunc patriæ commune delubrum ac ſalus,
Olim Machaon deſtinatus indiges,
Poli Quirites inter antiſtes poli,
Tradit futuris, poſteroſque dedocet
Inſanientis orbitam plebis ſequi,
Quæ vera falſis, certa turbat irritis,
Artemque fato miſcet, aut demit Deo
Vni relictum prorogare limitem,
Vnique notam, cognitamque nemini.
Ne curioſus quære, quæ ſciri nefas,
Nec vt ſupremum prorogaturus diem
Quicunque morbum temperaturus venis,
Sed proroganti deſtinatus aſſecla,
Securus inſta. temperator omnium
Et artem, & arte fata conſummat Deus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In Amores Nortvicenſes,

VINCENTII FABRICII.

DOuſa, pater vatum, Batavi tutela Lycei,
   Quo nil candidus terra Batava tulit,
Littora Nortvici campoſque accendit & amnes,
   In gremio dominæ dum ſua fata canit.
Ipſa Venus, Veneriſque puer, quos luſit Amores,
   Quæque Idæ fixit baſia mille ſuæ,
Inſcripſit foliis: flammaſque & carmina Nymphæ
   Hauſerunt patriæ, Nereideſque Deæ.
Tota calet tellus, & adhuc locus vritur ipſo:
   Quem Phœbo junctus nunc quoque ſacrat Amor.
Dignus vtroque Deo vates meus, ardet vtroque,
   Nec Paphiæ, Phœbi nec minus igne calet.
Douſa meus doctos Nortvicum tranſtulit ignes,
   Nunc afflat vates numine Douſa ſuo.

In vrbes Batavia

MARCI BOXHORNII ZVERII.

LAus eruditæ gentis & decus rarum,
Cui vix juventa veſticeps genas ambit,
Vix ora ſignat, erudite Boxhorni,
Et jam procatur fama, jam ſibi jungit
Laborioſis indomabilem curis,
Quas ante fulget, vt domeſticos cœli
Nocturnus ignes, quæ reponit in luce
Nomen Batavum, conſecratque venturis;
Debere jam ſe ſentit ipſa Libertas,

Nexum

Nexum nec vnquam diffitebitur tantum:
Quod cum ſuperbis molibus, foris, templis,
Beata, dives, culta, non triumphata,
Cum civibus, cum civitatibus cunctis,
Spectanda terras nunc perambulat quaſvis,
Vita & Quirini civitate donata.

Eidem, cum illuſtriſſimo

DOMINICO MOLINO

publice parentaſſet.

QVid eſt diſerte nec tacende Boxhorni
Poſthac diſertis, æmuliſque ſummorum,
A cujus ore feriata Lugdunum
Nuper pependit, ſauciata, percuſſa
Oratione flebili, nec ignava,
Sed expedita, maſculaque, ſed gnara
Vim queſtibus miſcere, lachrymis pondus;
Quid eſt, quod Heinſi, præco funeris magni,
Ciere leſſum lachrymaſque vis Muſam,
Et præficarum munus exſequi luctum,
Quem fama terris poſteriſque venturis,
Padus Batavis Hadriæque tranſmittat?
Amice neſcis; inclytus licet fandi,
Et luctuoſus prædicator erepti;
In morte tanta quod miſerrimum neſcis,
Et pene tanta luctuoſius morte,
Nec expiandum februiſque luctuque:
Fuere Muſæ, vixit Heinſius veſter,
Amice, vixit. Ille ſedulus quondam
Lætuſque, cultor dulcium Camœnarum,
Idemque laudis impotens Molineæ

Et æſtimator & ſuperbus interpres,
Ardoris ipſe vix ſui capax quondam,
Nunc derelictus omnibus miſer Muſis,
Perculſus, oppreſſuſque, mutus, elinguis,
Non verba voci, ſed ſilentium præſtat
Inominato nec domabili letho.
Si quid relictum eſt vltimæ tamen voci,
Quod lingua victa tinniat, manus ſignet,
Qualis ſupremæ conditur voluntatis,
Vrgente fato, ſumma cum dies vergit
Lex non amœna, quam tabellio firmat,
Suique teſtes, & domeſticum nomen;
Hanc dictionem, ceu noviſſimam, tolle:
SIBI ET MOLINO QVI SVPERSTES EXSTINCTO
EST,
SIBI ET CAMOENIS HEIC PARENTAT EXTINCTIS.

In deſcriptionem

INDIÆ ORIENTALIS

IOANNIS LATII,

Rebus ejuſdem Indiæ Præfecti.

EXtremum primumque diem, qua ſurgit ab vndis,
Quaque fatigatis in mare fertur aquis,
Emenſo Batavi poſt tergum liquimus orbe,
Et quas ſol metas, navita noſter habet.
Subſequitur quacunque viam fecere carinæ,
Et quantum nautæ mens ſibi ſumit iter.
Latius extremi poſitum ſibi vindicat Indi,
Et curam terræ deficientis agit.
Par patriæ cujuis, par libertatis amore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hic quoque quo patriam demereatur habet.
Nec tantum diſtincta locis miracula reddit,
Quæcunque in Batavis panda carina tulit,
Cedentis revocat finemque intercipit orbis,
Vlteriuſque ipſo nobile ſurgit opus.
Interior tanto jam ſtat Natura labore,
Et famæ acceſſu continuatur humus:
Excipit exhauſtum par mundo gloria mundum,
Quantus in immenſa poſteritate patet.
Qui varios terrarum habitus, tractuſque ſituſque,
Et deſcripta ſuo nomine regna legis,
Cum frutices, herbaſque novas, ignotaque nobis
Nec quondam terris cognita monſtra legis,
Plus monſtris quæcunque legis mirare docentem,
Per quem, ut nata domi tam peregrina legis.

In Poëmata IANI BODECHERI BANNINGII.

CORpora Priamides tria ſe formoſa Dearum
Arbitrio vidit ſuppoſuiſſe ſuo,
Cum ſpecie laſciva Venus prælata duabus,
Trojanas victrix dilaceravit opes.
Dii melius. nunc ex æquo ſententia ſertur,
Non bene concordes quæ vetat eſſe Deas.
Pallada qui coluit, cui ſe ſapientia totam
Exhibuit puero, non minus æqua viro,
Cui tres, cui faciles ter tres riſêre puellæ,
Nec ſemel immitis pectora fixit Amor,
Tot curæ Divis Bodecherus, totque Deabus,
Nunc orbi Veneres donat habere ſuas.
Sic Venerem jungit tutelaremque Minervam,
Et quas hæc ſocias gaudet habere Deas.
Adjice, quod fulvum quæ vati nunciat aurum,
Omine ab ipſa ſuo Fulvia nomen habet.

A I

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et ſupereſt Iuno, ſed conjuga; non minor illis,
Dotaleis quæ jam promere geſtit opes.

Ad

N. V. CORNELIUM VANDER MYLE,

cum non amplius Academiæ cura fungeretur.

SCaligeri poſt fata ſui, poſt funera Iunî
Læſa quidem noſtra eſt Pallas, & orba fuit;
Suſtinuit tamen ægra caput, mœſtumque dolorem,
Et facies tantum deficientis erat.
Nunc, Myli generoſe, tibi fortuna fefellit;
Nec ſolita, quanquam debuit, vſa fide eſt.
Hactenus avulſis perierunt ſingula membris:
Nunc caput infelix non habet illa ſuum.

Ad

EUNDEM,

cum reſtitutus ſibi ſuiſque eſſet.

NAtali nobis proprio, cunctiſque diebus
Dulcior, & feſtas inter habenda dies,
Qua, Myli generoſe, tibi patriæque renatus
Vivere cœpiſti poſt tua fata tuis.
Hac primum Fortuna tibi vim tota remiſit,
Et ſpolium de ſe victaque terga dedit.
Omnibus hanc lucem præferret Scaliger vnam,
Qui caput hanc faſtis vellet habere ſuis:
Quiſquis & antiquos gratus reminiſcitur annos,
Et nondum potuit non meminiſſe ſui.

Annales veterum primo repetantur ab ævo,
Et quo ſtet merito quæque notata dies :
Cum clauſos alii penetrarint milite muros,
Aut forti tulerint rapta trophæa manu;
Omnibus antiſtat victoria, ſorte ſubacta
Quæ juſſas meritis dat ſuperata manus.

In Diſputationes Theologicas

FESTI HOMMII.

FElices proavos & ſæcula prima parentum,
Cum ſimplex pietas & ſine labe fuit.
Ambitio nondum venalem invaſerat orbem,
Et caſtæ pretium relligionis erat.
At nunc infelix pietas conducitur auro,
Aut male ſperatus plurima dictat honos.
Ipſa fides proſtat. ſic ſcribitur. aſpice ſæclum.
Quod credas alter vendit, & alter emit.
Mos nocet exemplo. quantumque accedit ad annos
Creſcit, & autorem ſe gravis error habet.
Venimus ad ſummum. ſcribendo involvere verum
Cœpimus; & moles & ſibi turba nocet.
Viderat hoc Feſtus, miræ brevitatis amator,
Nec minus & ſacræ ſimplicitatis amans.
Omniaque evolvens magnorum ſcripta virorum,
Hæc nobis, inquit, ſola relicta fuit.
Nec mora: contractis infert nova lumina rebus,
Et non ſcribendo plurima, plura docet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In conventum

HAGÆ

induciarum cauſa fruſtra inſtitutum.

EXutus Sylvæ titulis, terræque Sicambræ,
  Et tandem Moſa cedere juſſus Iber,
Nec tutus victuſque domi, ſpem ponit in hoſte,
  Legatoſque jubet protinus ire ſuos.
Haga triumphalem venienti accommodat aulam.
  Promiſſis abeunt tempora: cedit hyems.
Spectandi ſtudio concurrit mobile vulgus,
  Et ſolo pompæ nomine, pompa placet.
Auditus, plus pace petit quam poſcitur armis,
  Et domini partes conciliator agit.
Inſanit, non fallit Iber. quod quiſque negaret,
  Non datur. hoc precium diſſimulator habet.

De

HUGONE GROTIO,

ab vxore carceri, in quo ad vitam damnatus erat, erepto.

COnjugis auſpicio ſuperas effertur in auras
  Grotius, & geminum munus amantis habet;
Pro tenebris lucem, cum lucis munere vitam;
  Quæ cum luce ſimul pene negata fuit.
At vos, ô proceres, jam pœnam mittite & iras,
  Sub vobis pereat ne pietatis amor.
Æneæ licuit medios geſtare per ignes

Intactum Grajis dulce parentis onus.
Eripuit tenebris proſcriptum caſta maritum
Thuria: nec fraudi res fuit illa viro.
Iam mortem, morti modo non vicinus, & ipſo
In tenebris letho non leviora tulit.
Poſt vitam ſuus eſt. è morte renaſcitur ipſa.
Naſcenti legem dicere nemo ſolet.

In nuptias

JOANNIS CABELIAVII
&
MACHTILDIS HAKIÆ.

QVi toties crudas Arctoo ſidere noctes
Pertulit infelix, difficileſque vias;
Invictus ſolo Dominæ, quo carpitur, igne,
Spes inter dubias ſollicitoſque metus,
Codanoſque ſinus, infeſtaque milite caſtra,
Quæque mari ac bello ſæva minatur hyems;
Suſcipitur tepidoque ſinu, teneriſque lacertis,
Et portum Dominæ blandaque caſtra tenet.
Victori (veſtrum decus eſt) applaudite Muſæ.
Serta ſibi, ſed jam laurea, nectat Hymen.
Myrto alius fauſtos populo teſtetur amores:
Ignavi tantum præmia myrtus habet.
Plus geritur. Victor Dominæ, Phœbique ſacerdos,
Succeſſu tanto præmia digna petit.
Spes vicit. felix cum ſpe quæ vicit amator,
Atque anceps de ſe jure triumphat amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In Ideam Medicinæ, ex autoribus non Medicis

A

JOANNE BEVEROVICIO,

elegantiſſime concinnatam.

E Medicis certam Medicinæ ponere legem,
Antehac ars Medicis omnibus vna fuit.
Certam è non Medicis Medicinæ ponere legem,
Vnius, poſthac non imitanda, fuit.

De illuſtriſſima vrbis

BREDANÆ

victoria ad Celſiſſ.

PRINCIPEM.

RErum certa ſalus, patriæque & gloria Patrum,
Queis ſua ſubmittit jura ſuperbus. Iber,
Veniſti indomitam fati explorator ad vrbem
Ipſe tui, qua nil Belgica majus habet.
Oppoſuit fratrem tumidi regnator Iberi,
Oppoſuit vires quicquid vbique ſuas.
Ceſſerunt paucis tot munimenta diebus,
Vix expugnandum fulmine ceſſit opus.
Fratri fratris opus ceſſit, ne cederet vlli,
Et ſponte hæredem ſenſit adeſſe ſuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In eundem poſt maxima obſidionis pericula incolumem.

HOrrida tempeſtas clauſam dum percutit urbem,
Et ſe miſſilibus vindicat illa ſuis,
Cœlum ipſum ruere in terras, tonitruque putares
Bellaque Cyclopum cominus igne geri.
Dux ingens manet intrepidus, ceu ſaxea moles,
Iratæ quam vis vndique pulſat aquæ:
Nec ſibi, ſed mortem patriæ Patribuſque minatus,
Inſtat, & incœptum fervidus vrget opus.
Erumpunt gemitus paſſim. ſpes tanta timore
Vincitur, vt res eſt plena timoris amor.
Quis credat? minimum eſt vrbis victoria tantæ.
Cum Duce plus patriam non cecidiſſe fuit.

Ad eumdem, de ſerenitate cœli, poſt continuos imbres, circa ipſum tempus quo expugnata vrbs eſt.

QVod cœlum ſine nube fuit, prius imbribus vdum,
Cum ſe ſubmiſit Breda ſuperba tibi,
Quod tantis munita opibus, valloque viriſque,
Acceſſit laudi, Dux generoſe, tuæ,
Tam cito quod turres validas ſubmiſit & arces,
Et voluit, cœlo ſed præeunte, capi;
Blanditur Natura parens, fortiſſime rerum,
Ipſaque adulantur mœnia clauſa tibi.
Ius pro te in partem Divoſque hómineſq; vocabat,
Ne tua non eſſet, quæ tua jure fuit.

IOHANNI FREDERICO GRONOVIO,

cum Diatribas in Sylvas Statianas

THEODORO GRASVVINCKELIO

inſcripſiſſet.

DVlcibus in ripis Muſarum eductus & antris,
Quanquam exul, patriæ nunc quoq; fama ſuæ,
Dum ſylvam ſimul, Haga, tuam, vatiſque pererrat,
Qui coluit ſylvas, Parthenopea, tuas;
Excolit has, triſteſque abigit Gronovius vmbras,
Et fœdam lolio deſide purgat humum.
Iamque erat, vt Phœbo Phœbeo concitus œſtro,
Et ſic conceptum rite dicaret opus:
Poſtponi doluit ſe Graſvvïnckelius illi,
Rivalis docti, non minor ipſe, Dei.
Nec male, Gronovi, Batavus præfertur Apollo,
Quæque hic nata tibi, vindicat Haga ſibi.
Nec male qui tantos meruit fecitque clientes,
Patronus Muſis incipit eſſe tuis.
At, tu qui toties dicendi flumine cives
Servaſti, priſco dignus honore, tuos,
Cujus inexhauſto dum curia pendet ab ore,
Ipſa tuis jam ſe ſentit adeſſe reis;
Accipe nunc Sylvas, è queîs tibi querna corona
Naſcitur, autori laurea ſerta tuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

JACOBO PILIO,

cum disperſa patrui ſui

MARTINI PILII

Poëmata ederet.

QVæ ſcripta quondam Pilius dedit famæ,
Primævus, acer mente, parque longævis,
Iamque invidenda Septimontii fama,
Sed ſparſa & obſoleta, pene jam & rapta,
Functo ſuperſtes Pilius recollegit,
Nomenque patruo perditum nepos reddit.
Dii, rara pietas, rarum & inclytum fœdus!
Vtrique vterque dat, quod accipit, nomen;
Rapto ſuperſtes & ſuperſtiti raptus.

In Conſulatum Dordrechtanum

N. V. CORNELII VAN BEVEREN,

Æquitis &c. nuper ad Sereniſſ. Magnæ Britanniæ ac Daniæ Reges Legati.

QVem Tameſis ſtupuit toties, quem Cimbrica tellus,
Privato poſtquam deſiit ore loqui,
Stirpis honos tantæ, magni genitoris imago,
Quem ſpretæ celebrant & comitantur, opes;
Vrbis amor primæ, patriis quæ præſidet oris,

Ac tanto fuerat nomine digna regi;
Accipit vndecimum faſces dilatus in annum,
Et ſero patriæ, non ſibi, conſul erit.
Accedit populi ſpes lenta, accedit honori
Nondum pro meritis continuatus honor.
Poſt laudis titulos tantæ, poſt mille labores,
Poſt tot ſollicitas ancipiteſque vias,
Poſt viſos toties Reges, poſt præmia Regum,
Fædere quos junxit terra Batava ſibi;
Nil laudi ant titulis ſupereſt. Vrbs accipit ipſa,
Quantum vix aliis omnibus ante dedit.

Echo de Patriæ ſtatu,

AD

N. V. THEODORUM

DOVSAM IANI FIL.

cum Patris & aliorum ejuſdem generis Poëmatia ederet.

DOuſæ Nympha mei, de paucis me quoq; certum
Fac Dea. ſic verax ſis, quod haberis. eris.
Quid Patriæ Batavoque meo conducere cenſes,
Hactenus, & ſuades ſemper amare? mare.
Heu mare, quod clauſum eſt! vbi nunc præclara juventus,
Et quodnam ſpecimen nominis edit? edit.
Aut bibit, & partis fruitur. Laus illa priorum
Interea, & virtus inclyta, tabet. habet.
Tot vero corrupta modis ac perdita quiſnam
Reſtituet nobis ſæcula ſolus? olus.
Sanctaque paupertas, exemplaque gentis avitæ.
Nam quis præ nobis jure Batavus? avus.
Torvo igitur cenſore eget hæc gens edita Marte,

Præſide quo rurſus ſobria deget. eget.
Et quo priſca fugit concordia? quæ modo nulla,
Quando vnquam miſeros conciliabit? abit.
Quid præcelſus honos, quid cætera, quæ ſibi quondam
Virtute & meritis quiſque redemit? emit.
Bellica res vero quid erit, ſi lapſa feratur,
Et ſi deficiat nos veteranus? anus.
Quid pietas? quid relligio, quæ pectora junxit,
Et nunc ludibrium quid niſi debet? hebet.
Et quis finis erit, niſi nos concordia jungat?
Quid populo reſtat, qui modo liber? Iber.

In Tabulas Motuum Cœleſtium perpetuas

PHILIPPI LANSBERGII,

poſt mortem ejus editas.

SPectate gentes, quas vtroque ab littore
Titan renatus occidenſque conſpicit.
Hæc Gandæ alumnus, per trophæa nobilis,
Non vt moleſti victor Alcides rogi,
Aut fruſtra iniquum Dîs Aloëum genus,
Per aggerata montium faſtigia;
Sed explicato quicquid in terris latet,
Et deprehenſa veritate ſiderum,
Cœlo ante capto gentibuſque dedito,
Sibi ſuperſtes, ac futurus indiges,
Terris recluſa ſcandit in cœlum via.

In effigiem ejuſdem, ibidem expreſſam.

SIdera qui terris totumque relinquit Olympum,
Monſtrator ætheris ſui,

Iampri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Iampridem cœli vetus incola, corporis ægri
Pertæſus, & noſtri ſatur,
Vmbram animi, cœloque oculos quos fixit, amicis
Sic conſecrat Lansbergius.

In

R. V. FRANCISCI GOMARI

De Hebrææ poëſi ac metris Libellum.

ILle Dei primis arcana edoctus ab annis,
Præ patria placuit cui pietatis amor,
Sanctaque libertas, & amicum pectus honeſto,
Et pro ſe intrepido qui ſolet ore loqui,
Poſtquam omnes Orientis opes congeſſit, & orbem
Cum tota obſtrinxit poſteritate ſibi;
Primus Idumæas, ſanctorum oracula, chartas
In numeros pulchra dirigit arte ſuos.
Dent alii protrita. Deum docet eſſet poëtam
Iam canus, quanquam non moriturus, olor.
Virginibus ſi quis pudor eſt, nunc cedite Muſæ:
Carminis autorem ſit ſatis eſſe Deum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In nuptias

WIBOLDI DOUSÆ,

Nordovici Domini, Legionis Belgicæ Propræfecti,

JANI DOUSÆ

Nepotis. Et

ANNÆ KERCKHOVIÆ

IOANNIS POLYANDRI à KERCKHOVE,

Heemvlieti Domini, Magni Hollandiæ Venatoris, & Dynaſtæ Putteni, filiæ.

LVgduni tutela ſui, belloque togaque;
  Muſarum genitor, tum quoque Martis amor,
Mœnia cum Phœbi tumido ſubduxit Ibero,
  Dicturaſque ſuis omnia miſit aves;
Poſſidet inflammatque ſuum nunc Douſa nepotem,
  Inque ſuo, poſt ſe, ſanguine vivit avus.
Belliger hunc primis Mavors ſibi junxit ab annis,
  Armaque pro patria geſſit avita puer.
Solum illi ferrum placuit violentaque caſtra,
  Ne tali aut vllo ſaucius igne foret.
Indoluit Cypris, teneræque haud immemor Idæ,
  Quæ tenuit Douſam ſurripuitque meum,
Cui tot delicias æternaque baſia docto
  Carmine ſacravit non moriturus amans;
Huic oculos quoque formoſos objecit, & ora
  Exhibuit, Marti qualia ſæpe ſuo
Hæc Dea: quæ domitis à ſe jam fortiter armis,

Bel-

Bellonæ proceres ſub ſua ſigna vocat.
Vincitur infelix. viſoque interritus hoſte
Submittit viſæ quæ gerit arma Deæ.
Quid facias miſerande? nihil jam caſſis & haſta
Hic poterunt. nil Mars hic, tua cura, poteſt.
Solus Hymen victo ſupereſt ſolamen, & offert
Se tibi jam, votis vltima meta tuis.
Luna oritur, ſpondentque tuam tibi ſidera noctem:
Cui merito cedat quælibet orta dies.
Quæ proavum ſic reddet avum: natumque parenti,
A tanta ductum nobilitate, dabit.
At tu, quam penes eſt tantæ victoriæ palmæ,
Quæ de Marte tuo pulchra trophæa geris;
Sanguine tam priſco generoſi digna parentis,
Sceptraque Lugduni qui modo geſtat avi;
Accipe Nortvicum pariter Douſæque nepotem,
Accipe divini nomen & acta viri,
Et famam, tituloſque, in dotem. hæc accipe. quicquid
De Douſa ſcimus jam ſupereſſe, tuum eſt.

In nuptias

MARCI ZUERII
BOXHORNII,
&
SUSANNÆ DUVELAER.

ILle novem nuper gratiſſima cura puellis,
Et cui non aliæ tum placuere Deæ,
Tandem vnam præferre novem centumque puellis
Cœpit, & externo captus amore calet.
Trans mare quæruntur thalami. Neptunia tellus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In mediis ignem ſparſit & auxit aquis.
Cui mare non totum poterat ſuccurrere & vndæ;
Vna obſtat, quæ plus omnibus vna poteſt.
Quid ſupereſt? Iam victa favet, jam gaudet amari,
Captaque jam, nollet non potuiſſe capi.
Ardeat & totos dominæ bibat oſſibus ignes,
Ardeat, & flammis ſit minor ipſe ſuis.
Dum patrem matremque ſimul non vna propago
Reddat, & hic vultum ſpectet vterque ſuum.
Tantum nunc ſupereſt, vt ſi vel mille puellis
Prætulit hanc, poſthac pergat amare novem.

SATYRA.

Ad

N. V. IOANNEM RUTGERSIUM,

fratrem ſuum, Praga, quo à Rege legatus fuerat, redeuntem, De ambitioſis quibuſdam, & tamen malevolis detractoribus: ex occaſione dignitatis Equeſtris,

à

SERENISS. VENETORVM REPVB.

ſponte ſibi ac præter expectationem delata.

RVtgerſi, ſi forte vacat ſecedere magnis
Regibus, & noſtris aliquantum aſſiſtere rebus;
Vivimus, vt dignum eſt animo, quem nec premit vn-
Aſpera plus ſolito, nimium nec tollit & inflat (quam
Lætior, & blandam fortuna imitata parentem :
Vt nuper, meditantem aliquid, nec tale minantem,
(Nam ſperanda ſibi propriamque excedere ſortem
Spe

Spe nimia, vitæque cui diſconvenit ordo,
Splendida ſtultitia eſt, & nigræ inſania bilis)
Dixerunt equitem Troiano Antenore nati. (quam
Id quoque jam nobis vix diſplicet. haud quia quic-
Magnum animo eſt vere ſapientis: quem neque dulcis
Gloria præcipitat, nec falſa infamia terret:
Sed quia nunc quoſdam videor mihi cernere coram
Quærere ſollicitos, de nobilitate vetuſta.
Queis tantum ſupereſt ſemeſum pignus, & acris
Invidia ac macies, Vnde hic honor? hic favor vnde,
Principibus ſæpe & delatus Regibus olim?
Nomine quid tanto dignum gerit, aut meruit quo?
Muſarum genus, & tantum cantare peritus,
Aut fortaſſe aliquid chartis mandare pedeſtre,
De rebus pridem jam geſtis atque ſepultis
Grajorum Latiiſque, aut quæ Iudæus Apella,
Chaldæuſque Syruſque alio molitur in orbe:
Denique de monitis æqui, ac virtutibus ipſis,
Quarum vſus periit cum nummis, quos vetus ætas
Signavit, pretiumque dedit, nunc vtile nuſquam.
His addant, cui cenſus abeſt, cui millia deſunt
Tot quadringentis (nam res hic vertitur omnis)
Nec jus, quo nil jam venalius eſt, & honeſtum,
Nec bellum patriæ, nec pacem vendidit hoſti.
Nec permingendam veſicam præbuit vlli
Conjugis, aut magno thalamum ſubmiſit amico.
Quæ fora perſonuit latratu? quis reus illo
Infelix cecidit ſub judice? quis tulit actor
Præmia nequitiæ, miſerum qui evertit ephebum?
Nec niſi ſpectandi ſtudio, mixtuſque popello,
Vt ludos alii circumſtant atque theatra,
Securus, totuſque ſuus circumambulat Hagam:
Cernat vt attonitos ſubito, ſubitoque cadentes
Spe dubia; quoties aliquis fruſtratur hiando,
Vt pullus ſturni vel hirundinis, augur honoris:

Aut

Aut quoties majorum aliquis de gente ſevera
Seſquicato ſenſim egreditur, vultumque clienti
Imputat, atque aures alii jam dividit: ille
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit,
Adveniente alio, quem pene intercipit alter.
Hæc vt prætereat nunc quiſque, ac cætera mittat,
Quis bona ſufficiet præſepibus? aut alet vnde (hoc &
Quadrupedem indomitum? qui quanto eſt acrior,
Ceſſabit minus, & dominum magis vret edendo.
Veſte alia, majore opus eſt tectoque focoque,
Stultitia majore: decet quæ ſola beatos
Temporibus noſtris, totaque à mente fuganda eſt
Acciſis tantum apta comes Sapientia rebus.
His ego, quod nuper reſpondit filius Albî,
Divitis & fatui; multum diverſus ab illo:
Eſt mihi dives opum pauciſque incognita mater,
Adriacis quæ cuncta procul diſpenſat in vndis:
Eſt pater invictus, Boream qui fulminat, & cui
Iam triplici cœleſte caput circundatur auro.
Hic tacite monet, & lepide cantillat ad aurem:
Obſonat? potat? mea ſunt quæ prodigit, ajo.
Paſcit equum? dabitur quod erit ſatis. adjice ſervum,
Vel geminos. & adhuc non ſunt, mihi crede, moleſta.
Nec metus eſt, ne mox ſubito ejiciatur, vt effrons
Milvius, aut quoties Romana effertur in vrbe
Purpurea de gente aliquis. ſtat protinus agmen
Plorantum, regemque alium, quo quemq; tulit ſors,
Quærentum: quos, vt piſces in littore nudo,
Deſtituunt epulæ, raptæque injuria cœnæ.
Atque aliquis dominam egrediens perſæpe culinam
Reſpicit, & veteres animo reminiſcitur offas.
Dîs bene ſit, qui ſecurum pauciſque beatum,
Et lætum tenui docuerunt vivere cenſu:
Nec, ſi quid melius dedit indulgentia ſortis,
Spernere, vel rebus tergum objectare ſecundis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hic vbi cornipedem nobis ſubducet, & aurum
Impoſitum cervici, & nobilitatis honorem;
Incedam quo more prius: quo ſæpe cohortes,
Cum fugiunt, & equum velocior abſtulit hoſtis.
Vt, te legato, nuper, cum Boïca virtus
Fracta fuit, retroque Hunnæ ceſſêre phalanges
Attonitæ, totque immemores conſcendere equorum
Terga, Palatinus pedibus ſervavit Apollo.
Dum manet hic animus, dum mens non deficit iſta,
Proſpectum ſat erit. Pedites ignoſcite tantum,
Gens inimica mihi: quos livor degener, & quos
Laus aliena vetat ſecuros ducere ſomnos.
Nil ego peccavi (niſi ſi, peccare, mereri eſt
Antiquum teſtemque ſuæ virtutis honorem,
Ambitione proculi; quæ nunc viliſſima quæque
Evehit, & turpi obſequio graſſatur vbique)
Exemptus numero tunicati & ſorte popelli.
Iudice quo? non Rege aliquo fortique tetrarcha,
Fors nunquam auditus, fors nunquam cognitus illi:
Nec genere ex illo, qui nunc naſcuntur vbique,
Dedecorum emptores, quos virtus ſegregat à ſe,
Veraque nobilitas, & pulchri nomen honoris:
Sed Patrum procerumque illo cenſente Senatu,
Quo nil nobilius, quo nil gravius, nihil vſquam
In terris ſolida ſic majeſtate refulget:
Præcipue feſtis vbi convenere diebus
Tercentum: quos Benacus, quos maxima Creta,
Creta, parens legum, Iovis incunabula Creta,
Illyris, & Corcyra potens, & Iapygis vrbes, (thos,
Atque Ithaco dominata Same, & nemoroſa Zacyn-
Et tot ſummiſſo venerantur poplite Reges.
Atque hæc ſufficiant nunc vobis. ſin male ſanæ
Invidiæ atque odio, nec finem ponitis iræ;
Mox fore nos plures video, longumque parari
Torquibus inſtructum poſt me & calcaribus agmen:
Cum

Cum turmis equitum pluet omnis Gallia, & omnis
Augebit numerum miſerata Britannia noſtrum.
Quod ſupereſt, neque nos inflatos ſæpe petitus
Reddet honos aliis, ſic ſponte oblatus & ultro,
Nec ridere alios ceſſabo, ſive pedeſter
Incedam, ſeu vectus equo: quos nocte dieque
Ambitio torquet miſeros, vt honoribus amplis
Anteeant tituliſque alios: aut pallidus vrit
Livor, & in lepidos armat veſania vates.
Quanquam oratorem, non vatem, aut cras perituri
Carminis artificem ſic me Reſpublica dixit.

CENTO VIRGILIANUS.

Ad amicum, qui, poſtquam ignarus cum ancilla, cui cum alii, tum Scholaſtici quidam ſatis familiares erant, congreſſus eſſet, præter expectationem prole ab ea eſt donatus.

* ILle ego, qui quondam gracili modulatus avena,
* Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
* Expediam dictis. † ſi quid mea carmina poſſunt,
* Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo
* Inſignem pietate virum † tot adire labores
Impulerit † Troiæ & patriæ communis Erinnys.
* Illum, non populi faſces † nec ferrea jura
* Aonas in montes † fatis egere volentem:
Egregiuſque animi † Lenæum libat honorem,
* Orpheus in ſylvis, inter delphinas Arion.
* Creſſa genus Pholöe † (longa eſt injuria, longæ
Ambages.) † non illa colo calathiſve Minervæ
Fœmineas aſſueta manus, † nova pectore verſat
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

* Sta-

* Stabant, orantes primi tranſmittere curſum,
* Connubiis arviſque novis operata juventus.
* Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.
* Tros Rutuluſve fuat, † nunc hos nunc accipit illos;
* Nuda genu. ‡ laxis laterum compagibus omnes,
* Deponunt animos, nil magnæ laudis egenteis.
* Quem telo primũ, quem poſtremum, aſpera virgo,
Dejicis? † incedunt victæ longo ordine gentes,
* Quam multa in ſylvis avium ſe millia condunt.
* Advênit qui veſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret, † juvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora († Dii talem terris avertite peſtem.)
* Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
* Se quoque principibus permiſtum agnovit Achivis.
* Olli ſerva datur, † Veneris juſtiſſima cura,
* Per tot ducta viros, † immani corpore priſtis,
* Tithoni prima quot abeſt ab origine Cæſar.
* Connubium vocat: hoc prætexit nomine culpam.
* Heu quid agat quo nunc reginam ambire furentem.
Audeat affatu? † quis fallere poſſit amamtem?
* Abnegat, & meliora Deos ſedet omina poſcens.
* Certum eſt, in ſylvis, inter ſpelæa ferarum,
Malle pati. † duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque furens quid fœmina poſſit.
* Ergo iter inceptum peragunt. † fortiſſimus heros
* Optatos dedit amplexus: ‡ quem candida Maja
* Voce vocat, † ſubitaque animum dulcedine movit.
* Fortunati ambo. † riſit pater optimus olli,
* Componens manibuſque manus atque oribus ora.
* Nec ſopor illud erat: potuit quæ plurima virtus
Eſſe, fuit. † feſſos quatit æger anhelitus artus.
* Nec mora nec requies. † illinc Germania bellum,
* Hinc pater Æneas, † vaſto certamine tendunt.
* Teutonico ſoliti ritu torquere catejas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

* Succedunt ſeruantq; vices. † amor omnibus idem
* Idem amor exitio eſt pecori, pecoriſque magiſtro.
* Heic noctem ludo ducunt, † & pocula læti.
* Indulgent vino & vertunt crateras ahenos.
* At Regina, gravi jamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis. † docuit poſt exitus ingens.
* Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit. † ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens,
* Poſtquam omnis longe comitum proceſſerat ordo
* Fit ſtrepitus tectis, † ferit aurea ſidera clamor.
* Ter revoluta thoro eſt. † non heic te carmine ficto
Atque per ambages & longa exorſa tenebo,
* Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
† Caſta fave Lucina, † tuis heic omnia plena
Muneribus. † quæ ſit rebus fortuna videtis.
* Inſonuêre cavæ gemitumque dedêre cavernæ.
* Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
* Iam nova progenies, † cui non riſêre parentes,
* (Haud ignota loquor) † cœlo demittitur alto.
* Dic mihi, Damœta, cujum pecus? ‡ ocyus omnes
Diffugimus viſu exangues. † it triſtis arator
Omnis, & agricola. † veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, tumidum quem bruma tegebat
* Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
* Cauſa latet: † preſſa eſt inſignis gloria facti.
* Obſtupuit viſu Æneas, longeque recuſat,
* Arrectæq; horrore comæ. † nec jam amplius haſt
Credere, nec telis occurrere virginis audet:
* Atque opere in medio defixa relinquit aratra,
* Sermonum memor, & promiſſi muneris, heros.
* Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.
* Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit?
* Nuſquam tuta fides. † tu poſt carecta latebas.
* Ne dubita, nam vera vides, † mirabile donum,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
* No

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

* Non equidem invideo, † nec tecum talia geſſi;
* Omnia tuta timens. † non omnia poſſumus omnes.
* Accipe, daque fidem, † duri ſolatia luctus,
* Ni refugis † pacem æternam pactoſque Hymenæos.
* Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno. (ſunt.
* Sparge marite nuces. † nihil heic niſi carmina de-
* Quicquid in arte mea poſſum, † mirabile dictu,
* Nulla dies vnquam memori vox eximet ævo.
* Nec te pœniteat pecoris, divine poëta. (ri?
* Omnia vincit amor. † quis enim modus adſit amo-
* Vnum illud tibi, nate Dea († ne temne, quod vltro)
* Prædicam, & repetens iterumq; iterumq; monebo:
* Turpis oves tentat ſcabies, † & ſæpe ſine vllis
Conjugiis † miſeros fallunt aconita legenteis:
* Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
* Heic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas. † alitur vitium vivitque tegendo.
* Signa tibi dicam: deſcendit corpore peſtis:
* Peſtis & ira Deûm, † morſu depaſcitur artus;
* Sacra Dionæ matri. † latet anguis in herba.
* Linquere pollutum hoſpitium † via prima ſalutis.
* Paſcitur in magna ſylva formoſa juvenca.
* Heic tibi certa domus, certi, ne abſiſte, Penates.
* Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?

DANIE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII

HERODES

INFANTICIDA.

Tragœdia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Zuylichemi Domino, Principi Auraſio à Conſiliis & Secretis.

DVM *majora inter mea quæro, quæ illuſtri tuo nomini inſcribam, forte in hoc drama incidi, quod aliquamdiu preſſi. Neque tu ignoras, quanti hoc ſcribendi genus fecerint antiqui: qui, nec ſapientiam nec eloquentiam majoris æſtimarunt, quam quæ, vt matronæ hodie, cothurno nixa, formam ſuam commendaret. In qua recte ornanda ac conſtituenda, totum prope ingenium divinus Ariſtoteles intendit. Velis nolis, onus ipſe impoſuiſti tibi, quod ferendum erit; cum exiſtimationis tuæ atque æternitatis primæ tyrocinium, Poëmatum tuorum dedicatione nobis commiſiſti. amico, vt antiquo, ita, quod hic primum arbitror, paterno. Viri, qui benevolentia inuſitata, quicquid ipſe aut eſſet, aut ab alio ſperaret, prolixiſſime in te con-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

te contulit. Inprimis, diſciplinas ac virtutem. vt hoc commeatu tutior, in aula ac Republica illuſtrem tibi locum vindicares. Me hic animus, erectus, ſimplex, candidus, ad ſummum vſque diem comitabitur: ambitionis vt contemptor, ita qui in vita moribuſque, nihil excuſandum hactenus admiſit: in cæteris, eorum admirator, qui, more antiquorum ſcribunt, ac ne illis quidem omnia condonant. Quod judicium exactæ mentes ſibi ſervant. non vt tanto ante genitos arrodant, ſed vt ſic proficiant, aut alios ad maxima invitent. Cætera, vt paucis ſemper data, ita obtrectatione ac invidia non carent. quam ſi merui, quod voto majus eſt, ne deprecari quidem poſſum. Nam ſi ideo poſtremi hominum exiſtimandi ſunt, qui ſerius naſcuntur, ne Naturam quidem abſolvendam reor. quam, novercam non meruimus, & tamen experimur. Non enim factionum hujus ſæculi malignitate, ſed ingenii ardore ac ſummorum æmulatione, ſua cuique exiſtimatio ac fama apud poſteros tuenda. Fatum autem ac ſtipendium virtutis, obtrectationem diſſimilium, qui animo demiſſo aut abjecto ferant, nec ſententia nec mente conſtant. Non profecto magis, quam qui vmbram propriam gravantur, cum in Sole incedant. Vale.

ARGU-

ARGUMENTUM.

HErodes Aſcalonita, Antipatri filius, Idumæus, templi reſtitutor, Rex immanis, omnium pro tempore Deorum, Romanorum quoq; quibus fœde inſerviebat, ac Græcorum, ſimulatus, nec vllius, multo autem minus veri, verus cultor, ex Iudæo conflatus ac pagano, poſt ſublatum Ariſtobulum, vxoris fratrem, ſummum ſacerdotem, ſenem Hyrcanum, ejuſdem auum, Alexandram, ejus matrem, hanc ante, ipſam quoq; ex ſuſpicione Mariamnem conjugem, quam impotenter poſt obitum deſideravit, ipſum denique Alexandrum atque Ariſtobulum, Mariamne genitos; impietati ſuæ derelictus, vno ſcelere ſuperiora exceſſit. Nato Dei Filio, orbis Servatore, cujus natalem locumque ſydus conſpectum Magis nunciarat, cum è terris ſuis, pueri videndi gratia exciti, inſcio tyranno, moniti in ſomno, rediiſſent, atque is naſciturum Bethlehemi Regem dicisſet; in oppido atque agro bimulos mactari juſſit. Filium è tribu Iuda natum, cum ſororis Salomes marito, ex eadem nato, poſtremas immaniſſimi furoris victimas adjecit. Drama, rectum eſt, non involutum, ſive πεπλεγμένον. quale vnum tantum è Latinis omnibus nunc extat. In quo tamen περιπέτειαι nonnullæ, quæ non extra argumentum, & ab arte, petendæ ſunt.

PERSONÆ.

ANGELVS, προλογίζων.

IOSEPHVS.

MAGI TRES.

ANGELI plures.

HERODES.

LEGATI.

MARIAMNE, vxor Herodis.

TISIPHONE, cæteris Furiis comitata.

ANNA, Prophetis.

SATELLITES.

SENEX.

MATRES BETHLEHEMITICAE.

NVNCIVS.

MATRES HIEROSOLYMITANAE.

CHORI duo primi, Vatum ac Piorum, tertius Senum Hebræorum, quartus Militum Romanorum.

ACTVS

ACTUS PRIMUS.

ANGELVS.

HIc Betlehemi tecta ſurgentis jacent,
Parvæque turres; aula naſcentis Dei
Et prima nutrix. hic Idumææ ſoror,
Miraculorum mater & regum parens.
Iudæa tellus, claudit extremum latus.
Vbi ſceptra quondam Rex Ieſſæus tulit,
Victaſque gentes traxit, & belli-potens
Diu vacantem voce diſtinxit chelyn.
Hic Goliathus, ſtirpe Titanum editus,
Solum cruentus ſtravit, imbelli manu,
Victique in vno mille ceſſerunt viri.
Illic Orebi prima diſcedunt juga,
Telluſque ſurgit, carminis ſacri memor:
Cum rector orbis jura dictavit ſuæ
Bis quinque genti: ſolaque adventum Dei
Teſtata, ſacram flamma diſtinxit viam.
Huc ipſe quondam legifer venit Deus;
Nomen pavendum, nec ſatis notum ſuis:
Quod lingua trepidat victa, mens horret loqui.
Quem fulgurum vis denſa, quem cœli tuba,
Immane tonitru cinxit, ac viſu abſtulit,
Et intuendum ſola majeſtas dedit.
At illa, duris mancipata è vinculis
Phari ſuperbæ, patrium flexit Deum,

Araſque multus rite perfudit cruor.
Mox vindicata, vota damnavit ſua,
Fecitque Divos: dumque partitur ſcelus,
Mens à parente tota deflexit ſuo.
Qualis puellæ virginis primus pudor,
Quam lege thalami caſta devinxit parens
Lachrymiſque multis: illa, tædarum memor,
Purum cubile ſervat, & legem thori,
Parvoſque natos, conjugis votum ſui
Suumque, fida nutrit, ac neſcit nefas:
Mox, ſi proteruus incidit menti furor,
Amare primum ſponte dediſcit virum;
Tandem ardet alium tota, nec meminit ſui.
,, Inuſitato crimini fecit viam
,, Incertus error fœdaque ignorantia:
,, Diuque, multos inter & nullos Deos,
,, Stetere gentes. Vicit errorem metus,
,, Mortaliumque mentibus fallax malum,
,, Horror Deorum. prona ſucceſſit fides,
,, Audaxque quidvis tollere in cœlum furor.
Tum templa & aræ. quemque, non ingens humus,
Non picta cœli tecta, non clauſit mare,
Traxere in ædem, docta quam ſtruxit manus,
Fraudiſque mater ars, & humanus labor.
Nec ſat furori eſt. quiſque diviſit ſuos,
Et ſacra mille, mille diſtinxit modos.
Pars flammeum Titanis immenſi caput,
Pars aſtra mundo lapſa diverſo colit.
Illinc Gehinnæ vallis, & dirum nefas,
Quod Caucaſi pruina, quod Taurus ferox
Totaque trepidus mente refugiat Scythes:
Fremitus cruentos inter, & triſtes modos,
Stat execrandi conſcius ſacri pater,
Natumque lætus ſpectat, & torret, ſuum.
Hinc piſce Dagon junctus, hinc, duplex genus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Immanis Aſterotha, & infamis Peor,
Et numen omne Belus, & Sors, omnium:
Seu Gada, ſeu qua voce Sol ortus colit
Septem vagantes additos vitæ Duces.
Hinc gens Canobi, prima fallaces ſibi
Mentita Divos, Iſidis luctum ſuæ
Et non repertum queſtibus fratrem ſonat,
Siſtrumque tollit. illa, latrantes Deos,
Et mugientes, mente percuſſa vocat.
Illic opertos Atthis inducit choros,
Sacraſque Eleuſis jactat in flammam faces:
Fideſque ſceleri majus accedit ſcelus,
Furor tacendi. celſa Parnaſſi juga,
Deno dicata numini, totidem colunt,
Vno relicto. quaque Parnaſſi comes,
Alto Cithæron verticem miſcet polo,
Terramque pingui findit Iſmenos vado,
Evan vagatur. ſemivir Panum chorus,
Et inſolentem Mænades cingunt Deum:
Rotantque in auras deviæ crinem nurus.
Et nox pudori, crimini obtentus furor,
Impune mentem laxat, & ſuadet nefas.
At qua triforme Doris admittit ſalum,
Qua fabuloſum terra Typhœum tegit,
Supraque magnos Ætna flammarum globos
Diu negata volvit in cœlum via,
Tentata Diti ſemita incuſſit metum,
Et rupta tellus. Sacra palantis Deæ
Tædaſque matris Enna dotalis colit:
Semperque natum quærit, & ſemper gemit.
Nihil relictum eſt. ebrios laudant Deos;
Etiam furentes. omne per pronum it nefas.
Quodcunque lex coërcet aut damnat pudor,
Virtus Deorum eſt. Perfidi fulmen tenent
Adulterique. ſive ſub pluma latet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sive in juvenco mugit infelix pater,
Fluſitue in auro: ſive ſub ſexu latet,
Virumque amator ponit, & mutat Deum.
Quod quiſque peccat, Graja gens cœlo dedit,
Colitque in aris. Roma ſuſcepit nefas
Miſitque in omnes: velaque errori ſuo
Pedemque laxat. Qua triumphatas videt
Sol ire gentes, & Quiriti limitem
Simulque terris figit extremum mare,
Aræ ſequuntur, templaque, & magni Dei
Gentis Latinæ. Sacra victoris ſui,
Simulque habenas, Barbarus diſcit puer.
Qua ſcrudus Iſter claudit errantes viros,
Cultorque Mithræ Tigris, & fluctu minor
Inobſequentes volvit Euphrates aquas,
Pontiſque Araxes immemor, terram premit;
Vbique Roma eſt. illa, quos fecit Deos,
Indixit orbi. Iupiter cœlum tenet,
Neptunus undas, tertiam frater domum.
Nihil relictum eſt. cuncta diviſit furor.
Terram, polumque, tergaque immenſi maris
Alter creavit rector, atque alter tenet.
Quem priſca lex fatetur & ſolum docet
Iudæax, damnat. cui per aras victimæ
Cecidere toties, tot boum fibræ litant,
Cultus ſuperbos tot ſacerdos induit,
Vterque cui conſulta reſpondit lapis,
Nunc veritatis obrutus ſilentio ,
Egenus, inconſultus, ignotus jacet.
Tellus parentem tota ſecluſit ſuum,
Negatque latebras. parva naſcentem domus,
Nec tota, cepit, jacuit in lucem datus,
Totoque major orbe vagivit puer
Inter juvencos. Ipſa paupertas ſuum
Celare regem poterat, & corpus Deum.

Non-

Nondum latemus. prodit infantem polus,
Nec ante natum ſydus, ingenti face
Parvum cubile luſtrat, ac monſtrat larem:
Ducitque gentes, prima quas Phœbi coma
Perfundit auro, læta cum ſurgit dies:
Suoque cœlo credit adventum Dei
Mirata Perſis. major acceſſit fides;
Natum tyrannus credit, & lethum parat.
Nec ſic abibit ſæuns ac vecors furor.
Timete matres. veſter hoc pendit cruor
Sentitque venter. noſter in tuto eſt metus.
Iungantur iræ. mille concurrant licet
Surgantque reges, vſque ab Eoo mari,
Suumque nobis Roma bellatrix neget,
Quem frænat orbem. nulla pars mundi vacet;
Succurret æther. fulmen in partes trahet,
Tonitruque vires addet infanti ſuas
Ruptæque nubes. Parva quin etiam loquor,
Nec digna nobis. ipſe ſuccurret Pater,
Vnumque terræ ſolvet, aut franget, latus:
Fractoque mundo, totius mundi ſimul
Frangentur artes, & tyrannorum minæ.
Aut, ſi latendum eſt, Phœbus obducet diem,
Totaque nocte pignus involuet ſuum
Priſcumque rebus genitor inducet chaos.
Non ſic eundum eſt. parva ſuccurret via,
Puerumquê condet. Memphis ereptum feret,
Fidumque matri pandet Ægyptus ſinum.

CHORUS

Vatum & Piorum.

Nile, fœcundi Meroes beatæ
Terminus regni, genitorque terræ,

Cujus arentes melius maritas
Imbribus campos, aliuſque & idem
Semper haud vni veniens colore:
Sive, cum ſeptemgeminus profundo
Immines ponto, totieſque lympham
Dividis, ſolo dubius colore;
Sive, qua nulli bene viſus vnquam,
Inter extremos Libyæ receſſus,
Abditus terris, veniente Phœbo,
Tutus occurris: nec adhuc repertos
Vlla gens orbi reſeravit ortus.
Invident omnes. tibi ſat latere eſt:
Ne tuos quiſquam, ſibi vindicando,
Polluat fontes. meliuſque mundi
Diceris flumen. Dominum fatetur
Memphis, & totas veneratur vndas,
Prona currenti: recipitque feſſum,
Et tuos ripa reficit labores.
Talis abruptis Cataracta vinclis
Fregit inſtantem, quoties ſuperbo
Invidet curſu. trepidans teneri
Surgit, &, montes imitata, cœlum
Verberat vnda.
Intonant ripæ: pavidus tueri
Diffugit paſtor. Melior ſed idem
Tangis Ægyptum, pluviæque, genti,
Et ſuperfuſis imitator vndis
Ætheris magni, ſteriles liquore
Diluis terras; licet omne nubes
Neſciat cœlum, licet imbre nullo
Tota damnetur regio, nec vdis
Serviat Auſtris:
Largior campis, neque ditis vndæ
Parcus, Ægypto venias precamur.
Sentiant glebæ, neque ſicca tellus

Imbui pugnet, variiſque vincat
Floribus annum.
Rex, pavor Regum, comitique nato
Sub tuos Virgo comes it lacertos.
Cedat infelix, mala qui fatetur
Iſidis raptæ, patriumque turba
Plangit Oſirin.
Iam, ſui monſtrum populi Deuſque,
Deſerat ſacras crocodilus vndas:
Colla libratæ melius ſecuri
Præbeat Apis.
Ille, dum motæ furit Aſcalonæ
Atra tempeſtas, & Idumus horror,
Pinus incertis vt adacta ventis,
Et procul portu trepidans relicto,
Fertur huc illuc. Quibus ah quibuſque
Sedibus, ſævuum fugies cruorem,
Et feros auſus? truculentus imber
Colligit nubes, & adhuc minatur.
Nox ruit terris. Abeas licebit,
Sive te Protei Pharos, & Canobus
Abdet errantem, meliorve Memphis,
Sive, quæ magni Macetæ ſuperba
Voce, poſt terras pelago ſubactas,
Inclytas turres populo Quiriti
Et triumphandam patefecit aulam,
Sive qua Cancri medio ſub æſtu
Gentibus nullæ comitantur vmbræ,
Nota montoſæ regio Syenæ,
Sive deſertæ Catabathmos oræ,
Sive, qua Phœbo reſonant propinquo
Memnonis chordæ, celebratque portis
Gens Iovis centum ſpatioſa latæ
Mœnia Thebæ;
I procul, terra patriæ relicta;

Spes & oppreſſo rediturus orbi
Dulce lenimen, nec inhoſpitali
Præda tyranno.

ACTUS SECUNDUS.

IOSEPHUS.

COEli propago, debitum mundo genus,
Sed ante mundum, cujus adventu fidem
Oraculorum magnus abſolvit pater,
Centumque vates, priſca quos ætas dedit,
Hos in Penates, tectaque anguſto ſpecu
Habitata venit; gentis antiquæ memor,
Pactique veteris, nulla quod ſolvet dies:
Totumque Olympum parva ſuſcepit domus.
Vidi, ipſe vidi: mane vix primum novo
Noctem fugarat nuncius Phœbi dies;
Cum ſubito, ab alto lapſa tempeſtas polo,
Invſitato cuncta fulgore induit.
Dum gelida torpent membra, dum ſanguis coit,
Vultumque tacitus figit in terram pavor;
Allapſa tectis, hinc & hinc, fulſit cohors,
Partita turmis. qualis in campo ſtetit,
Evulſa primum ſigna cum poſcunt manus,
Aut caſtra reges dubia ſolliciti movent.
Adhuc ſtupemus. vota conſumpſit ſua
Nondumque credit miſera paupertas ſibi,
Et hæc ſenectus. Sæpe vox perdit viam:
Solæque lachrymæ mente perculſa fluunt.
Sedet, parentem prima quæ peperit ſuum,
Spectatque natum pavida & autorem parens
Orbis ſuumque. vixque adhuc credit ſibi,
Cum credat vni. ſpectat attonita, ac pavet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Oculoſque nunc huc trepida, nunc illuc, jacit.
Interque matrem, virginemque, hærent adhuc
Suſpenſa mentis gaudia, & caſtus pudor.
Videt micantes igne cœleſti genas,
Suique ſimiles. quale, cum doctæ manus
Oſtro recenti candidum illudunt ebur:
Aut qualis, ante tota quam ſurgit dies,
Rubore cœlum prævio Aurora imbuit,
Primamque puræ purpuram nubes trahunt.
Videt ſerenæ frontis inſuetum jubar,
Majuſque terris. Ille, complexum petens,
Et è pudico dulce ſubridens ſinu,
Matrem fatetur. Illa, non nollet quidem,
Et, eſſe, ſentit. caſta ſed pietas tenet,
Totieſque mentem ſancta virginitas ſubit,
Quoties amori vela permiſit ſuo,
Natumque cernit. Sæpe, cum blandas puer
Aut à ſopore languidas jactat manus,
Teneriſque labris pectus intactum petit;
Virginea ſubitus ora perfundit rubor,
Laudemque matris, virginis crimen putat.
Quid, caſta, trepidas? indue affectus tuos,
Totoque natum collige amplexu, parens,
Sed nupta cœlo: mater vnius Dei,
Et caſta virgo, caſtior mater tamen.
Non te lubido fœda, quæ mentem rapit,
Amorque demens igne transfixit jecur:
Non cultus auri, prædaque Eoi maris,
Regale formæ gemma corrupit decus,
Quæ cura primam ſemper ætatem tenet:
Sed ſanctus ardor, quæque deſpectas negat
Exoſa terras, corporis legem ſequi,
Mentem voluptas vna paſcebat tuam,
Magnique vates: quos Iordanis vada
Videre quondam numinis plenum ſtui

Tonare carmen, & triumphales modos
Lætoſque terris. qualis extremam Styga
Venturus olim frangeret genti puer,
Ingens, tremendus: plena quam cœlo daret
Cœli potentem, mater immunis tori.
Sed ante cunctos, ſanguinis noſtri parens
Autorque generis, parva quem Bethle tulit,
Bethle, juvencis apta paſcendis humus,
Pecorumque nutrix, grata nunc cœlo domus,
Seu, cum paternos inter erraret greges,
Vixdum juventæ flore perfuſus genas,
Seu, cum, ſupremo dedicatam numini,
Rector potenti flecteret terram manu,
Et invidendo regibus victor comam
Velaret auro, fata quod jungunt polo,
Et natus infans; Regis adventum ſui
Spondebat orbi, Regis afflatu ſui.
Hæc mente tacita ſæpe volventem prius
Fixamque in vno, ſancta paſcebat quies.
Quam, non Lyæi dona, non mitis Ceres,
Altuſque tota nocte deleuit ſopor,
Non ſpes diurnæ: cuncta quin conſtans ſibi, ac
Præſens futuris ante verſaret fides.
Ignara tantum, fata quam cœli legant,
Cui hoc Olympi rector addicat decus.
Ignara: donec, ſponſa, mox conjux poli,
Quæ caſtitate virgines vicit, nurus,
Et prole matres, gentibus patrem ſuis,
Orbi ſalutem, regibus regem dedit;
Fœcunda toties vnico fœtu parens.
Videre partum conſciæ cœli faces,
Non ante natæ. perdidit noctem jubar,
Et abſque Phœbo noſter illuxit dies.
Videre gentes, littore Eoo procul
Quos claudit orbis, Solis exortum ſui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vnumque tellus tota conſpexit larem.
Beata, caſto collige infantem ſinu,
Dei tuumque. collige infantem, parens,
Quem ſentit æther, pallidæ gentes pavent,
Et vagientem regna terrarum tremunt.
Quis gemitus aures pepulit infelix meas?
Rurſum vocamur. Credimus, rerum parens,
Et ominoſa ſufficit noctis fides.

MAGI TRES,

PRIMVS, SECVNDVS, TERTIVS.

PRIM. O vita fallax, fronte quam non aſpera,
Tot officinam cladium pectus tegis!
Aſpicere natum voluit, vt letho daret.
,, SEC. Non tot receſſus abditos æther habet,
,, Non inferi, non terra, non totum mare,
,, Quot aula, quam deſerta vis recti fugit,
,, Impervia aliis ſemper eſt, ſemper ſuis.
,, Vt vnda dubia volvit implicitas aquas,
,, Pedemque fallit ſecta in ambiguum via,
,, Sic, abrogato ſimplici vero ac fide,
,, Ars ludit artem, fraude decipitur dolus:
,, Primumque vetus eſt, ſi quid exoritur novum.
,, Quid? quod tyranno ſemper accedit comes
,, Obtector animus mentis, atque in ſe latens:
,, Quantoque dirus ac magis cædi imminet,
,, Hoc magis opertus mille in anfractus abit.
,, Sic oſſa volucres tecta nocturnæ legunt,
,, Et in ſepulchris fœda deſævit fames.
,, Excelſus, atque erectus, ac fidens ſibi,
,, In publicum diffuſus, vt cœlum, patet,
,, Gaudetque retegi. Quantus Heroden fuit

Erue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Eruere latebris numini æterno labor;
Quem, non iners caligo, non nox abdita,
Non pectorum profunda, non manes latent!
TERT. Adſtat ſuperbus, bella qui cœlo gerat,
Qui fata ſiſtat, aſtra qui retro trahat,
Et deſtinata ſceptra. par dignum Deo!
Quem ſævientem, dira miſcentem ac minas,
Regum imperator flectit è cunis puer.
PRIM. Repetere patriæ tecta, poſt viſum larem,
Cui totus æther jura ſubmittit ſua,
Divinus acta nocte dictavit ſopor.
Vt fraudis autor, arte deceptus cadat,
Suique precium ſceleris, eluſus, ferat.
SEC. Iuvat inter aſtra mente congeſta vehi,
Cædeſque & iras fugere, & humanum nefas.
TERT. Sed ecce Regem cœlitum monſtrat cohors:
Victumque ſomno mulcet, ac volvit manu.

ANGELI,

In ſuperiori theatri parte cunas Domini ducunt, ac ſubinde monſtrant.

FVlgor immenſi parentis, lucis immenſum jubar,
Obſes ætheris ſolique, pignus æternum Dei,
Cujus adventu ſubacta jus remittunt Tartara,
Et vafer minora ſerpens regna miratur ſua,
Qui reos vix expiando ſubdidit lethi jugo,
Quo jubente, nox receſſit, & tenebroſum chaos,
Quo jubente, natus orbis, nata rerum exordia,
Aridamque belluoſus ambiit terram latex,
Qui poli ſuſpendit orbes ætheris magni faber;
Languidum, jubente ſomno, ſponte ſubmittit caput,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et genis cuſtodientis cuncta, ſubrepit ſopor.
Cœlitum pulchri Quirites, Regis æterni cohors,
Syderum diſtincta flammis qui tuemur limina,
Hinc & hinc cunas jacentis ducimus, ſomno dati.
Ecce tellus, ecce cœlum, ſoſpitatorem Deum:
Quo jubente flamma ſacrum Moſei tinxit pedem,
Nec virum repreſſa læſit, vimque ſubmiſit ſuam.
Ecce, cui tribunal ignis jura dictanti dedit,
Quo vehente per ſuprema nubium, tellus tremit,
Sedibuſque evulſa ab imis vaſta ſubſidunt juga,
Ecce, ſæculorum origo, temporum fons, ſe prior,
Agminum terræ polique ductor, armorum parens.
Ecce qui pacem reducit, ecce, qui caducifer
Fœderis magni ſacerdos, lapſa conjungit Deo;
Natus infans, lac puellæ ducit, ac ſerpit ſinu,
Et fuga, regnator orbis, munus orditur ſuum.

CHORUS

Vatum & Piorum, vt ante.

BEthlemi veteres exigui lares,
Et tantum gregibus nota mapalia,
Quis tantus ſuperum reſpiciat favor,
Ignorant dubii, ſolliciti rogant,
Quos Iudæa tenent oppida, quos ſolum,
Clari progenies & genus Iſaci.
Cedit Roma tuis tota Penatibus,
Terrarum dominis nota Quiritibus.
Stet Tarpeja licet, culmine nobilis,
Mundi quæ pavidos arx premit impetus,
Tercentum ſpoliis inclyta gentium,
Certent attonito templa licet polo,
Captiviſque opibus, quas tulit Occidens,

Aut primo veniens Phœbus ab æthere,
Aut Seres patrio vellere divites,
Aut deviƈtus Arabs, aut celebris fuga,
Et verſa melior Parthus arundine,
Stet Cæſar domito dives ab æquore,
Et curru populos veƈtus eburneo,
Terræ conſpiciat totius ac ſuos;
Ignoti ſuperant. cedite, cedite,
Hebræis ſoboles orta parentibus,
Invitis ſolium regibus occupat.
Quis tam ſollicito naſcitur æthere,
Quem cœlum loquitur? cui, male conſciis
Antiquis præiit ſyderibus, novum,
Monſtravitque viam gentibus ultimis?
Exorto, pavidi conſtiterunt Magi,
Et Mithram veterem dedidicit ſequi
Gens edoƈta polum: cum medio die
Noƈturnum micuit, nec cecidit, jubar.
Ceſsêre excubiæ pervigiles poli,
Et quæ caſtra ſuis ſigna tenent locis.
Mutato rediit nomine Lucifer,
Et dici voluit, ne foret Heſperus.
Quin Phœbe, dubiis quæ vehitur rotis,
Tantum non proprio lumine diſcolor,
Plenis tota licet fulſerit ignibus,
Fraternis abiit viƈta caloribus,
Et fratri ſolitas exhibuit vices.
Titan, ſyderea purpureus coma,
Armatum radiis exeruit caput,
Et ſecum vacuo vidit in æthere
Sydus ſtare novum. vidit, & horruit,
Ac pene attonitum deſtituit diem.
At vos niveæ comites Lunæ,
Auro cœlum ſpargere natæ,
Nigræ ſoboles ignea noƈtis,

Quæ fœcundum volvitis annum,
Spatiiſque æquas volvitis horas,
Et modo, multo
Flore comantem ſpargitis herbam,
Et progeniem veris amœni
Ferrugineum violæ crinem,
Tempeſtivo ſpargitis imbre,
Modo torpentem glacie multa
Siſtitis undam; cedite cunctæ,
Et jam victos pergite cœlo
Condere vultus. aliud media
Luce vagari
Palluit æther; tanto veſtris
Clarius vnum, quanto Regum
Maximus ille, qui ſubjecto
Natus in orbe
Toto major naſcitur orbe.
Eventura patent. jam rapimur polo,
Et quicquid tegitur, mens videt ignea.
Non ille Auſonia ſpicula dextera,
Nec peilum valido diriget impetu,
Aut vaſtis quatiens templa molaribus,
Murorum tumidas desjiciet minas:
Aut qualis, populis cognitus omnibus,
Et nuper Solymis cognitus arcibus,
Obſeſſis aries imminet vrbibus,
Aut balliſta, ferox ſpargere cuſpides,
Et centum veniens exitium viris,
Aut non innocuo vulnere ſcorpio;
Lentus viperea ſeu perimit nece,
Seu contorta rotat pondera vi gravi,
Et turres ſubito rumpit aheneas:
Sed raucum tonitru, cum lubet, & minax
Torquebit patrio fulmen ab æthere.
Stat lentus tumidi ſpiritus Africi,

Et tor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et torvus Boreas, ſtat domino Nothus:
Quo percuſſa maris terga ſatellite,
Et raptas pelago disjiciet rates:
Aut tranquilla reget ſyderibus freta;
Feſſis blanda ferens ocia navitis.
Reges, ſollicitum perpetuo genus,
Et regno pavidum, ſed cupidum tamen;
Nunc ſpes ſaltem avidas ponite, nunc metus.
Non terræ, imperii finibus additæ,
Quantas nox operit, vel retegit dies,
Non gentes domitæ, pompaque nobilis,
Et protrita ducum turba minacium,
Regnum dat miſeris, regibus eripit.
,, Regum ſolus erit maximus omnium,
,, Quiſquis Rege minor (nec fieri negat)
,, Hebræo timidas ſubjiciet manus.

ACTUS TERTIUS.

HERODES, LEGATI,

ad inquirendum de puero miſſi.

Ex quo ſuperba ſceptra geſtavi manu,
Parêre didici. nulla pars regni, malo,
Metuque dubio, nulla pars curis vacat,
Labore nulla. quodque dominanti, jugum,
Et ſervitutem cuncta ſubigenti reor,
Poſt ſanguinem ferrumque, poſt ipſum ſcelus
Et odia pene exhauſta, metuendi omnibus,
Nondum timemur. Fœminæ imbellis vicem
Regum tyrannos tulimus, & Romæ minas.
Succeſſit Oriens. Somnia, & cœli faces
Repente viſæ, quicquid & delira mens
Perſuadet, aut ſollicita de Superis timet,

Pertæſa longum ſub peregrino jugum,
Regem minantur: cujus imperio dies
Ventura nullum, nulla gens ponat modum:
Qui ſceptrum Olympo terminet, famam mari.
Ea cura Superis reſtat, is verſat labor:
Arcana quorum ſola gens Iudæ capit,
Aut ſola neſcit: fata quæ ponit ſuis
,, Divos tuetur plebs, & acceptos colit
,, Arte imperantis. qui, niſi immodicam premit,
,, Intraque metas lege præſcripta tenet,
,, Quod quiſque mallet aut pavet, numen vocat,
,, Et imperantes arte ſubvertit ſua.
Submittat animos Roma, terrarum potens,
Et faſcibus ſuperba: det Cæſar manus,
Aſtriſque noſtris cedat, ac mundum exuat,
Si regna cœlum parturit, regna eripit.
Mercede nulla ſceptra deponi placet,
Auctore nullo: nec jubenti paream.
Sint fata, ſint conſulta, ſint cœli minæ.
Non, ſi ipſe gentis autor, ac ſpes ſanguinis
Semper futuri, tota cui ſtirps incubat,
Quantus Giganti cum Palæſtino caput
Avulſit, adſtet, lege perrupta inferûm,
Regnumque poſcat jure, poſcenti annuam.
,, Obnoxium eſt regnare, ſi ſtellæ licet
,, Auferre, quicquid ratio vel virtus dedit;
,, Et ſyderum ſub jure, majeſtas jacet.
Quid fata poſſint, noſtra quid poſſit manus,
Docenda gens, ignava, rumorum anxia,
Et plebs, ſoluta legibus, lex Principum.
Securus ortu regnet à primo puer,
Gades ſiniſtra, dextera Gangen premat,
Si effugere regna noſtra, ſi vires poteſt.
Nunquam animum inertem gerimus, aut ſorti damus
Tergum imminenti, ſi quis increpuit metus.

,, Tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

,,Tranquilla pavidos ſceptra , magnanimos decent
,,Afflicta. vires mens ab adverſis capit,
,,Languet ſecundis. Sæva, prædura, aſpera
,,Armant feroces fata: cedentes premunt.
Non ſi inter aſtra, quæ futurum nunciant,
Vbi celſus Atlas ætheris librat domos,
Nidoſque rector alitum implumes fovet,
Cunas reponat, tolli & elabi ſinam.
Vbicunque tegitur , eruam , evulſum traham,
Avidamque cæde nobili aſpergam manum.
LEG. Solymæ ſuperbæ Dux , Idumæum genus ,
Cui templa, jam collapſa, cui ſedes datum
Reficere & aras, veteris arcanum Dei;
Quemcunque tulimus, cecidit in vanum, labor.
Prærupta, devia, invia, emenſi ſumus.
Vt cum latentem, cœca per veſtigia
Venator indefeſſus explorat feram,
Notiſque inhæret ac favet, ſi quas videt:
Dum dubius error, luce conſumpta, patet,
Speique prædæ vacuus, & prædæ , redit.
Seu patriæ clam tecta , & antiquos lares
Petiere, ſeu clam, Rege decepto, latent;
Excidimus. aura dubia rumoris vagi,
Rediiſſe memorat, nec ſtruit dictis fidem.
HER. Viſone puero, patrium repetunt ſolum,
An non reperto ? natus imperio puer,
Quis? vnde? quo parente?qua ſpe, qua domo,
Poſſeſſa domino regna rapturus venit?
Quæ noſſe, primum muneris veſtri fuit.
,, Mandare, Regum eſt. juſſa mandantis ſequi
,, Primum eſt: ſecundum, rite mandata exſequi.
,, Plus, quod miniſtro ſponte præſcribit fides.
,, Parere minumum eſt. latius, cum Rex jubet,
,, Regis jubentis mens & utilitas patet.
LEG. Seu priſca Babylon nobiles edit viros,

Pictum

Pictum figuris docta quæ cœlum legit,
Et fata condit, ſive Perſarum inclyti,
Prope geniti inter aſtra, venerunt Magi,
Seu terra fluviis media naſcentes tulit;
Sua quiſque loquitur: quiſque venturum videt,
Fovetque Regem. ſtudia magnates trahunt
Huc dubia & illuc: plebis inſanæ furor
Sequitur præitque. Conſcii vatum, pavent,
Et obſoletis incubant oraculis,
Chartiſque inerrant, quas ſiniſtrorſum legunt.
Quiſque invenit, quod ſperet, aut credat ſibi.
Tellus duobus cincta fluminibus jacet.
Hinc Tigris, hinc fœcundus Euphratæ liquor
Secludit aditus, verque perpetuum loco
Indicit. aura mitis ac Zephyrus pater
Semper recenti flore diſtinguit ſolum,
Sacroſque lucos perflat, atque herbas parit.
Pars monte ſenſim aſſurgit, & cœli viam
Indulget, exhibetque præſentes Deos:
Quos aræ & ignes ſemper accenſi vocant.
Hic Bileamus, Iſaci gentilibus
Dira imprecari juſſus, afflatu novo
Novoque raptus numine, excuſſit ſuum.
Hic (horret animus ſcæva, nec fanda, eloqui)
Albeſcere omnem vidit ex imo polum,
Novumque naſci ſydus, illuſtre, inclytum,
Seris Iacobi deſtinatum poſteris:
Tremendum Edomo, quique præfractus gerit
Sceptrum Moabus. hunc Idumæis dari
Finem tyrannis, hunc peregrinis metum.
Id, Rege nato, gentibus ſignum dari,
Claro, ſuperbo: regna qui flectat manu,
Qui mille regum ſpolia captorum trahat,
Et liberali vindicet cauſa, jugo
Quos impotenti ſervitus preſſos tenet.

Hic

Hic turba mentes mota ſollicitas habet,
Dominoſque jam pertæſa præſentes ſequi,
Cælo futuros poſcit, & mutat fidem.
Vt cum ſerenum, Tethyos primum ſuæ
Perfuſus vnda, Lucifer tollit caput,
Noctemque claudit; quiſque venturum videt,
Aut jam videt veniſſe, dum dubitat, diem:
Sic quiſque, nato ſydere, haud nato prius,
,, Prædicta volvit. dulce libertas bonum,
,, Majuſque cum ſperatur, attonitos agit,
Et varius error, quem ſuperſtitio trahit:
,, Regniſque dubiis efficax ſemper malum,
,, Pietatis vmbra. Plus ſacerdotes nocent.
Hinc gens Sadoci pervicax, hinc legibus
Armata, leges Phariſæus deſtruit;
,, Intentus aulæ. Cum profeſſum puniat
,, Rex ambitum, velatus, ac ſimplex, nocet.
,, Severitas, ac vita, quæ vultu tegit
,, Arcana, vultu regnat, ac plebem trahit.
,, Diverſa Superi jura cum terris habent:
,, Permiſta, miſcent regna, vel frænum exuunt
,, Vulgo inſolenti. Tolle regnanti metum,
,, Autoritate nixa majeſtas perit,
,, Quam lex tuetur, pœna nutantem tenet.
Veſana populos vota turbantes agunt.
Sub rege regnum quæritur. nuſquam eſt novum,
Et jam probatur. res in ambiguo labat.
HER. Quicunque rector, quicquid ubicunq; eſt tenes,
Seu te vetuſta Solyma porticibus colunt,
Bobuſque & aris, ſive, quod circum patet,
Sublime, candens, ætheris magni ſolum,
Partes viceſque numinis ſummi tenet,
Seu numen hic mentimur, & cœlum tenes,
Tarpeje genitor, orte Saturno patre,
Qui cuncta jam Romana, qua Sol it, vides;

Diſplo-

Diſplode tonitru, perfidos vates feri,
Vt vbique reges ſtare præſentes ſciant,
Fruſtraque noſtris manibus elapſi cadant.
Aut vos, habenas curribus junctis date.
Raptus per auras ſequar, ut inviſum genus,
Cum Rege nato rapiam, & allidam ſolo:
Avibuſque membra ſparſa per campos traham.
LEG. Incerta origo, nec ſat exactum genus
Naſcentis. aula nulla, nuſquam inſignia
Fulgentis oſtri: non miniſtrorum manus.
Cubile fœnum. turba paſtorum aſſidet,
Creditque quicquid rumor ac vulgus ſerit.
Pars Betlehemi vatibus viſum ferunt;
Pars, nec repertum. dubia diverſi canunt.
Nec laudat eadem, quiſquis, exoſus nova,
Favet imperanti. Pars feroces ſpiritus,
Rebuſque motis impetum opponi monet:
Nec negligendum minuma rectori probat.
Pars vindicari poſſe contemptu autumat (guit
,, Quod quiſque trepidat. Fortem & impavidum ar-
,, Deſpector animus, ac ſuæ ſortis memor.
Sic ille magni terror armenti leo,
Quamquam avidus ira, pavidum & indignum premi
Vltra juvencum, ſpernit, inſtantem opprimit,
Iubaſque & armos cæde luctantis lavat.
Cui temperatrix ratio ſi accedat comes,
Brutis adempta, quicquid adverſum cadit,
Seu ſubita proceres arma diviſi movent,
Seu mota plebes vnius partes agit,
Componit, vſu doctus, & flecti docet
Populos rebelles. Sic gubernator ratis,
Temone modico vim procelloſi maris
Fluctuſque vaſtos, arte, non vi, temperat.
Nunc vela vento laxat, ac fertur, ſuo,
Nunc cedit, obliquatque in adverſos ſinum,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et pugnat uſu, ſupparoque auras legit.
Sic cornipes ſuperbus, ac ſtare inſcius,
Seſſore modico gaudet, ac alte gradum
Glomerat ſuperbum: preſſus, excuſſum trahit.
Effuſus idem ſæpe, nec fræni memor,
Fræno remiſſo cedit, aut curſum premit.
Sic Luca bos, immenſus, obtutu minax,
Montiſque adinſtar, turre & inſtructus viris,
Iuſſus magiſtri patitur, & Mauri manum.
Ne ſperne modica, quiſquis imperii regis
Momenta: nec, cum ſæva tempeſtas ratem
Fert, contumacem ſtringe luctando pedem,
Ventiſque & vndæ naufragum indulge latus.
Quin potius animi vela turgentis lege.
„ Conſilia plus efficere, quam vires, ſolent.
HER. Sol, qui coruſcam rebus alluces facem,
Sceptrumque, regni inſigne, quod dextra gero,
Furiæque veteres, noctis antiquæ genus,
Et quas perempta conjuge addidimus novas,
Natiſque cæſis; vos, Deæ, teſtes voco
Sceleris futuri. lenta conſilia execro
Abominorque. Quicquid immane, efferum,
Inuſitatum, mens adhuc intus parit,
Fugio proboque: ſponte, & invitus, ſequor.
Vel Betlehemi tecta convellam ſolo,
Paſtoribuſque, rapta, convulſa, ingeram:
Vel cædibus ferroque graſſatus, necem
Per mille mortes, vnus vnius dabo.
Si fata cœliteſque præcludunt viam,
Imiſque verti ſumma jam Divis placet,
Ibo, inferis munitus, ac tota Styge
Regnum minantis deſtruam cœli fidem.

CHORUS *Senum Hebræorum.*

Felix, quiſquis tacitum vitæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Securus iter tenet, ignotus
Rerum dominis, nec ſublimi
Cognitus aulæ. qui ſepoſitus
Rure paterno, non turbatæ
Populi ſtrepitu fremituque tubæ
Pacis alumnus, meſſibus hornis
Vacuos curæ ſupputat annos.
Quotieſque manu ſua poma legit,
Primæ repetit tempora vitæ:
Faſtoſque ſuos, non principibus,
Sed fœcundo notat autumno.
Et natales, ſemper faciles,
Simileſqui ſui, fuſus in herba,
Inter lætos operum comites
A ſe domita temperat uva.
Dulces epulas, non Oceani
Præda remoti, volucreſque, alius
Quas orbis alit, ſed cultus hero
Diſtinguit ager. Sive hoſpitium
Platanus præbet diffuſa comis,
Avium cantu celebrata vago,
Seu ſylva vetus; nuſquam paries
Squallidus auro: ſed quem circum-
fuſæ memorum denſis texunt
Frondibus vmbræ.
Supra immenſus volvitur æther:
Placidos ponto Sol condit equos,
Solitos repetunt ſydera curſus,
Formas ducit Luna minores;
Aulæa, quibus cingitur orbis,
Sedes populis omnibus vna.
Vertit propriis arva juvencis,
Fœnus nulla lege negatum
Perſolvit humus. Poſt exactæ
Munia lucis, feſſum repetit

Tranquilla quies. nec magna nimis,
Et quæ ſortem non excedunt,
Iam compoſitum, ſomnia ludunt.
Cernit domitos errare boves,
Aut depulſos matribus agnos:
Spemque diurnam, quam mente fovet,
Non mendaces cernit ariſtas.
Parvum tectis ſtrepit examen,
Et feſtivi circumcurſant
Limina nati. nec ſecuros
Vnquam fallunt vota parentes.
Quæ naſcentem domus excepit,
Videt ignavum reptare ſenem.
Certo redeunt tempore lunæ,
Soleſque ſuos occupat ipſe.
Sic viventi ſponte obrepit
Suprema dies: oculoſque premunt
Non optata non ſollicita
Morte natantes, eadem rurſus
Succeſſuri in fata nepotes.
Non Herodæ rabiem trepidus
Sparſoſque videt propria toties
Cæde Penates. non Romanos
Tremit ad faſces, & quæ toto
Circumvolitant orbe ſecures.
Non, Iſacidis poſſeſſa prius,
Nunc ignotis tranſcripta gemit
Regna tyrannis. non inſolito
Tangitur aſtro. Sua regna tenet.
Cœloque colit ſemper eodem,
Quæ per proavos tranſmiſſa ſuos,
Securus arat regna colonus.

ACTVS

ACTUS QUARTUS.

MARIAMNE. TISIPHONE, reliquis
Furiis comitata. HERODES.

MAR. Adſum recluſo noctis ignavæ ſinu,
Cœciſque latebris, ſparſa Mariamne comam,
Notiſque ſævæ cædis, etiamnum tremens,
Pridem peractæ. Senſit homicidæ nefas,
Et tot ſuorum ſanguine vndantem domum,
Mors ipſa rerum meta, & extremum chaos.
Adhuc, relictis impiorum ſedibus,
Inter nocentes gradior, & medium ſcelus.
Conveniat omne vulgus infernum licet,
Pœniſque gens vbique devota vltimis,
Vbicunque lucem dirus Herodes trahit,
Plus inferorum eſt. Polluit vultu diem,
Animoque noctem turbat, & manes ciet,
Veſanus, exlex. Agitat autorem nefas,
Et quæ merentes verbere aſſiduo ferit
Mens cuique, Erinnys propria, & infandum ſcelus.
Quid reſtat vltra, ſævus vt creſcat furor?
Lucem intueri cogimur, juſſæ mori.
Vitam cruentus rapuit, vt mortem neget,
Olim ſepultæ. Liceat, extinctæ ſemel,
Periiſſe. liceat nocte ſub tota tegi.
Liceat, quietem, manibus ſolis datam,
Pati peremtæ. liceat, ignaræ omnium,
Quæcunque trepidi mente perculſa pavent,
Quæcunque dubiis ſuadet ambitio ac furor,

Crudelitate conjugis tota frui.
Quid functa rebus, functa jam luce vltima,
Mihique ſero reddita, ad monſtrum vocor,
Quod palleat Natura, quod tellus tremat,
Et fugiat æther? Quæritur rerum parens
Ad ſanguinem cædemque: cui flectunt genu
Invita noctis regna, & vmbrarum pater.
Exceſſit homines, ſævit in cœlum ſitis
Hauſti cruoris. Prima vim ſenſit domus,
Convulſa ferro. conjuges, nati, jacent.
Iugata tædis, quas cruento prætulit
Thoro Megæra, quinque natorum parens,
Avo, parente, fratre rapto, liberis,
Fœcunditatis præmium ac formæ, tuli,
Caput reciſis dirutum cervicibus.
Eatur vltra. Cur adhuc ceſſant faces,
Sævæ ſorores? Vertite huc iras, & huc
Vallata colubris ora, & immanes comas.
Inauſpicatam rabiem, inauditam, hauriat,
Cædeſque ſpectet trepidus ac verſet ſuas,
Vindex ſui ipſe. TISIPH. Sequimur, vltrices Deæ,
Sequimur tyrannum. Vincat audendo nefas,
Quod nuſquam & vſquam eſt. ſe quoq; exemplo ſui.
Spargantur ora facibus. hydri ſibilent,
Totumque Avernum pectore attonito trahat.
Mens ſuis devota diris excidat tota vt ſibi;
Avioque errore demens vim regentis neſciat.
Qualis aurigam citatus, non ſuum, currus rapit.
Heic Megæra ducat vmbras: vt ferox, vtque impotens
Erutos vultus ſepulchro, quos cruore ac cædibus
Pallido demiſit Orco ſpectet, ac viſo tremat.
HER. Sive ominoſus, pervicax, Stygius ſopor,
Pertentat animum, nocte ſollicita gravem,
Seu mens futuri ſceleris intuitu ſtupet;
Inverſa Solymæ mœnia ac tecta, intuor,

Muroſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Muroſque duplices. Alter in tenebras abit
Sol, alter ortum, geminus aſpectu, petit.
Video minacem conjugis vultum meæ,
Qualemque merui. video funeſtum caput.
Quid, clare Titan, æthere excuſſus fugis?
Quid ora facibus petitis, immites Deæ?
Quid ante manes impium manes vocant?
Me terra adepta, miſceatur Tartaro,
An ignibus, nil diſtat, an vaſto mari.
Dum vita ſupereſt, patear ad crimen data:
Nedum ocioſo lubeat ad mortem rapi.
Necdum inferos ſubimus. Hanc poſco moram.
Immane liceat agmen animarum prius
Præmittere vmbris: quas, imago nobilis,
Et cædibus perfuncta, ſub terras ſequar.
Quid arma rurſum quatitis, infernæ canes?
Stringatur enſis. Mille ſufficiam inferis.
Aut ſic recluſum pectore admoto induam,
Fati occupator. Quippe, quid, lux addita
Luci, pavores inter ac ſpes exhibet,
Quod non decora morte commutet lubens,
Inviſus aliis, aut tremens ſemper ſibi?
Quid terga vertis, anime, quid lucem fugis?
Adverſa quiſquis trepidat, in mortem ruit,
Diſcriminum deſertor, ac vitæ fugax.
,, Ignavia eſt perire, cum præſtat mori.
Quid ora, conjux, vultu & amplexu petis?
Sepulta parce. parcite immanes Deæ.
Pridem iſta patimur. Quiſquis infandum nefas
,, Admittit in ſe, mente tranquilla licet,
,, Quanquam ſuperbus ſolio, & imperii potens,
,, Vtrumque habenis temperet terræ latus;
,, Supplicia ſceleris patitur, impatiens ſui,
,, Suoſque manes ipſe præſcribit ſibi.
Quo rapior vltra? cum polo cumque inferis

Commiſſus adeſto. Regna, quæ Superi negant,
Vel tollere audent, inferi ac virtus dabunt:
Quæque arma Solyma fregit, atque Arabum, manus.
Ego ille, ſacri cultor ac vindex loci,
Qui templa, jam collapſa, qui ſparſos lares,
Et derelictum numen eduxi polo,
Dîs derelictus ac polo, Diris agor,
Meique compos, caſtra larvarum incolo.
Quid iſte fert tumultus, & vultus truces
Defixi in vnum? quo triumphatus vehor?
Quis vincula hinc injecit, hinc tergo imminet?
Fulgere magnum cerno jam in tunica ducem,
Tonantis inſtar: aſtra quam mille ambiunt
Intexta circum. Cerno captiva agmina,
Pars ipſe pompæ, dux cathenati gregis;
Vultu irretorto torvus, atque animi minor.
Regem ſuperſtes video, & hæredem fero.
Poſſideor, occuporque, vivuſque efferor:
Iam ſolia noſtra natus inſedit puer.
Nec quiſquam opem vocatus obſeſſo feret?
Non arma templis rapta, non thalamis, dabit?
Non Romuli jurata concurret cohors,
Ditemque ferro ſiſtet, ac retro premet?
Porro Quirites! Tartarus terram tenet,
Conjurat æther. tota libertas perit.
Invicta ſi gens numen invictum colit,
Auguſte, munus vindica ac præſta tuum.
Heu, Heu, Heu, Heu.
O pectus! ô mens! ô tropæorum decus,
Queis tecta victor ſæpe decoravi mea,
Nunquam arma coram veritus adverſa obtui,
Aut in procella ſanguinis, parcus manu!
Quem nulla vis pervicit, aut immanitas,
Heic virginali more lamentum exequi!
Heu, Heu, Heu, Heu.

Quod

Quod non tyranni, non Latinorum minæ,
Non vlla terris gens relegata vltimis
Ante impetraſſet. non Scythes, non Sarmates,
Et quiſquis vſquam ponte Danubium ſecat.
Ferrum occuperetur. Texta coſtarum vltima
Contaminatus ſanguis ac vita exeat.
Ignave, vecors, occide. hæredis tui
Proceſſit aſtrum. Sceptra vt invadat mea
Paſtoribus prognatus Hebræis puer,
Legeſque terris figat, ac reges premat?
Vt victus vni, præda naſcentis trahar?
Prius aſtra, cœlum, Tartarus, venti, mare,
In ſaxa rupeſque, abditum, abreptum, ferant,
Aut hic profanæ membra divellant Deæ.
Vivatur, vt regnetur: vt regno excidat,
Qui noſtra demens regna deſpondit ſibi.
Huc è latebris, ſi lubet, tandem move,
Huc, ſi lubet, vim verte, ſubſeſſor meus,
Armiſque confer arma. jungantur manus,
Accedat æther, aſtra ſub ſignis eant.
Quid terga cœlo, jam nocenti, nec tuo,
Inominatus, teter, obvertis pavor?
Totus licet ſpargatur hinc illinc polus,
Inter ruinas fortis, ignarus fugæ,
Aut ſceptra vi tutabor, aut fractus cadam.
Teſtor Deorum quicquid in terris colit,
Aut finxit olim quiſque diverſus ſibi,
Quod Roma, quod gens Græca, quod Solyme ſtupet
Celatque, quod Sol primus aut ſerus tremit,
Templiſque & aris, & boum cæde aſtruit;
Seu vera ſequitur quiſque, ſeu nemo; omnium
Sectator & neglector, ac tandem mei
Deſertor, omnes advoco, atteſtor, rogo,
Regnare liceat. Sceptrum & imperium integrum,
Cui ſæva fata, cui minantur ſidera,

Diu tueri poſſe nec cuiquam obſequi,
Omnes, nec vllos, poſco, nec poſco, Deos.
Ipſo regendi jure non quoquam minor,
Non inferis cœloque, dum Divi abſtinent
Ambire noſtra, rebus exuti ſuis,
Nulluſque nobis regna diſponit polus.
Quid dira jungis ora, quid, conjux, premis?
Non, qualis olim purpura ac mixta nive
Ardens, coævas ante fulgebas nurus,
Orientis Oriens, mille votorum furor:
Sed Dite digna, digna familia inferum,
Nec noſtra, nec jam tota, poſt facinus meum.
O imperantis digna majeſtas thoro!
O dulce vinclum mentis, o blandus furor!
(Nam priſca ſubeunt) o juventutis calor!
Primævus, acer, impotens, fræni inſcius!
O ſermo, quondam mentis obſeſſor meæ.
O tæda nuptialis! o Hymen recens,
Voceſque quondam tot voluptatum illices!
Quas execranda cæde fœdavi miſer,
Exlex, cruentus tortor, atque idem reus;
Idem nocentis vltor, atque idem nocens;
Meorum Erinnys omnium, nunc & mea.
Iam parce, conjux. Teſtor infernas domos,
Et quicquid vſquam Phœbus aſpectu fugit;
Dolui peremptam. Lachrymas ſero dedi,
Animumque letho ſævior preſſit lues.
Subiit imago ſæpe genialis thori,
Similiſque Phœbæ, ſummus imprimis, decor;
Sed occidenti. Si qua juranti fides
Reſtat ſub vmbris, ſi quis eſt ſenſus ſuper,
Nec, luce rapta, vetera cum luce excidunt;
Amore nimio conjugis ſævi jaces.
Odiſſe mallem. Fateor, invitus licet,
Pœnituit vnum. Fateor, immitis licet,

Gemui peremptam. Caſta ſi ferro jaces,
Et ſolus error, conjugis tractum diu
Deluſit animum; juſta & exequias dabo.
Placemus vmbram. deprecor vultum ac minas,
Genuque nixus, ſupplices tendo manus.
Abſiſte, conjux. Plura quid, Pluto, moves?
Iam littus Acheron totus exceſſit ſuum,
Et obſeratas Tartarus pandit fores.
Nunc ſigna demum mœſta Tiſiphone movet:
Hydriſque cincta, dirum & illætabile
Deducit agmen. Hinc Alexandra graves
Intentat iras, nube terrifica minax.
Illinc tiaræ ſtebile oſtendit decus
Ariſtobulus. frater hinc fratri comes
Sedet perempto. Viſcera intueor mea,
Immanis, atrox tortor, atque idem parens.
Hinc longus ordo, teter, atratus, ſedet;
Damnatque, jam damnatus, autorem necis.
Quid ille, vultu immitis, ac virga gradum
Firmans labantem? Fallor! an tremulum caput
Feſſumque ſenio veteris Hyrcani procul,
Adhuc cruentum, video? Iam ſatis eſt, Deæ,
Pœnarum, & vltra. Gondite obſcœnas faces,
Diræ ſorores. Inferos noſco meos:
Qualeſque feci, ſenſi, & aſpexi, Deos.

ANNNA. IOSEPHVS.

AN. O Fata gentis! Ios. tot ſubactæ cladibus.
AN. Quæ ſpes fugato reſtat? Ios. Ægyptus teget.
AN. Carcer parentum? Ios. portus eadem atq; anchora.
AN. O triſte nomen! Ios. proſperum nobis diu.
AN. Quo preſſa pietas. Ios. impios preſſit mare.
AN. Pharaonis aula? Ios. noſter & Pharao fuit.
AN. Sedes tyranni? Ios. nunc tyrannis invia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

AN. Iam vetita, & interdicta? IOS. dum juſſit Deus.
AN. Moſes quis illi dux viæ? IOS. dux Moſëi.
AN. Moſes quis illi dux viæ? IOS. dux Moſëi.
AN. Quo rapitur ætas prima? IOS. quo ſuadet ſalus.
AN. Vix natus, & nunc exul? IOS. vt fugiat necem.
AN. Quis innocenti vim parat? IOS. ſævus, nocens.
AN. Quis machinator cædis? IOS. Herodæ furor.
AN. Quid caſta mater? IOS. comes it: abeuntem premit.
AN. Deſerta cunctis. IOS. Regnat, vbicunq; eſt pater.
AN. O ſpes ſuprema! ô vota! IOS. ſpem firmet fides.
AN. Periere cuncta. IOS. non perit, quiſquis latet.
AN. Et hæc ſenectus. IOS. tuta promiſſis Dei.
AN. Huc dulce pignus ſiſte. IOS. ne lateat, cave. (ram.
AN. Da jungere os vultumq;. IOS. Rex prohibet mo-
AN. Tempus negatur lachrymis? IOS. hoſtis negat.
AN. Minor fugato. IOS. fugit, vt everſum premat. (lis.
AN. Quid regnum Iudæ? IOS. premitur, vt creſcat ma-
AN. Et ſpes piorum? IOS. ſurgit, ac neſcit premi.

HERODES. SATELLITES. SENEX.

HER. Tandem æſtuoſus mente ſubſidat furor;
Dum ſtatuit aliquid, dubius, atque impar ſibi.
Sic cum profundum volvit ex imo mare
Æolius horror, Eurus hinc, illinc Nothi,
Mixtus procellis Africus, cui pareat
Immanis vnda neſcit, ac paret tamen
Domino cuique. donec incubuit ſibi,
Totumque pelagus vna tempeſtas agit.
Habet, paractum eſt. Ite, famulorum cohors,
Vbi Betlehemi tecta ſurgentis prope
Deſpectat Hebron, ite, & immeritam manum,
Quoſcunque meſſis altero amplexu fovet
Sinuque matris, tollite, ac letho date.
Sic inferis litare Tiſiphone monet,

Hanc

Hanc inferorum victimam poſcit pater;
Dubius futuri. Quippe, jam natum cani,
Hos inter, ima ſolia qui fundo eruat,
Ac ſumma vertat, noſtra ſi deſit manus.
Nec finibus telluris aut cœlo capi
Quicquid paratur. Tremere concuſſam Styga,
Sævire manes, vixque rectorem pati.
Ter limen atrum patuit admiſſo die,
Ter poſtibus convulſa ſubſedit domus,
Nixæque aheno ſponte ceciderunt fores.
Ter ipſe cuſtos ſigna latratu dedit.
Sive alterum Natura molitur Deum,
Seu ſceptra mutat orbis, ac regna excutit,
Sive arma veteres fracta Titani movent,
Et ſic reſumunt; noſtra quem Bethle parit,
Vbique Rex eſt. quiſque naſcentem videt.
Primus, ferox, veſanus, inſomnis diu,
Aut noctium ſopore perculſus, feror.
Vt turbinem cum verſat imbellis manus,
Tortumque multo verbere in gyros agit,
Vireſque ab ictu ſumit; huc illuc volat
Rotata buxus, ſpatiaque involuit ſua.
Extrema ſummam ſtrinxerat nox orbitam,
Circumque tardus egerat plauſtrum ſenex;
Cum ruere ſubito viſa, & impelli ſolo,
Regalis aula: quaque per ruptum via
Patuit cacumen, lapſus, aut terræ datus,
Ducente Phœbo, prævio aſtrorum choro,
Noſtro ſuperbus ſedit in ſolio puer.
Excuſſus animo ſomnus, atque oculis, abit.
Arma, arma, poſco. Turba dum trepidat comes,
Aut lenta ceſſat; vltimo è terræ ſinu
Invaſit aditus ſæva Dirarum cohors,
Mentemque inhibuit facibus, atque hydris manum.
Sic conſili impos, lucis exoſus moram,

Aut plebe mota dubius, aut regni metu,
Laſſus fatigo Tartarum, terras, Deum.
Et regna quiſquam ſperet, aut regno incubet?
Non ſic Charybdis vaſta, nunc hauſtas vomit
Nunc ſorbet vndas, naufrago infamis ſitu,
Verſumque fundo torquet ac reddit mare;
Vt mens regentum dubia, ſeu fraudes parat,
Seu vitat, æſtus inter alternos agit,
Et nunquam eodem trahitur, & ſemper ſuo.
Hinc ſors ſecunda ſpirat, ac pene affluit,
Dignata tecto tota vix vllo capi,
Fidemque voto præſtat. argentum vetus,
Et quicquid vſquam volvit Eoum mare,
Huc fluxit. heic opima tot Regum jacent.
Adſtat ſuperbus miles ac præda gravis,
Gemmiſque & auro ſqualllidæ fulgent nurus.
Spectate victi. pectore interea abdito
Tortor cruentus, ceu flagellis, intonat,
Et conſcius, ſe teſte commiſſum tremit:
Palletque lentis ac perit vibicibus.
Parum eſt. novas invitus ad pœnas agor.
Dum patimur aliud, aliud ordimur nefas.
Hoc cœlites vel inferi abſumant caput
Pejuſque perdant, quam perire intelligo,
Ni recta video, quæque mens ſuadet, ſequor:
Phaſelus vt citata, quam remis agit
Acris juventus, & lacertorum toris,
Si forte vis remiſit, aut primus calor,
Atque illam in altum prona tempeſtas rapit.
Accingere anime, ſubita conſilia exequi.
Oppreſſa tandem longo & inſolito metu
Solvatur ætas, ſeque reſtituat ſibi.
Annis duobus quicquid in lucem dedit
Vrbs quæ timetur, tolli & extingui placet.
Hos inter, orbis terror ac damnum, puer,

Subla-

Sublatus, orbi ſpiritum ac lucem dabit
Quam quiſque turbat. Dira pridem ſæcula,
Fœdata luxu, quicquid eſt, peſſum trahunt.
Hinc ocium torporque, dominanti gravis,
Et plebis exlex animus in reges furit.
Sic ſegne corpus, dapibus ac vino diu
Somnoque paſtum, ſanguine infeſto grave,
Opem medentis urget, ac poſcit manum.
Torpore deſes imperî moles labat,
Vitioque gentis turbida, ac longo ſitu;
Prætumida jactat membra. mittatur cruor.
Quod quiſque meruit, innocens ætas luat.
,, Quos pœna tranſit, corripit pœnæ metus.
SAT. Succumbit animus, ſanguis albeſcit, pavor
Horrore gelido pectus aſtrictum premit.
Infirma vt ætas, nullius ſceleris capax,
Mortemque nondum merita, ſpargatur ſolo?
Vt rapta matrum pignora è gremio ſecet
Cruentus enſis? ſiſte crudelem impetum.
,, Quod ratio non dat, tempus ac ſpatium dabit.
,, HER. Supplicia ſemper aliquid injuſtum trahunt,
,, Quod publico tuetur ac penſat bono,
,, Quicunque regni ſceptra non timidus gerit.
,, Benignitati quiſquis obvertit latus,
,, Nec æqua ferre didicit, aut regem pati,
,, Crudelitatis nomine inviſum gravat.
,, Vertuntur odio recta. vis ſceptri perit,
,, Niſi imperantis firmat obſequium metus.
Paretis? an deſpicimur, & nomen ſumus,
Fruſtraque vinclo nobilem premimus comam?
SEN. Vt tanta matrum turba ſupplicium ferat?
HER. Quæcunque Regem peperit, ut Regem luat.
SEN. Plectatur vna. HER. nulla ſic pœnas dabit.
Plectantur omnes. vna jam pœnas dabit.
SEN. Cur mille miſeris crimen vnius nocet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

HER. E mille miſeris vna ne evadat manum.
Dedatur vnus, mille ſubducam neci.
SEN. Cur Rex timetur? HER. Rex timet. SEN. regno, an ſibi?
HER. Vtrique. SEN. puer eſt. HER. & fuit, quiſquis regit.
SEN. Ignotus orbi. HER. nempe, quem natus movet.
SEN. Parce immerenti. HER. nempe, quo fiat nocens.
SEN. Plebs vana trepidat. HER. amplius ſperat tamen,
SEN. Regemque fingit. HER. Rege ſublato, cadet.
SEN. Ne crede famæ. HER. ſæpe neglectam nocet.
,, SER. Et cede populo. HER. ſæpe permiſſus ſibi
,, Regum tiaras tranſtulit populi furor.
SEN. Mens alta inermi bella cum ſexu fugit.
HER. Fœmineus animus fœminæ queſtus pavet.
SEN. Miſerare matres. HER. exui patrem qnoque.
SEN. Miſerare natos. HER. & meos, tellus habet.
SEN. Quos prima vitæ ſors fovet. HER. prima auferet.
SEN. Lac matris inter? HER. Lacte reſpergi ſine;
Magis tamen cruore. lac reges juvat,
Sed vagientes. ſanguis imperium decet.
SEN. Per ſpes paternas. HER. vna adhuc ſupereſt mihi
De matre. SEN. quæ nunc nobilem firmat domum
E ſtirpe Iudæ. HER. Sola quæ cauſa eſt mali.
SEN. Parens, parentis fas & affectum cole.
HER. Regnum, parentes, conjugem, natos voco.
Natura regno cedit, ac regno exulat,
Et jus, & æquum. juſtus eſt, quantum ſat eſt,
Injuſtus alibi, dum ſit intentus ſibi.
SEN. Circumſtat omne vulgus, ac miſeris favet.
HER. Prædam ſuperbus, quam videt, roſtro petit
Rector volucrum: cætera incaſſum ſtrepit
Gens omnis, aut, vi territa, in nubes abit.
SEN. Submitte pectus. ſpiritus da turgidos
Recte admonenti longa quæ docuit dies.

,, Vnum

,, Vnum ſenectus, viribus feſſis, habet
,, Salubre regnis ac ſibi, vim conſilî.
HER. Anniſque & animis regna tutati ſumus,
Nec vis juventæ defuit quondam ac vigor,
Nec nunc ſenectæ ratio maturæ deeſt.
Armis ſubactos, pace ſubigendos reor.
Et hæc cruorem poſcit. SEN. Invitus licet,
,, Moderare. fuſus cruor ad autorem redit.
,, Obſequia modicus ſuadet, immodicus fovet
,, Inobſequentes, ac ſuas vires docet.
,, Neſcire proprias obſecuturum decet.
,, Timete Reges. quiſquis in populum furit,
,, Favet furenti. Iuſtus irritat dolor,
,, Cogitque quidvis poſſe. conſumpto metu,
,, Poſtrema miſeris ipſa formido perit,
,, Audetque quidvis velle, qui ſperat nihil.
,, Favore conſtant ſceptra. vi vis interit:
,, Et deſtituta, prima regnantem petit.
,, Invidia preſſos tollit, erectos premit.
,, Quem lenis aura civitatum deſerit,
,, Communis odii naufragum involvit mare.
Neſcitis, alto quotquot impoſuit loco
Fortuna, quotquot purpuræ afflavit decor,
Quid cuique liceat. deſidem regis manum
Quod temperamen inter, ac ſummum nefas:
Clementia quid diſtet immanis rigor.
Hæc Diva quondam, triſte & ignavum Chaos
Miſerata, formis quæque diſtinxit ſuis;
Zonam tueri juſſa, quæ leni fovet
Hinc frigore, hinc tepore, ſublimen domum
Fulgentis æthræ, temperatrix omnium.
Regumque mentes habitat, ac flecti docet:
Et æquitate cuncta perfundit pari.
Sic conſtat orbis: cuncta ſic legem tenent,
Nec ipſe, miti cuncta qui nutu fovet,

Vt quiſ-

Vt quiſque facinus audet, aut ſpernit regi,
Pœnis paratus, protinus lapſos premit.
Nec vim triſulcam, telaque armatæ manus
In noxium diſtringit ac vibrat caput:
Sed editum cacumen aut rupem quatit,
Sterileſque cautes, aut latebroſas ſpecus.
Nunc alta Libani robora impulſi tremunt,
Nunc tacta Horebi pecora percuſſi jacent:
Soluſque generi parcit humano pater.
Idem ille, gentis rector ac princeps ſuæ,
Si prole matres damnet, aut ſponſo nurus,
Quoties tyrannum parturit terræ latus;
Redibit horror dirus, ac priſcum chaos:
Et quicquid vſquam eſt, fiet antiquum nihil.
,, HER. Properate famuli. SEN. Tardus ad pœnam venit
,, Mœſtuſque, quiſquis, mente compoſita prius
,, Delicta pendit. vix abeſt, quin exigat
,, Pœnam lubens lætuſque, qui punit cito,
,, Ametque inique facta, quæ punit lubens.
Nec crimen vllum vindicem poſcit manum.
Fama, aſtra, vates, Rex novus, dubios agunt
Verſantque populos. mota plebs, plebem movet.
Detur furori tempus, exiguum licet;
Quæ ſponte oboritur, ſponte tempeſtas cadet.
HER. Effœta ſenio verba nequicquam jacis,
Laudator acti temporis, noſtri immemor.
Ceſſatis? ite. juſſa jam dudum exequi
Decuit, miniſtri. verba non tollunt moram.
SEN. Per hanc ſenectæ meſſem, & albentes genas,
Tremulumque, quod jam fata depoſcunt, caput,
Venerare numen. ſacra quæ ſtruxit manus,
Autoris eadem ſacra ne evertat manus.
HER. Regnum regenti numen, ac ſceptrum, reor.
Quod reſtat, vmbra ſomnii, ac ſermo merus.

Ni,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ni, provolute genibus, hinc greſſum moves,
Hic ſtrictus enſis pedibus eripiet viam.

CHORUS MILITUM ROMANORUM.

Victarum Dea gentium,
Quam pulcher Tiberis rigat,
Quæ, ſeptem edita collibus,
Regum colla minacia;
Et quicquid tremit Occidens,
Aut Sol exoriens pavet,
Secura imperii premis;
Quis me Triptolemi, tuis
Aut Medea draconibus,
Raptum reſtituat mihi,
Raptum reſtituat tibi,
Victarum Dea gentium,
Quam pulcher Tiberis rigat?
Non jam civica, ceu prius,
Exer cet pavidam manus:
Non jam claſſica, non tubæ
So mnos excutiunt breves.
Non mœſtæ trepidant nurus:
Abductis nec inhoſpita
Squallent arva colentibus.
Saturni redeunt dies,
Et, quas deſeruit diu
Terras, Erigone colit.
Iam priſci generis pater,
Ferro poſtibus obdito,
Sævam compoſuit domum:
Et jam reddita publico
Antiqua augurio ſalus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Qua ſummum premit Hadriam,
Qua Thuſco oppoſitos mari
Fines explicat Auſonis,
Pax Martis ſobolem tenet.
Pax ſecura virentibus
Cingit tempora pampinis,
Pax ſpicis redimit comam.
Enſes ac galeæ graves
In falces redeunt ſuas.
Ferrum, vomere ſe teri,
Et durus patitur chalybs.
Feſtis læta calent oppida luſibus:
Et proſcripta licentia
Antiquas repetit vices.
Pubes, nunc jaculo levi,
Nunc diſco terit aut equo,
Hoſti tempora quæ dedit.
Et nunc pulvere ſordida
Campi, nunc oleo nitens,
Lymphæ Virginis inclyto
Paſſim denatat alveo.
Paſtor, cum grege languido,
Dulci carmine temperat
Vim cœli, ac gelida ſpecu:
Quam juxta trepido pede
Somnos conciliat latex.
O læta ocia Formiæ!
Lucrini ô tepidi lacus!
Bajarum ô medii dies!
O ſola Elyſiis æmula vallibus
Laſſi temperies maris,
Campani via littoris,
Lis Baccho ac Cereri vetus!
O Gaure, ô viridis qui juga Maſſici
Evan vitiſator tenes!

O Bacta, ô Eleleu pater,
Curas vertere gaudiis,
Proceras quoque fraxinos,
Imis ſedibus, efficax!
O Præneſte, Deûm domus!
O divortia Tiburis!
O prænobile Tuſculum!
O læti nitor Antii!
Hic junctum ſceleri ſcelus,
Quantum Maſſagetæ rigor,
Et Taurus tremat & Scytha,
Cæſis hoſpitibus ferox,
Ævum, jam ſenio grave,
Lentum ducit ad exitum.
Et ſemper miſeris dies,
Primo deterior ſubit,
,, Ætas, ceu dubius vapor,
,, Elapſa, attonitos premit.
Sparſa temporibus nive,
Primæ decipiunt comæ.
,, Clam quiſque eripitur ſibi.
,, Quicquid præteriit, fuit.
,, Nulli lux eadem redit.
,, Nulli lux eadem manet.
Donec meta noviſſima
Includit ſpatium breve,
Et mors ſollicitis adeſt.
Quam nox irremeabilis,
Et fax, & lachrymæ, & rogus,
Et lex vltima Tænarus,
Et longus ſequitur ſopor.
,, Solus ſe fruitur diu,
,, Qui præſentibus incubat,
,, Nec quicquam patitur rapi,
,, Quod ſors proſperior dedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vt Quinquatribus, aut brevi
Feſto cum potitur puer.
„ Cras ſerum eſt: hodie datur,
„ Quod totum annumeres tibi.
„ Vita, aut carpitur, aut perit.
Victarum Dea gentium,
Quam pulcher Tiberis rigat,
Quis me reſtituat mihi?
Quis me reſtituat tibi?

ACTUS QUINTUS.

MATRES BETHLEHEMITICÆ,

Hieroſolymam aut alio cum infantibus fugientes.

PRIMA, SECVNDA, TERTIA.
quæ in ſcena animo linquit, ac deinde ad ſe redit.

PRI. Succurre tellus: abditos aperi ſinus,
Vel tota nunc dehiſce: depoſitum tege
Miſeræ parentis. Oſcula, infelix, habe,
Sed ſumma, ſed funeſta. Quid riſu, puer,
Moraris animum? quid meos luctus gravas,
Tuoſque neſcis? Dulce ſolamen thori,
Quid os lacerto ſtringis ac vultum premis?
O dulcis ætas, dulce, & infelix onus!
Adeſt ſatelles. quid manum, fati inſcius,
Vberibus abdis, teque mœrenti ingeris?
„ Neſcire primum eſt cuncta, poſtremum, nihil,

„ Cum

„ Cum læva ſors minatur, aut miſeros premit.
SEC. Incumbe terris nox, & amplexu pio
Tuere matres. deſit hic mundo dies,
Rebuſque pereat. triſte Sol ponto caput,
Vel conde Averno. Si quis afflictos videt,
Si ſancta pietas vindices reperit Deos,
Nec omne cœlo numen irato excidit,
Latere liceat. Vnde, quo, retuli pedem?
Quid trepida volui? quicquid evaſi, ſequor.
Huc primum an illac imus? vtrimque imminet
Quod fugio. vtroque fugio, nec fugio metum.
Defecit animus. lux abit. corpus ſolo
Exanime, lapſis viribus, feſſum cadit.
Erepe miſera, quo negat greſſus ſequi.
Quo pavida tendis? Nullus hic furto locus
Latebriſque nullus. obſidet matrem ferus
Natumque tortor. Vna ſpes miſeris adhuc,
Vel nulla, reſtat. parte in extrema, abdlta,
Laris paterni, plurimo ignotum ſitu,
Multiſque dumis obſitum ſquallet ſpecus.
Quid caſſa demens volvo? quid reditum paro?
Hic dubia mors eſt. certa redeuntem manet.
TER. Sublimis ægre anhelitum pulmo trahit.
Defeſſa trepidant membra. pars periit mei,
Pars vna ſupereſt. impius binos ſolo
Alliſit hoſtis. vnus afflictæ ſuper
Fulcimen hic eſt. vnus extinctam tenet.
O nate, matri ſummus ac ſerus dolor!
O patris os vultuſque, quem primo tulit
Lucina nixu! voce qua primum parens
Sum dicta quondam, jamque poſtrema vocor.
Quos vna geminos hora, quos venter tulit,
Nunc vna rapuit. liceat extremo frui,
Eodemque primo. Mitte lamenta ac preces:
Sequitur miniſtra cædis à tergo manus,

Crudelis, excors. igne ſanguineo genæ
Ardent: cruentum dextra mucronem premit.
PRI. Qui vaſta cœli tecta, qui terram quatis,
Aut parce nato, genitor, aut matrem feri.
Si crimen eſt peperiſſe, vel ventrem feri:
Aut nati in ortus ſponte revocentur ſuos.
Hic tutius latebit infelix puer.
Evolve dextram: nubibus ruptis preme
Auſus nefandos. nec reus tantæ necis,
Toties cruentus ante, jam toties nocens,
Et ante matrum ſanguinem, Herodes cadat.
Subſequitur audax raptor, & ferro imminet.
Accede genibus prona, dum natus latet,
Pectuſque letho oppone. Si quæ olim tibi,
Faſtidiis laſſata, Lucinam tulit,
Si quæ parentem nuncupat, ſi quæ virum,
Si quæ, intuenti præſidem vitæ diem,
Admovit ori pectus, ac lacte imbuit,
Si cura matris nota, ſi pietas, fuit,
Et dulce nomen; parce genitrici vnius,
Vnique parce. ne duos fatum trahat.
Abiit, relicta matre, nec matre. auferor:
Pignuſque, quo diripitur, infelix ſequor.
TER. Quid, luce deſtitutus, in lucem redis,
Iam pene mediam mortis emenſus viam,
Deſertor animæ? miſer, ad Heroden redis.
Heic mille mortes. Certa defunctum quies
Et tuta recipit. heic acerba immanitas
Et cruda, manes auget inſolita nece.
Heic immerentes tantum & innocui cadunt.
Heic inter orbas orba, communi gravis
Luctu meoque, miſera cum miſeris feror,
Et inter vmbras eo, nec invenio meas.
Extra tyrannum mortis imperium jacet
Patetque. pejus aliquid Herodes nece eſt.

Ha

Hac ſpe revixi? Terra fugitivam accipe;
Prope & ſepultam. quam bene hic ſortis meæ
Ignara jacui, pulvere ac cæde obruta.
Hoc de duobus vnicum ſervat parens.
Dulces gemellos, matris è complexibus,
Spem gentis atque ætatis effœtæ vltimam,
Sæpe ambienti fata & immitem manum,
Lethi miniſter, dirus, immanis, furens,
Adhuc rubentes pene de partu abſtulit.
Ne denique aliquid eſſet afflictæ ſuper,
Morſque orbitati terminum ac vitæ daret,
Vitam negavit liberis, mortem mihi.
Vivendo moritur, ſæpe, qui viuit miſer.

NVNCIVS. HERODES.

NVN. Infanda dictu, dira conſpectu, horrida,
Revolvit animus, Regii juſſi memor,
Et obſequentum. Non viam lingua expedit,
Non vox. ſoluti poplites ſubtus labant,
Pedumque trepida fallit errantem via.
Attonita partes, mens, ad antiquas redi.
Effare. nullam patitur Herodes moram.
Stat torvus ira, lachrymiſque immobilis,
Ac ſupplicanti: qualis irato mari
Immenſa, fluctus inter ac venti minas,
Cautes, vel auctus cæde Marmaricus leo,
E rupe prædam mille balantum videt,
Quos ventre rabidus ſtravit, ac leto dedit.
Leve eſt, quod omne trepidet humanum genus,
Iuſſiſſe. ſceleris ordinem expectat ſui.
Repetere totum ſanguinem auditu expetit.
HER. Expone propere cædis indictæ modum,
Et quo parentum quæque ſublatum tulit.
NVN. Vixdum orta totam nox obumbrarat diem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et jam trahebat aſtra; cum extemplo, velut
Effracta nubes, ſubita quæ in terram ruit,
Cœlum ſolumque torquèt, ac gyro rapit,
Aut vaſtus amnis, mole perrupta furens,
Cum pecore tecta, ſtabula cum armentis trahit.
Tremuere cuncta. Nox, dies, enſis, ſopor,
Sævus ſatelles, obviaimpellens manu,
Permiſcuere vota materna ac metum,
Fugam, querelas, lachrymas, iram, preces.
Vt quæque patuit prima, vim ſenſit, domus.
Pars magna ferrum neſcia excepit ſui,
Somnumque mors incluſit. Hic cerebri jacet
Putamen. illic vulnere afflictum caput.
Hic pes cruentus: ſanguine hic fœdæ manus:
Hic membra lacera: truncus hic impos ſui:
Dum quiſque cunis rapitur, ac matri excidit,
Necdum ominanti triſte & inſolitum ſcelus.
Pars enſe ſævo pectus effoſſi jacent,
Hauſtoque jugulo: magna pars propere ſolo
Alliſa: pars diſcerpta, pars vndis data.
Nec tota cunctis contigit mors. haud vacat
Conferre tantum. ſi quis eſt felix, perit.
Pars palpitat, pars vna, ſemineces adhuc
Attollit oculos, membraque in pœnam movet.
Hæc inter, vrbem fama perculſam quatit,
Matrumque complet corda. Pars, orbæ volant,
Pars, prole rapta, fruſtra in abſentem furit.
Vt fœta tigris, longa per veſtigia
Relegere natos ſueta, quos ſonipes tulit,
Si forte raptor, puppe ſublatus, moram
Objecit vnda, ſævit alto in littore,
Nec vim furoris patitur, aut explet, ſui.
Abit, redit, vagatur, incurrit, tonat:
Reſpondet æther, terra mugitu fremit.
Pars impotentes inſerit cœlo manus,

Pars aſtra voce incendit, ac Divos ciet.
Pars torpet, obſtupetque: pars terræ ſedet
Defixa: pars divulſa componit ſinu
Tollitque membra: pars reluctantes neci
Scrutatur ore, atque ipſo in amplexu cadit.
Huic animus alta nube ſuppreſſus latet,
Dolore victus, nec doloris jam memor,
Primam expetitæ mortis ingreſſus viam.
Plus metuit altera turba, quo ſpes eſt minor.
Vterque dubias pariter affectus rapit.
Hæc ſubito natum tollit: hæc toti incubat,
Vulnuſque poſcit. illa ſubductum tenet:
Quæritque latebras, nec tamen latebras videt.
Vt trepida pullos mater imbelles tegit,
Cum vultur auras remige infeſto ſecat,
Et immerentem circuit penna larem,
Ter impetu delapſus, aut prædo Iovis.
Pars hæret vni. Pars parentem dividit,
Geminoſque retinet: lapſaque in vultus pares,
Dum dubitat, vtri timeat, vtrumque objicit
Certo furori. Sequitur hæc inter ferox
Immanis hoſtis, ſeque dubitanti inſerit,
Et vtrunque raptor diſſipat letho pari.
Dum mœſta genibus admovet dextram parens,
Preceſque lachrymis miſcet, ac nectit moram,
Alter cerebro raptus excuſſo jacet,
Alter cruentum corde mucronem excipit,
Et ſupplicantis ora perfundit cruor.
Pars vbera inter, inter innocuas dapes,
Ignara rerum, vulnere immiti cadit:
Et ſanguinem cum lacte permiſtum vomit.
Hæc, vngue carpit ora: pars laniat comas,
Pectuſque tundit: hæc amictus diripit,
Araſque prenſat, quas, cruentas, deſerit.
Hæc dubia, pignus inter & ferri minas

Dum volvit oculos, membra, quæ tenuit, tenet
Diſſecta ferro. pars humi lapſos premit
Invit , quos tuetur, immiti pede :
Titulumque lethi, dum timet, pietas habet.
Nec vna, dum devitat intentam manum,
Totoque natum brachia moventem irrita
Et vagientem miſera complexu premit,
Queſtuſque tollit, jacuit extincto comes :
Caſtiſque in vlnis cæſa percuſſum fovet.
Pars mœſta, ſupplex, crine diffuſo, ſui
Pertæſa, mortem, pignore erepto, rogat :
Solamque lucem, feſſa vivendi, impetrat :
Nato ſuperſtes ac ſibi. Pars occupat,
Dolore victa, triſtius lethi genus.
Animoſa cunctas inter, ac ſanguis vetus
Abramidarum, ſpiritus patrios adhuc
Animoſque retinens ſtirpis, Hoc, inquit, placet
Rex ſumme rerum, tota gens vt concidat
Antiqua Ieſſæ? Sic, pater, cœlum annuis?
In ſceptra ſic reducis antiquum genus?
Sic virga decantata, de gente inclyta,
Terris, obumbrat vltimum Phœbi diem?
Sic aſtra nunc æquamus, & mundi faces?
Hac dextera, crudelis, immanis, ferox,
Invicte pueros inter ac matrum neces,
(Furtiva Idume veniat, & ſpectet, licet)
Aut victimas has eruam, aut prima occidam.
Hæc fata mater, veſte contectum extulit
Ferrum, ac recepit protinus jugulo abditum.
Feralis horror tecta vicoſque obſidet,
Et ſparſa tabes. ipſa, ceu funus ſui,
Vrbs luget ac lugetur. Hinc terror gravis,
Hinc lachrymæ queſtuſque palanteis agunt.
Orbæ peremptos, hos & has raptos, fremunt
Orbi atque vidui. quiſque ſpem generis gemit,

Vulnu

Vulnuſque ſentit. Forma non eadem mali,
Idemque vbique ſquallor, ac ſimilis ſui.
HER. Super aſtra victa gradior, & fatum premo.
Sive inferis, ſeu cura jam ſuperis ſumus,
Regnum tenenti nulla lux tollet mihi,
NVN. Tanto cruore quod ſtetit, magno ſtetit.
HER. Quid ille, regum natus exitio puer,
Cui cecidit ætas omnis, ac pœnam dedit?
NVN. Seu fraude vatum, ſeu miniſterio poli,
Vt quiſque vulgo credit, ac vulgus ſibi,
Subductus, aut elapſus, Ægyptum tenet.
HER. Nunc totus ardet animus, atque exæſtuat,
Nunc fluctuatur cor, & exundat, meum.
Deſpectus atque inultus vt lucem traham,
Victuſque pueri jura & imperium feram?
Non ſic in armis gens rebellatrix manum hanc
Experta quondam eſt, ſævaque Antigoni manus,
Et Parthus acer: quoſque ferrum hoc abſtulit,
Et nunc ſub vmbris vltimi manes tremunt.
Ferte arma, ferte tela. Iam Memphin peto:
Vt buſta Regum vetera cum cinere eruam,
Propinqua cœlo. vel domum, ſeceſſibus,
Ambagibuſque, & irrepertis fraudibus,
Mille involutam, evolvam, & explicitam dabo.
Oblite rerum! victor Ægyptum premi,
Gentis Latinæ clauſtra, Romanus ſinet?
Nec jam arma terrent priſca? ſic notus ſuis
Auguſtus vltor? cujus vnius manu
Aurora tota cecidit, & tergum fugæ
Devictus orbis, regna victori dedit.
Non ſic abibit. ſtirpe cum everſa, eruta,
Vbicunque tegitur, vel ſupremi numinis
Complexu & vlnis abditum, vita exuam,
Funuſque, poſt tot funera, extremum cadam.
Adeſte Diræ; ſive dubitantes ſequi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Laſſaſque, noſtrum defatigavit ſcelus,
Toties vocatas; ſive Furiarum ſatis,
Et inferorum pectore hoc clauſum gero;
Adeſte tantum. Fornicem impoſitum prius
Ardentis æthræ feſſus excutiet ſenex,
Arctoſque ſiccas ſubditum involvet mare,
Quarum illa Grajos, illa Phœnicas videt,
Quam ſubitum & atrox deſit Herodæ nefas.
In propria vertor. Satis alienus cruor
Vrbi immerenti fluxit. accedat meus.
Supereſt Iudæ ſanguine ac regno edita
Proles parenti, quique nunc thalamos tenet
Salomæ ſororis. victimæ hæ Regi cadant,
Dubiamque certa cæde tutentur domum.

MATRES HIEROSOLYMITANÆ.

ANGELI.

DVlces animæ, quas ante nefas
Lethum rapuit, quas ſubductas
Vitæ pelago, nunc portus habet;
Non vos illic ſpes ſollicitæ,
Non ambitio, non dira fames
Exercet opum; major habenti:
Non ſævities, graſſata ſemel,
Quæ ſecuros invaſit adhuc,
Finemque dedit, vixdum expertis,
Noſſe malorum. Nunc parta quies,
Interque pias, fati immemores
Lætoſque dies, ducitis, vmbras.
Nos tot votis laſſata fugit
Mors ſub domino, perque aſſiduos
Rapta furores volvitur ætas,
Ingrata ſibi. ſuadetque mori,
Nec poſſe datur. Non irati

Dextra Tonantis, non Oceanus,
Dirum facinus tegat, ac plenos
Sanguine rivos. Redeat pontus,
Redeant veteris ſæcla Noachi,
Cum, damnato ſceleris mundo,
Sola ſuperſtes domus vna fuit;
Vix tot cædes tantumque nefas,
Quæ damnatum perdidit orbem,
Eluat vnda.
Non qui claræ turres Sedomæ,
Et flammatæ tecta Gamoræ
Perdidit ignis. non ſi totus
Eat in flammas, ruptiſque ruat
Nubibus æther.
Mtſerum juxta mortale genus,
Spes ambiguas interque metus!
Ite parentes, ite ac tantis
Sobolem votis poſcite Divos:
Thalamo ludat feſtivus Hymen,
Læta reſonent atria pompa,
Feſtis reſonet plauſibus æther,
Cum naſcentem lux prima videt.
Ite, hæredes tollite natos,
Et ſpes longe mittite veſtras:
Ite, ac ſteriles damnate nurus.
Quicquid læti poſcimus, hic eſt:
Huc vota cadunt, funeſta ſibi.
,, Quotquot cœli ducimus auras,
,, Horæ ſpolium cuncta moventis
,, Luduſque ſumus. cum tota favet
,, Fortuna, magis poſt vota furit.
,, Levis, ac nulli ſperanda diu,
,, Quantumcunque eſt, quod prona dedit;
,, Plus eripitur, cum ſæva nocet,

ANGELI.

ITe, ſquallidæ parentes, membra jam terris date,
Quæ, cruore delibutæ, germen emittant novum,
Inclytum, pavoris expers. Iam juventus naſcitur,
Quæ per ignes, per rotarum dira tormenta ac cruces,
Numini pulchros dicabit victimarum ſpiritus.
Quæ tyrannorum cruentas cæſa laſſabit manus:
Et viam monſtrabit orbi, ſanguinis compendio,
Qua patet ſupremus æther, prævio primum Duce,
Quem, Deo nunc grata, Memphis abdito condit ſinu.

FINIS HERODIS INFANTICIDAE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII
De
CONTEMPTU MORTIS
LIBRI IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo,

IANO RUTGERSIO,

Ser. Suecorum &c. Regis Conſiliario Exlegato.

QVi memoria majorum, heroicam poëſin, in Italia, regina rerum, penes quam illius laus diu ſtetit, gravi opere aliquo ad leges ſuas revocarunt, Pontificibus, Cæſaribus, ac Regibus, ingenii ſui monumenta inſcripſerunt. Nos, Rutgerſi, frater incundiſſime, ad domeſticum patronum, ſive temporum calamitas, ſive harum literarum, quæ tum inter prima habebantur, vel contemptus vel incuria deduxit. Quorum omnium ſolatia, in virtute tua & amore optimorum ſtudiorum, habeo. Vt judicium omittam, ad quod prima hujus ſæculi ingenia jam provocarunt. Nam in cæteris, ſic vivere incœpimus, vt contra ſapientiæ faſtidia, ab efficacitate illius & præſtantia remedium ſumamus: ea autem, quæ revera nihil præter apparatum quendam nudum habent & fortunæ ſtrepitum, ſuo modo metiamur. Quiſquis ſacras mentis occupationes æſtimat vt debet; mihi princeps eſt. qui beata ſapientiæ contemnunt ſtudia, non pluris ea facient, ſi iis

ſupplice-

ſupplicemus: nobis autem, id quod ſapiente viro eſt digniſsimum, periert; magnitudo animi, & contenta ſorte ſua felicitas. quibus equidem, nec illi, qui largiri poſſe cætera putantur, majus aliquid aut luculentius à Deo conſequuntur, aut donare nobis poſſunt. De reliquis qui eo vſque ſe abjiciunt, hi ipſi viderint. Hoc, vt ſpero, nec invidia negabit, nos, heroicam poëſin, iterum ad argumentum ſuum, hoc eſt, apicem humanæ ac divinæ ſapientiæ, transferre hic conatos eſſe. In quo Orpheus, Linus, ac Muſæus, tota denique illa prima ſapientiæ familia, aut invenit eam aut conſtituit: niſi quod Chriſtiano altius hic fuit aſcendendum. Vale frater jucundiſsime.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HIENSII

DE

CONTEMPTU MORTIS.

LIB. I.

ARGVMENTVM.

Primus liber continet doctrinam Platonicam, de vita ſecundum mentem: quæ in ſeparatione animi à corpore ac ſenſibus, & in vera cum Deo conjunctione, conſiſtit. Quod, eodem teſte, unicum Philoſophi eſt munus: unicum initium mortis. Quæ eſt, animæ à corpore ſolutio, & conjunctio cum ſummo Bono Cætera è Compendio librorum ſingulorum, jam, edito, petantur.

QVid mentem eripiat tenebris, quid pectore letum,
Seu mors ſponte vocat, ſeu tela adverſa minantur,
Eximat attonitis, animaſque aſſcribat Olympo,
Sanguine luſtratas terræ pelagique potentis,
Et fati, noſtrique, canam. Tu virgine natus,
Et vitæ Rex ipſe, fave. tu, maxime, vati
Auxilium, tu finis eris. Tibi noſtra carina
Siſtat inoffenſum ſupremo in littore curſum.
Namque tibi Grajorum omnis ſapientia ſervit,
Et Muſæ quæcunque tibi famulantur, & omnis,

Vt ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vt ſemel exorta eſt tua lux animoque refulſit,
Interit extemplo, longeque avertitur, error.
Ante alios quos aut annis prudentia major
Aut Muſæ aſpiciunt, Rutgerſi, in limine primo
Advenias, aureſque adhibe. ſeu munera noſtra
Iam tangis, floreſque legunt tibi mille Camœnæ,
Vt nuper, variaſque legunt cum floribus herbas:
Codanum ſeu jam ſuperas mare: ſeu tua Mavors
Regius, extremum patriæ converſus ad axem,
Ocia tota tenet, debellatorque trionum,
Iam triplici effulgens auro formaque decorus,
Diſtrictum, nullaque tibi jam parte vacantem,
Poſſidet, & Moſcho ſperata è frigore laurus;
Quicquid id eſt, quocumque agitas in littore curam,
Heic mecum ignavi paulum oblivíſcere leti,
Et fœdum indignumque viris dimitte timorem.
  Ipſe tibi, qua Moſa pater pulcherrimus errat,
Et Lingam Vahalimque vno complectitur amni,
Arboribus cinctam, & fœcundo gramine, ripam,
Diſpiciam, vento expertem, Phœboque furente.
Heic te Cecropides Muſæ, &, mea maxima cura,
Magnus Ariſtocles jam nunc expectat, & auræ
Indigenæ, virideſque parant occurrere Nymphæ,
Extremo Borea redeunti, & finibus Arcti.
  Principio pueris (namque hinc exordia prima
Ducere præcipio) cum ſenſim intendere mentem
Cœperit, & vocem moliri infirmior ætas,
Cuſtodem junge aſſiduum, vitæque magiſtrum,
Qui vitiorum odia, ac cultum virtutis honeſtæ,
Et dulcem ſenſim diſcendi inſtillet amorem.
Illum adeo, neque fœda Venus, neq; Maſſicus humor
Afflarit reſides animos, & inertia corda,
Ne furtim incautus contagia ducat alumnus,
Ingentiſque animi pulchro deſueſcat amori.
Illum autem primis mirari diſcat ab annis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Protinus: illius primos ab origine fontes
Mente adeat ſecum, divinaque ſemina luſtret:
Vt quondam omnipotens genitor, poſtquam humida regna,
Et terram, & vigiles cœli ſuſpenderat orbes,
Vnum inſpirarit, totieſque inſpiret ab alto,
In lucem quoties venturus concipit infans
Ætherium motum, & jucundæ exordia vitæ:
Omniaque ex ipſo jam tum deducat Olympo.
Nec de corporibus fluat, & poſt corpora reſtet,
Non mixtus, non compoſitus, puriſſimus in ſe,
Non vndæ pars aut flammæ, non ſimplicis auræ,
Non terræ. quamquam omniparens, quamquam omnibus altrix,
Quamquam tot facies animantum vberrima gignit,
Omnibus & dulcem pariter reſpondet amorem.
Quamvis & Cererem, quamvis & munera Bacchi
Didit, & arboribus gelidaque exuberat vnda:
Vt ventura ſimul tranſactaque ſæcula volvat,
Et rerum eventus dubios, formaſque, locoſque:
Tum mille egregias paulatim excuderit artes
Vſibus humanis; cum vita informis & excors,
Volveret in ſolis ignavum montibus ævum.
Quod neque flamma poteſt, nec humus, nec mobilis vnda,
Nec purus mixtuſve aër, nec ſi quid ab illis
Aut partem trahit, aut vireis deducit inerteis.
Ergo, non ſtellarum orbes, non lucidus æther,
Nec Lunæ albentes radii, aut Titanius orbis,
Quamquam igni illuſtris formoſo ac cornibus aureis,
Et picturatum toties decurrit Olympum,
Quantum animus poſſunt. nec ſe illi aut ſedula tellus
Audeat, aut vaſti facies componere ponti.
Nec vero, immenſus quanquam in ſe vertitur orbis
Ætheris aurati, terramque amplectitur omnem,

Quam

Quamquam tot populos vrbiſque ingentibus vlnis
Continet, includit meditantem aſſurgere, ſupra
Cœlum omne, & proprium naturæ accedere fontem,
Æternum cœli regem, vitæque parentem.
Præcipue, quoties altæ penetralia mentis
Recluſit, quoties in ſe divertitur ipſe,
Averſatus opum ſplendorem, & commoda vitæ,
Et quos ambitio mendax ſuſpirat honores.
Ille etiam, vitiorum vndas, fœdoſque tumultus,
Et tempeſtates ſubicit: populoque ſubacto,
Præcipiti inſano, turbaſque inferre parato,
Ipſe ſibi imperium & faſces tranſcribit honeſtos,
Purgatam includens intra ſua gaudia mentem.
Illa autem, excelſa ſedem ſibi legit in arce,
Indefeſſa, vigil: quantoque è corpore tardo
Longius exierit, tanto magis ardua fertur,
Orbem extra, & geminos cœli ſeptemplicis axes.
Non ſecus ac quondam tenebris & carcere rupto
Immitis caveæ, volucrum regina, repente
Dat plauſum cœlo ingentem, nubeſque repente
Linquit, & adverſo defigit lumina Phœbo,
Seque auras intra liquidas & nubila condit.
Ipſa igitur jungenda ſibi eſt, in ſeque vocanda,
Omnibus à rebus quas circumvolvitur aër,
Et quæcumque agitant mortales pectora curæ,
Aut conjurati collectam abducere ſenſus,
Mente relegandi tota, ſenſimque domandi.
Ne procul evectam terris, ſecumque putantem,
Aut rerum cauſas, aut magni ſemina mundi,
Culmine dejiciant tanto, volvantque deorſum
Reginam, famulorum inſtar, quos nulla lubido
Pulchrorum, nudique animum percuſſit honeſti.
Namque vbi tranquilla ſeſe in ſtatione locavit,
Atque in ſe abſceſſit penitus, ſeque ipſa recepit;

Tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Tum neque mors illam, nec iners Acherontis avari
Circumſtat formido, atque illætabilis horror.
Ac neque pauperies, neque vis inimica, nec vllus
Fortunæ fative aries tum mœnia pulſat
Pectoris edomiti, terrorve advertitur vllus,
Cum ſemel aſcendêre arcem delubraque mentis
Illuſtres animæ, cœloque autore creatæ.
Quippe hæret defixa ſibi mens, neſcia rerum.
Nec ſi terrifico fremitu ruat arduus æther,
Sentiat, aut tantæ ſperet ſupereſſe ruinæ.
Hanc adeo vitam, ex vero quæ vita vocanda eſt,
Principium leti divino prodidit ore
Magnus Ariſtocles: quia ſenſim excedere rebus,
Et nullo inſueſcit paulatim corpore niti
Mens animi, ſenſuſque excelſa avertitur omnes,
Hinc quibus affixa eſt penitus præſtantibus auſis.
Hanc animi vim nitentis pulchramque quietem,
Continuant leto, dulcique in imagine perſtant,
Ignari necis, & vitam inter gaudia fundunt,
Terrore haud vllo, haud vllo intercepta dolore,
Hanc vitam in terris cœlo delapſa canebat
Phænaretæ ſoboles. cui nulla à ſtirpe relicti
Iugera ruris erant, nulla vſquam armenta per herbam
Paſcebant, nulli vertebant arva juvenci,
Nulla domus, nulli majorum in limine vultus,
Nullus honos, nulla in patriam populumque poteſtas.
At ſupra fortunam animo proceſſerat omnem,
Liber & intrepidus: primaque in origine pulchri
Fixus & attonito ſimilis, dulcique furore
Suetus humum fugere, & mortales linquere curas.
Præcipue, venturum olim prævertere ſecum,
Molirique animo, & paulatim addiſcere letum;
Mentem abducendo rebus, corpuſque premendo
Ingentii imperio, dum ſenſus ſub juga victor

Mitteret, atque omnem rationis ſubderet hoſtem.
Totam illum perhibent hyberno ſidere lucem,
Et gelidam hyberno medioque ſub aëre noctem,
Duxiſſe, immemorem juxta vitæque neciſque,
Et libare dapes, & inertes ducere ſomnos;
Dulcibus affixum curis, animoque fruentem.
Ac neque præcipitem pluviam, cœloque ruentem,
Nec ſuper excuſſa crepitantem grandine nimbum,
Nec Boreæ horrorem immitis ſenſiſſe nec Auſtri:
Vſque adeo cunctos requierat pectore ſenſus.
Ipſe autem, membris, & inani parte relicta
Corporis, ignaruſque ſui, ſuper ardua tecta
Cœlicolûm errabat, celſoque inſtabat amori,
Devius, & pulchri divino percitus igni.
Cujus ab objectu, radios, & pontus & aër
Concipit, & lato quæ pendet in aëre tellus.
Candenti quales per noctem abſiſtere ferro
Cernimus, & crebram tenebris aſpergere lucem.
Hinc pulchræ in terris facies, campique virentes,
Hinc fontes, nemorumq; oculis gratiſſimus horror,
Hinc pecudes, formæque avium, vitæque natantes,
Exiles utcunque ſibi deducere partes.
Hæc idem, gelidam formoſi ad fluminis vndam,
Sub noto platani hoſpitio, projectus in herba,
Cantabat: multum verba inter ſingula mulcens
Cæſariem Phædri liquidam, atque argentea colla.
Hactenus, vt fœdis populum Pandione natum
Ignibus arceret, mentemque ab imagine pulchra
Duceret ad fontem. cujus, licet æthere ab alto
Tot rivi in terram, & ſpecies, & nomina manant,
Ipſum hæret, fixumque manet, neque cedit Olympo:
Et longe attonitam trahit ad ſpectacula mentem.
Sic cum purpureus radios per tecta domorum,
Aut nemore in magno, per opacas arboris vmbras,
Sol jacit; ipſe ingens ingenti corpore, nuſquam
Vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vel cœlo egreditur, vel noſtro interuenit orbi.
At lætis ea ſigna oculis cum luce viator
Intuitus, ſurgitque animo, totumque repente
Cogitat abſentem: quantus, cum mane recenti
Attollens caput Oceani rutilantibus vndis
Fertur in occaſum, vel cum ſua ſigna recenſet,
Et magnum cœlo ingrediens convertitur annum.
Idem vbicumque dabat latebram nemus, aut ſpecus atrum.
Aut late diffuſa comis errantibus arbos,
Omnia divinis loca vocibus, omnia dulci
Implebat monitu, & cœleſtis murmure linguæ.
Qualis pampinea pendens è fronde cicada,
Solamen ſenis agricolæ, ruriſque voluptas:
Curæ illi virides rami: totumque per æſtum,
Rore madens parvo, parvoſque amplexa Penates,
Pura inter lætum deducit gaudia carmen.
Hæc idem moriens, dulceſque amplexus amicos,
Singultus mœrentum inter lachrymaſque canebat;
Haud aliter ſummo digreſſus limine & ævi
Finibus, ac ſi lento olim confectus amore,
Nequicquam lento patriæ confectus amore,
Poſt longas hyemes, & tædia mille laborum,
Linqueret exilium: parvos tum denique natos
Viſurus, ſanctamque domum, caſtumque cubile.
Nec ſecus educens gelidæ medicata cicutæ
Pocula, quam ſi vere novo, cum pingitur annus,
Et lux Cecropidis, Baccho gratiſſima, venit,
Flore comam multo, & frondenti vinctus anetho,
Nectaris in menſa latices libaret, & vltro
Rorantem pateram ſublato educeret auro.
Illum ergo patriæ fruſtra fleviſtis Athenæ,
Illum Nymphæ omnes, illum Nereides omnes
Extinctum flevere. illum Tritonia virgo,
Actæos inter colles, deſertaque Theſei

Littora.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Littora. nec queſtu aſſiduo ceſſavit Hymettos.
Illius quanquam volucres, quanquam omnia mella
Viciſſet moriens ſuppreſſæ flumine linguæ.
  Te furiis ſæviſque odiis moriente tuorum,
Phænaretæ puer, albentes ter rupit amictus,
Ter laniata comas, terris diſcedere viſa eſt
Infelix Sophie: ter euntem maxima Pallas
Obvia detinuit. tandemque in pectore magni
Hæſit Ariſtonidæ, gentique inſedit iniquæ.
  Hos igitur ductus atque hæc exempla premendo,
Prima quidem pulchro pandetur ſemita leto,
Et recta è terris dabitur via; ſi neque rebus
Hæreat, aut curas in ſe traducat inertes
Semotus fixuſque animus, neque cedat amori:
Luminibus qui ſponte ſua gratiſſimus vſque
Inſinuat, nareiſque aliquo contingit odore,
Aut tactu mille inſidias molitur & ori,
Aut captas totidem inſidiis circumvenit aureis.
  Quippe hinc, principio non intellecta voluptas
Naſcitur, & lenes intentat pectore motus
Illa quidem primo, multaque intervenit arte.
Mox autem, & ſceptro patrio, pulchraque tiara
Exuit, & formas paulatim vertit in omnes
Palantem, & magnis nequicquam ardoribus actum.
Exilium quamvis ſæpe indignatur, & æthram
Suſpicit infelix, & quem dimiſit Olympum
Fixus humi, multaque inter caligine ſeptus.
  Scilicet ignavos deludunt plurima ſenſus,
Perque vias quinque ingenii mentiſque miniſtras,
Obſcurus vitio morbove illabitur error,
Aut ſpatio. Nam ſponte ſua concurrere menti,
Vt magno inter ſe devincti fœdere reges,
Feſtinant oculi, nec mens averſa tuetur,
Imperio poſtquam eſt dejecta & culmine veri,
Fallentes: gaudetque adeo, deceptaque turbam

Decipit,

Decipit, & denſam diffundit plurima noctem
In populos, nullamque fidem non invénit vſquam.
Nonne vides, vt ſæpe alios mentita colores
Aëra per liquidum formoſa expanditur Iris,
Sole ſub adverſo, radiiſque obliqua refulget?
Hoc ſine nil magnum fieri & memorabile jactant
Attoniti vates, oculiſque autoribus vſi,
Paulatim blandis ſuadentes omnia dictis.
Nam modo præcipitem cœlo Saturnia mittit,
Audacem ad Turnum: nunc torvum affatur Achillem,
Inſpiratque animos, & ſævas ſufficit iras.
Illa quidem nuſquam eſt. quippe igni illuſtris & auro,
Fulgentes radios, multoque ardore trementes,
Nubibus impingens mediis Phœbējus orbis,
Decipit incautos adverſo lumine viſus.
Sic oculis pulchrum mirati currere Solem,
E terris, dixere Deum: Lunamque per aras,
Supplicibus votis & ſalſo farre piarunt.
Nec viſu tamen vlla magis cui credere poſſis,
Diſcendi ratio eſt: cum ſæpe & lumina fallant,
Seu facie decepta loci, ſive aëris ictu,
Et magis incertos fruſtrentur cætera ſenſus. (per
Hinc amor, hinc peſtes animorum: hinc credula ſem-
Spes, hinc relligio fallax, vanuſque Deorum
Terror, agens nubem immenſam, propuloſque per omnes
Europæ lapſuſque Aſiæ, qua maxima Roma,
Victrices Aquilas emenſo prætulit orbi.
Hinc metus ille acer, primoque in limine leti
Haud raro exhauſtis incumbens viribus horror.
Quem ni docta parens, arcani conſcia veri,
Dum molles animi, dum ſponte inflectitur ætas,
Evertat ratio; mox ipſa invita recedit,
Et victo haud lætos avertit pectore vultus.
Nil igitur credendum oculis. mens ſola tuetur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Nec fallit: mens ſola audit, neque decipit vnquam.
Quin etiam, pulchro conatu avertit, & vſu
Vitali, æterno libatam numine mentem,
Quicquid agit ſenſus, ſenſuque illabitur acto.
Nonne vides, quoties nox circumfunditur atra
Immenſi terga Oceani terramque polumque,
Cum rerum obduxit ſpecies obnubilus aër,
Nec fragor impulſas aut vox allabitur aures,
Vt nullo intuitu mens jam defixa, recedit
In ſeſe, & vires intra ſe colligit omnes?
Vt magno hoſpitio potitur, ſeque excipit ipſa
Totam intus: ceu juſſa Deûm diſcumbere menſis.
Nam neque ſic illam ſolido de marmore tecta,
Nec cum porticibus capiunt laquearia centum
Aurea, tot diſtincta locis, tot regibus apta,
Quæſitæque epulæ, Tyrioque inſtructus ab oſtro:
Vt gaudet ſibi iuncta, ſibique intenditur ipſa,
Ipſa ſibi tota incumbens, totamque pererrans,
Immenſa, immenſam ſpacio, longeque patentem.
Seu dulces inter latebras Heliconis amœni,
Et ſacram Phœbi nemorum divertitur vmbram,
Fœcundum pleno exercens ſub pectore numen:
Seu magno qui jam in populo dicturus, inerteis
Explorat voces, & verba decentia nectit,
Cuncta animo ſæpe explorans, cuncta ante pererrans,
Quam linguæ temere officio committit, & oris.
Seu cauſas rerum occultas & ſemina volvit,
Et queis fœderibus conſpiret maximus æther,
Neptunuſque pater, telluſque, atque omnia gignant:
Siccaque concurrant liquidis, frigentibus ignea,
Quæ nunquam paſſa interitum volvuntur eodem
Ex aliis: eademque manent, mutataque ſurgunt.
Sive altum virtutis iter ſubducit, & almas
Molitur leges, queis fortunata juventus
Pareat, ac pace imperium tutetur & armis.

Nam

Nam neque tum primi comites ſurgentis Eoi,
Sub ramis volucres incendunt aëra cantu,
Latratuſve canum, fremituſve auditur equorum.
Quippe tacet nemus omne: tacent vrbeſque feræque.
Sed neque tum pictis gemmantes floribus horti,
Nec liquidi fontes, nec ſaxa virentia muſco,
Nec cœli apparent aulæa, & ſplendidus ordo
Aſtrorum, volucreſque vagæ, facieſque ferarum,
Nec magno Oceani diffuſum gurgite corpus:
Cæteraque inter ſe innumeris diſtantia formis.
Namque & humus ſpatioſa, ſuos induta colores,
Quos Phaëtonthis equi illuſtrant caligine pulſa,
Cum lucem infundunt rebus, jam nocte peracta,
Circum oculis mille illecebris, & millle figuris,
Blanditur, paſſimque aciem traducit ovantem:
Multaque per noctem, quoties Latonia vultum
Exerit, & totum ſubduxit nubibus orbem,
Objicit attonitis incorruptiſſimus æther,
Lumina quæ rapiunt oculorum. ea concita porro
Illiciunt mentem: ne qua conſiſtere poſſit,
Et vitæ aſſiduum nectunt mortalis amorem.
At neque virtutem, neque ſi quid corpore toto
Pulchrius eſt, oculorum acie luſtramus: vt artes,
Quæque tenet primas vitæ Sapientia; cœli
Inconcuſſum, ingens, & non mutabile donum:
Nec pulchrum, pulchriq; apicem, cui naſcimur omnes.
Adde, quod in ſeſe rapitur mens ſola, Deumque
Fertur in autorem, ſurſumque attollitur vltro,
Quanquam aliena loco, propriiſque ex ſedibus acta:
Vt gravis incerto ſi ſidat in aëre tellus,
Aut levis incumbat terræ penetralibus ignis.
Huc autem, in ſeſe revocata, à corpore toto,
Omnibus & rebus, tandem vt ſecluſa feratur,
Proximus huic labor & vincendi janua leti eſt.
Nonne vides, vt terra ſibi feſtinat & aër

Conjun-

Conjungi, flammæque leves, & mobilis humor ?
Non aliter primæ mens noſtra accedere menti
Ardet, & ex ipſa rapitur caligine ſurſum,
Vulcano aſſimilis: ſubito ſeu forte coortus
Vrbibus in mediis, ſive illum incautus arator
Sparſit, & vndanti nequicquam occurrit; in altum
Sponte ſua rapitur, nubeſque & ſidera lambit.
Iam quoque ſponte ſua, flammæq; aſſurgeret inſtar,
Intendentis iter ſurſum, flammamque petentis,
Ni gelida & cœlo premeret contraria moles.
Quæ prius heic ſubigenda diu, multumq; domanda eſt,
Non raſtris, duriſve ligonibus, aut bove juncto
Multum invertendo. Sed enim vi mentis & vſu
Expugnanda prius tardæ contagia matris,
Et luxus elementa, modis hærentia miris.
Nec magis agricolam ſuadebo intendere meſſi,
Ne ſterilis vires impune aſſumat avena,
Aut infelices dominentur frugibus herbæ :
Quam male fœcundas vitiorum incidere fibras
Pectore, quam totas errorum exurere ſylvas,
Si quem cura manet divinæ incumbere menti :
Vt domita tandem tellure, exſurgat in altum
Ignis, & occultæ purgentur ſemina flammæ :
Nec depreſſa ſolo maneant, cum poſtulat vſus,
Luſtratas animas æternis jungere rebus.
Nec tibi ſit victus ratio poſtrema, ſed acres
Deſidiæ ſtimulos modicis avertere menſis,
Et quas Naturæ ſponte indulgentia donat.
Si non appoſitas incurvant pondere lances
Viſcera toſta boum, volucremque incognita mittit
Phaſis, & extremo quæ paſcit in æquore Nereus :
At virides adſunt herbæ, telluris alumnæ,
Lactucæ, malvæque leves, cœnæque Deorum,
Innocuæ caules, lapathumque, acceptaque ventri
Intuba, nec craſſum mox inductura ſoporem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et quæ Palladia carpuntur ab arbore dona;
Vvaque pampinea paulatim educta ſub vmbra,
Seu nova, ſeu veteres expreſſa eſt arida ſuccos,
Aut malum irriguum, aut prunorum cereus ordo.
At Cererem non celat humus, nec deficit vnquam,
Exiguus, natuſque ſitim reſtinguere rivus.
Has epulas menſaſque olim poſuere Cleanthes,
Carneadeſque pater. Spectabant ſidera magnos
Artifices veri, deſerta in valle ſedentes,
Et totus dabat aſpectum cœnantibus æther.
Obducunt animum diſtentæ ſanguine vires,
Ne cœlo attollat faciem, ſed, mollis & excors,
In Venerem ruat, & fœdos ſuſpiret amores:
Nec magnum leti contemptum in pectore verſat
Vvidus aſſidue, multoque oppreſſus Iaccho:
Oblimatque aciem verſæ ad ſublimia mentis.
Contra autem, quoties in ſe tenuiſſima fertur,
De rebus quamquam exiguis, ceu numine tacta,
Iam felix, jam plena ſui, defixa moratur.
Votorum vt penitus, penituſque oblita laborum,
Non nocti, non Phœbe tibi, diſcedere victa
Geſtiat, aut alias meditetur volvere curas.
At magis, immotæ quoties jam dedita formæ
Hæret, & æternæ; mundi prævecta quod vſquam eſt,
Et rerum quaſcunque tenet vaſtiſſima moles:
Quæ licet immenſos aperit qua cernitur artus
Vndique, tot membra oſtentat, quot terra poluſque
Explicat ante oculos; tamen & compagibus iiſdem,
Iiſdem principiis, atque ortu ſurgit eodem.
At ſupra, rerum genitor ſedet, omnibus expers
Seminibus, menti occurrens, ſupraque locatam
Sublimem hunc æquo ſuſpenſum examine circum,
Vltima quem proni definit linea mundi,
Supra materiem leti, ſupra omne, quod vſquam
Carpitur, & primum vitales exit in auras,

Natali

Natali luce involvens. ea prima voluptas,
Hoc vitæ auſpicium venturæ fata dederunt,
Hoc pignus pater omnipotens. hoc denique leti
Dulce rudimentum: mens vt luſtrata, ſuique
Aſſueta imperio, naturæ juncta quieſcat
Æternæ fixæque, Deumque intelligat vna;
Iam pulchri patiens, quantum fas corpore junctam,
Ignavoſque habitantem artus, terrenaque membra.
Illum autem, noſtris iterum ſejungere rebus
Convenit. Hæc via prima datur, qua diſcere numen
Incipiunt animi, primæque occurrere menti.
Vt ſi corporeum, & nigræ concedere morti,
Aut genitum factumve neges: quæ ſingula nobis
Conveniunt, neſcitque Deus. Sic ſurgere primum
Aude hoſpes, limenque aperi flammantis Olympi.
Qnin etiam, immenſus veluti atq; illuſtris amictus,
Quem mille artifices vultus ac mille figuræ
Vndique circumeunt, & lato circulus auro,
Deducenda tibi, tellusque, & pontus, & æthra;
Corpora nunc oculis quaqua obverſantia noſtris;
Vt magnum invenias ac non mutabile numen.
Huc vbi pervenit noſtrarum maxima rerum,
Creſcit, & vlterius, ſeu per veſtigia, tendit:
Iamque illi omnipotens, poſito velamine, circum
Apparet. videt æternum, immenſumque tuetur:
Oceanum vitæ ingentem formaſque caducas
Eluctata, vagas ſemper, ſemperque natantes:
Vt cum Carpathio, aut Ionio in magno,
Volvitur, & ventis & fluctibus obvia pinus.
Quæ ſibi ne præcluſa gemat mens ignea, neu quem
Triſtis, & infelix, ſpe nulla exerceat, error,
Vtque animo penetrare acri magis ardua poſſit;
Ipſe Deus toto manifeſtus numine terras
Intravit; pulchri effigies totius, & omnes
Detulit ignaris adituſque expreſſit Olympi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hinc trinum, non nota prius, miramur in vno,
Et ſemper geniti damnatam ſanguine mortem.
Quippe adeo pater omnipotens, lex vltima rerum
Deflectens in ſe aſſiduo, ſeque ipſe volutans
Purum intus, letique omni contage remotum,
Concepit, fuditque ſuo de numine numen,
Mens totus, mentemque ſuam, totumq; quod ipſe eſt,
Cujus in amplexu, dum ſe, pariterq; quod vſquam eſt
Aſpicit, & nati fœcundum exercet amorem,
Omnia produxit, vaſtumque effinxit in orbem,
Sublimeſque animas ignavos fudit in artus.
Hinc lucem dulcemque diem libamus, & auras
Ducimus ætherias, magnæque exordia vitæ:
Cujus in excelſa defixit ſemina mente.
Quæ, velut attritu ſilicum, cum flamma repente
Diſſilit, ingentes, in ſe decurrere juſſa,
Concipit & radios, & magnos concipit ignes.
Quos famæ in gremio poſitos, Dea læta per auras
Abripit in populos, ſeroſque amplexa per annos
Poſteritas tenet, & leti ſecura vetuſtas.
Nam ſacer æternuſque, nihil contingere majus
In terris animus, cœlo demiſſus ab alto,
Se potuit. non ſi pulchro ſe involvere Phœbo
Tendat, & aſtrorum mediis immittere formis.
Nec natum Clymene, ſummo licet æquore cœli
Flecteret alipedes, patrioſque accenderet ignes,
Altius exceſſiſſe homines terramque putandum eſt.
Quam cum ſepoſito diverſæ à corpore mentes,
Admiſere Deum: quam cum, dîs ſatus Ariſto
Quem genuit, jam magna canens, nec cognita vulgo,
Aſpicit alato genitorem incedere curru
Cœlicolum: quem tota acies comitata Deorum,
Viginti circum ordinibus diducta, cohortem
Explicat, & magnos in ſe convetritur orbes.
Hoc opus, illuſtres animæ, dum corpore clauſæ
Degitis,

Huc verſam pelago è medio ſubducite puppim:
Heic ſupra populorum vndas, & inertia vota,
Et regum ſolia, & dominorum aſſueſcite ſceptra,
Ire viam, terræ ignotam, & mortalibus ægris.
Primus ego, magna ingrediens ſacraria vates,
Arboribus clauſa, & circum obnubentibus vmbris,
Aoniam qua nulla notant veſtigia rupem,
Inſtituam luſtrare animos rationis egentes,
Et ſecum exortam cœlo ſecedere mentem,
Præcipiam, licet in media tellure vagantem.
Atque heic depictæ facies in limine primo
Aſtabunt, fractis immanes cornibus amnes,
Cocytus, triſtiſque ardor Phlegethontis avari,
Et leti tremor, & nigri vis pallida leti.
Tum pulchri quæcunque animos ſub nomine ducunt
Intexam, dum vita manet, dum corpus inane
Volvimus, & primo ignari deflectimus ortu;
Clari ingens operis vixque enarrabile textum.
Principio, quicunque poli venere ſub auras;
Sponte ſua, ſive hoc ratio dedit inclyta; pulchri
Subluſtres radios mortali in corpore verſant,
Veſtigantque alte, & magno rimantur amore.
Namque alii (lato ſuſpenſam hanc aſpice cœlo
Congeriem) verrunt abiegnis marmora palmis,
Aut freta decurrunt gelidis exercita nimbis,
Et verſas alio convectant littore merces.
Effodère alii venas & viſcera matris,
Ditem vſq;, atq; Acheronta atrum, noctiſq; receſſus.
Tantus amor terræ, tantumque ab origine prima
Deficiunt. Mavortem alii letumque laceſſunt,
Vt patriæ ingentem referant cum laude triumphum:
Atque hos, magnanimi faſces, & eburneus axis,
Ereptos populo, trahit ad faſtigia rerum.
Educunt natos alii, parvoſque nepotes,
Venturam generi ſeriem, & ſolatia leto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Occupat interea non obſervata ſenectus
Errantes animas, verſaſque ad cætera mentes,
Nec pulchri memores, nec ſoli incumbere vero.
Mors autem, longe abſentes, longeque vagantes,
Interea dum vota calent, dum ducitur ætas,
Antevenit. Qualis celſa ſub rupe columbam,
(Illa quidem natos dulceiſque reviſere nidos
Deproperat, gratamve ſuis circumſpicit eſcam)
Venator ſubito accipiter deprendit, & atris
Vnguibus impediit, ſpeſque intercepit inanes.
Illa autem, ſecura prius, neque conſcia leti,
Vitam interceptam media ſub nube relinquit.
Haud aliter mors ſæpe manum volventibus ardua
Injicit in medio, primaque in ſede reponit
Errantem, & cæco luctantem in carcere mentem.
Cujus opus, non argenti fulgentis, & auri
Celati infectique ardor: non gloria Martis
Didita per populos, nec ebur faſceſque ſuperbi,
Quæ nunc attonitis accendunt pectora curis.
At vero, immotos in ſe convertere vultus
Luſtratæ puræque animæ: quam grandia ſemper
Gaudia circumſtant, & non aliena voluptas.
Quo neque degeneres fluxæque è corpore curæ,
Nec leti imperium mœſtuſque admittitur horror.
Quippe & principium vivendi, & terminus, heic eſt:
Vnde & ſidereæ cœleſtia ſemina mentes
Deducunt, tenduntque iterum, cum mole ſub atra
Corporis, è tenebris veluti, aut è luce maligna,
Ingentes oculos intendunt lumine toto.
Exutæque, nihil majus, nihil amplius vſquam
Inveniunt, neque jam vlterius contendere poſſunt.
Vt cum flumina vaſta, diuque exercita curſu,
Seu pater Euphrates, ſeu longe exortus Hydaſpes,
Oceanum invenere, manent. neque cernitur vltra,
Nuſquam circumſcripta ſuis jam finibus vnda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Haud ſecus illa, diu facies jactata per omnes,
Siſtitur heic tandem, factoque heic fine reſidet,
Æternum manſura polo terriſque ſuperſtes.
Namq; illud, quacunque patet pulcherrimus æthra
Flammifera polus, incumbens pelagoque ſoloque,
Ardebit, mente incolumi, mentiſque parente.
Scilicet & rerum nunc fœcundiſſima tellus,
Vna parens frugumque eadem, pecudumque virûmque,
Stabit, anhela, tremens, ſquallenti torrida vultu,
Flammarumque globos liquefacta ad ſidera mittet,
Cum gemitu fluviorum, atque indignantibus vndis.
At ſuper horrendo mugitu, maximus æther
Concutiet trepidantem ; abruptis vndique nimbis
Fulmina præcipitans, tempeſtateſque coruſcas,
Et late ambuſti volvent incendia montes :
Vaſtus Athos, multaque coma conſpectior Hæmus,
Gargaraq;, & Rhodope, Tmoluſq;, & Pindus, & Oeta,
Emathiuſque Erymanthus, & imbrifer Apenninus.
Ipſe pater denſam provolvens pectore noctem,
Immaneſque humeros glacie liquefactus & ora,
Excutiet lapſis axem cervicibus Atlas.
Pondere quo polus omnis humo ruet, & ruet omnis
Tellurem ſparſis involvens ignibus æther.
Aurea nec cœli evadent ſimulachra, nec ipſe
Oceanus genitor, ſpumoſo turbidus alveo,
Gurgite qui rauco ſolidum circumtonat orbem.
Quare agite, & mentem peritura evolvite mole,
Æternoſque animos certis affigite rebus.
Hoc opus, obſcuro digreſſus corpore & vmbris,
Spiritus, & cæca membrorum lege ſolutus,
Perſequitur, totuſque in ſe diffunditur ipſe,
Et letum, non exigua jam parte peractum,
Excipit, atque animum poſcenti reddit Olympo.

DANIELIS HEINSII

LIB. II.

DE CONTEMPTU MORTIS.

ARGUMENTUM.

Secundus liber multis rationibus ac copioſe docet, quare mors ſit contemnenda. Ac primò, quanta vitæ ſit calamitas: tum quo pacto animus ad contrariam de morte opinionem, & contemptum ejus, præparandus ſit. quæ agenda in hanc rem, quæ fugienda. Qua occaſione inter cætera, multis argumentis animæ probatur immortalitas.

HActenus affixam tenebris, vitamque per omnem
Senſibus obſeſſam, cœli ad primordia mentem
Duximus, & patriæ errantem donavimus, ante
Funere quam ſummo mortales exuat artus.
Nunc munire animum vera ratione docebo
Ante obitum. Da, nate Deo, dum pectore major
Spiritus exoritur, felixque illabitur ardor,
Hactenus ignotum populo decurrere campum.
  Regum ordimur opus, terrorem attollere ſupra
Fatorum, letique avidi ſemperque minantis,

Palan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Palanteis animos. quo nec ſuprema poteſtas
Sponte ſua vexit trepidos, nec purpura, nec quæ
Signa per evictas attollunt plurima gentes.
Hoc circum, quodcunque poli fulgentia tecta,
Et late extremis deſcribit finibus æther,
(Vt vero ſemota procul ſententia dictat)
Fortunæ domus eſt. Quam magni rector Olympi,
Mutantem ſummis ima, & ſine more ruentem,
Dirigit, ac preſſis ex alto adducit habenis,
Providus: ipſe autor rerum ac ſuprema poteſtas.
At quantum penetrare homini ratione negatum eſt,
Eventuſque animo, & cæcas diſtinguere cauſas,
Fortunam miſeri dixêre. Hanc triſtis Egeſtas,
Et Labor, & miſeranda Fames, & mille dolores,
Et totæ morborum acies comitantur euntem.
Ergo vbi, curarum in medio, ſæviſſima mater
Depoſuit Natura hominem, cœleſtibus ortum
Seminibus, vitæ impatiens in limine primo,
Perſonat ingratas querulis vagitibus auras,
Et naſci invitus, ſuperos teſtatur & aſtra.
Quoque magis flammæ liquidos ſub pectore motus
Hauſit, & æterni radios libavit Olympi,
Hoc magis ignavi detrectat corporis artus,
Vt male conveniens animo atque ignobile pondus.
At quibus egelidus circum præcordia ſanguis
Torpet, hebentq; animi moribundo in corpore vires
His neque libertas ſtudio, neque meta laborum eſt.
Quin magis atque magis portu tremuere ſub ipſo :
Admoniti quamvis Fortunæ crebra minantis
Fluctibus, & ſævas experti numinis iras.
Vſque adeo totis inſedit ſenſibus error.
Quocirca, trepidæ meditari incommoda vitæ,
Suadebo, ancipiteſque vias triſteiſque dolores,
Funditus ex imo pavor vt ſe pectore migret:
Illius inque locum ſubeat tranquilla voluptas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et vitæ deſpectus, & alta incuria leti:
Queis ſine nec dulces fas eſt deducere luces,
Nec cœlo, oblitam terrarum, attollere mentem.
Ac neque monſtrandi labor impendendus inanis,
Quæ ſua quemque premat ſors, aut inviſa ſequatur.
Ante oculos namque innumeris volitantia formis
Objecêre Dei damna, ingratoſque labores,
Funeraque, ignaris mortalibus: impius ex quo
Iäpetionides æternum ſuſtulit ignem,
Et nondum genitas damnavit munere genteis.
Sive, ut priſca canunt majorum oracula vatum,
Et melius chartis divini prodita Moſei,
Poſtquam interdicta libavit ab arbore fructus,
Telluris ſoboles, & noſtri ſanguinis autor.
Hinc fera diluvies ſerieſque immenſa malorum
Protinus incubuit generi, comiteſque dolores
Et majorum agitant contagia fœda nepotes.
Cuncta autem, neque qui numeros rimatus arenæ eſt,
Delius, & veteres populorum oracula Delphi,
Nec Dodonææ referant ex ordine quercus.
At libertatem, cœli ſuper ardua tecta
Ætherius poſuit genitor: quo pergere magnæ
Feſtinant animæ, mœſtiſque excedere rebus
Corpore depoſito, totamque intendere mentem.
In primis, ne quæ fati venientis imago
Occurrat trepidanti, interque, errore recepto,
Nequicquam capiat ſecuræ gaudia vitæ,
Virtutem excelſam induitor, quæ pectore toto
Contemptum inſinuet rerum, vitæque, neciſque,
Ardenteiſque intus ſtimulos accendat honoris.
Quam tibi, vel vitæ ratio regina tuendæ,
Et leti ſola imperio ſapientia major,
Vel veterum repetita dabunt exempla virorum:
Seu Phœbo, ſeu quis Mavorte invictus & armis,
Pertulit inſtantem ſublimi pectore mortem:

At

At ſervare alios longeque arcere decebit,
Quos pavor ille agitat, ſenſuſque obſedit inertes.
Nec tam contagem horruerim, aut quæ crimine cœli
Ducitur, & totam paulatim paſcitur vrbem,
Orta lues. fuge ſingultus lamentaque, pubes,
Et mœſtos gemitus, ſævaſque in pectora palmas,
Et quæcumque adhibent natorum in funere matres.
At non ſic Scythiæ populi, & quos Thracia nutrit,
Thracia frigoribus damnata, & triſtibus auris;
Namque vbi quiſque videt cœli ſpirabile lumen,
Et primum admiſſus ſub lucem vagiit infans,
Exululant cuncti pariter, gemituque ſequuntur,
Et miſtum lachrymis plangorem ad ſydera tollunt.
Scilicet errorum memores, memoreſque malorum,
Et quibus infelix ſub curis ducitur ætas.
Contra autem, læto venientem murmure mortem
Excipiunt, fauſtoſque vocant, quos optima rerum
Eripit è tenebris, tutaque in ſede reponit.
Sed neque facundos ſuadebo accedere vates,
Plurima dictantes, teneris quæ mentibus hauſta,
Terrorem leti ingeminant, & imagine multa
Circumerrant animum: ne cœlo attollere pectus
Diſcat, & infractos gelida formidine ſenſus.
Sive ater Phlegethon miſta caligine & igni,
Vndantem exhalat nebulam: ſive vndique, cæco
Pallenteis novies Styx ambit gurgite manes:
Seu cum Tiſiphone tortos implexa colubros
Intonat, & triſtes intendit ſontibus iras.
Seu Curæ in foribus ſtabulant, Luctuſque, Dolorque,
Scyllæque, Harpyjæque, ardentiaque ora Chimæræ:
Seu Priami magnuſque Aſiæ populator Achilles,
Dejectis nequicquam oculis, Acheronte ſub imo,
Multa gemit, luciſque animum dulcedine paſcit.
Demens! quem nec ſervitii pudet æthere in alto,
Vt dulces redeat poſt fata in luminis oras.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Hos illi Troiæ proceres, hos maximus Hector,
Optarent animos, cum Xanthus cædibus atris
Heroum traheret ſpumantem turbidus amnem:
Aut cum Priamiden perfoſſum vulnere multo,
Trajectumque pedes ambo, ter mœnia circum
Volveret, & Phrygio gemeret ſub pondere tellus.
Dii vocem, Dii cuſtodes virtutis avitæ,
Tollite de medio. nec ſit mihi diſcere tanti,
Sub gelida quæcunque latent tellure repoſta.
Tota licet longas meditatur Græcia laudes,
Fortunatorum nemorum, ſimileſque receſſus
Roma antiqua canit. quos puro candidus amni
Irrigat Eridanus, præterque innoxia rura
Labitur, & nunquam morientes educat herbas.
Nec minus, imbelles animas, quibus igne medullas,
Mobilis Æneadûm genitrix, Cythereia fixit,
Vitare admoneam: dum leni carmine fingunt
Molle genus, ſexumque colunt rationis egentem,
Et cui rara viam cœlo conſtantia fecit.
Virtutem quippe excutiunt nervoſque rigentes
Pectoris, illecebræ, mentique exoſa voluptas.
Quin potius, doctis Academi inſiſtere ſylvis
Expediet, dulceſque ſenis demittere in aures
Cecropii monitus, & dicta vndantia melle.
Eſt quoque culta viris antiqui porticus ævi,
Munimentum ingens, & duro robore fultum,
Tempeſtatem animi contra, letique pavorem:
Quo non vlla magis trepidos ſententia firmat,
Nulla magis duros adigit perferre labores,
Et fati immodicas elidit pondere vires.
Prima, vt fama tenet, poſuit fundamina quondam
Amphitryoniades, juſſis agitatus iniquis
Rege ſub Euryſtheo: poſtquam Styga reppulit atram
Victor, & emeritus laudum, tulit aurea mala,
Magnorum poſtrema operum. quem pone ſecutus,
Impiger,

Impiger, & multi patiens ſudoris Vlyſſes;
Mox alii atque alii: gens nulli pervia ſorti,
Caſibus aut dubiis, ipſique impervia leto.
Nil deforme viris, niſi quod pulcherrima virtus
Neſcit, &, intactum vitio, damnavit honeſtum.
Nec metuendum vltra. non ſi ruat æthere toto
Iupiter, & rupto ſubſidant omnia cœlo.
Cætera, Naturæ imperium, ceu ſidera mundum
Lapſa per immenſum, communi lege ſequuntur:
Nec ſecus exceſſere orbi lucemque relinquunt,
Quam cum purpureum Lunæ premit orbita Solem,
Aut Lunæ excluſit radios Cybeleia mater:
Aut motus cum terrificos hauſtuſque locorum
Accipit obſequiturque eadem juſtiſſima tellus;
Fatorum comites, & mundi ingentis imago.
Hi neque Naturæ fieri ratione docebunt
Terrorem leti egelidum. quia quicquid ab illa eſt,
Æternum immotumque manet, neque tollitur arte,
Aut vſu aſſiduo. nec enim non vſſerit ignis,
Aut ſurſum ferri aſſuerit denſiſſima moles.
Ille autem, neque cunctorum præcordia juxta
Sollicitat, ſenſimque acris dediſcitur horror.
Hos ſectare igitur, curamque interfice leti.
  Nec forte obfuerit, verſantem extrema Catonem
Objeciſſe oculis, dum ſævi in limine fati,
Fortunam increpitat, libertatique jacenti
Immolat inconcuſſum animum, pectuſque reſolvit,
Et quæcunque tulit gentis documenta ſeveræ,
Zenonis prolapſa domus magnique Cleanthæ.
Ni rigor exſuperans atque inclementia, multos
Arceat; ingenuos Naturæ exſcindere motus
Aggreſſa audaci ſtudio, duroque labore:
Et magis invitet facilis ſapientia mentes:
Nec niſi ſponte Dei præſcriptam abrumpere lucem,
Actæus ſub morte canens oracula vates,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Cenſeat, & patri ſoboles æquæva Tonanti;
Vna ſalus noſtro generi, & vitalis origo.
Quin potius, magnum Othryaden, Thebiſque profectum
Ductorem intuitor: clypei qui tegmine ſalvo
Exultantem animam mediis immiſcuit aſtris.
Romanos autem ante alios, interrita bello
Pectora: tum quoties trepidæ in diſcrimine palmæ
Fata manus, patriæque anceps fortuna popoſcit,
Et blandæ vetuit libertas parcere vitæ,
Devicta toties referentes morte trophæa.
Contemplator item ſpatium ſeriemque vetuſti
Temporis, ac metire animo quodcunq; peractum eſt:
Aſpicies raptis alios ſuccedere: porro
Ex illis aliam atque aliam ſuccreſcere prolem.
Non aliter, quoties elato gurgite Rhenus,
Sive imbri inſolito, ſeu tempeſtatibus auctus,
Innumerum poſt ſe veniens rapit agmen aquarum:
Vnda vndam trahit: illa novam ſuperattrahit vndam.
Sic atavis proaviſque ſupervenere parentes,
Et longe poſt nos venturum ducitur agmen.
Præterea, ſi rite animo ſubjeceris ante,
Illorum, quos quemque ſuo tulit ordine letum,
Virtutem, mentemque altam, præclaraque facta:
Lumina tot periiſſe virûm, tam certa videbis
Pectora, ſanguinei tot fulmina tantaque belli:
Ænean Anchiſiaden, ſuperiſque minantem
Ardentem Æaciden, & vim Telamone creati,
Immanes ſeptem volventem in prœlia tauros.
Adde tot egregias animas, Heliconis alumnas:
Mœonidæ decus æterni, magnumque Maronem,
Et Coum Samiumque ſenem, ſuperiſque ſecundæ
Mentis Ariſtoclen: divino cujus ab ore
Dulcior aërio manavit nectare ſermo,
Quamquam illum & cœlo, & longis majoribus ortum
Neptu-

Neptuni de ſtirpe, tenet mirata vetuſtas.
Adde animas, adde heroas quos vidimus ipſi.
Iuliaden magnum inprimis: qui mente ſub vna
Omnia complexus, perque omnia ſæcula vectus,
Gentibus eripuit lumen, cœloque dicavit.
Ergo tot populi attoniti didicere, tot vrbes,
Egreſſum terris: & ſenſit turbidus æther,
Nec Soli radios expreſſit pallida Phœbe.
Ante & magnanimo nil quicquam Cæſare majus
Tempora per faſtoſque ſuos diſtincta vetuſtas
Produxit: quem ſumma dies tamen addidit vmbris,
Et nunc vndoſo prælabitur amne Garumna.
Quin etiam, cecidiſſe altas cum molibus vrbes
Aſpicies, ſimul effuſam per ſæcula retro
Incipies totumque ævum dimittere mentem.
Ipſe vides: jacet ante oculos, orbique ruinam,
Et ſparſam tota oſtendit per mœnia mortem
Roma parens: quamquam ſpoliis immanibus alto
Et tot culminibus quondam ſe infertet Olympo.
Parva loquor: nec digna ſatis vertigine tanta:
Sæpe etiam virides parvo poſt tempore campos,
Vidimus è medio Neptuni aſſurgere regno:
Et mare nunc medium eſt, vbi veris tempore primi
Securos memini duxiſſe in gramine ſomnos.
Præcipue, tecum ipſe puta, quot mœſtus amicos
Extuleris. quoties lachrymas excuſſerit ingens
Mœror, & infelix alieno in funere luctus:
Et quantus comitum paulatim exceſſerit ordo.
Nec non & proprias cujuſque introſpice laudes,
Et percenſe animo, & veluti præſentia volve;
Hunc lætum, hunc niveis conſpectum moribus: illum
Eloquio, & captos mulcentem carmine ſenſus:
Hunc indivulſæ conjunctum fœdere vitæ,
Omniaq; expertum quondam: perque aſpera tecum,

Et caſus dubios vitæ, & diſcrimina raptum.
Iam grati ſoles, exactaque tempora noctis
Mille modis, parcuſque latex rorantis Iacchi,
Sermoni infuſus medio, blandique lepores,
In mentem veniant, & non reditura voluptas.
Iam loca congreſſu celebrata, acceptaq; quondam,
Seu juga, ſeu ripæ virides, muſcoſaque ſaxa.
Credo equidem, gemitum ex alto, & ſuſpiria duces,
Optabiſque ſequi tandem; jam ſolus, & vnus,
Et toties miſer, & dulci fruſtratus amore.
Haud ſecus ac quondam divulſus ab agmine magno
Aut dama, aut caprea infelix, quam fervidus Vmber
Dum premit, & ſylvam latratu perſonat omnem,
Speluncæ paſtor ſubeuntem clauſit. at illa
Stat noctem, mutumque premit concluſa dolorem.
Longe illi fontes jam vivi, paſcua longe,
Conſuetique greges, & amicum frigus ab vmbra:
Nec noſtro infixi labentur pectore vultus,
Vel Vrinti, vel, Douſa, tuus, dum vita manebit.
Nec tuus (heu antiqua fides ignotaque terris!)
Lernuti: quem nunc, medium dum findimus æquor,
Eripuit non æqua dies. ne lætus abires,
Et plenus plenuſque mei, cum fata vocarent,
Elyſias ſedes: hæc tecum ſæpe revolvens,
Et triſtem noſtro ſolatus carmine mortem.
  Quid fratres, grataſque nurus, caſtaſque ſorores,
Et quos blanda tibi conjunxit gratia lecti,
Iam referam. comitemq; thori, dulceiſq; propinquos,
Et quæ prima tibi quondam dedit vbera nutrix,
Et prima excepit gremio, charoſque parentes,
Iam raptos, lætoſque alibi, jam triſtia rerum
Evectos? Nam poſſe ipſas cum corpore mentes
Extingui, res nulla docet. furor impius egit
Mortales, diverſa ſequi veſtigia vero,
Brutorumque animis torporem affingere noſtris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ah tibi ne tam fœda, puer, perſuaſerit autor
Imbellis. quanquam & patrias præſcribat Athenas,
Et multam referat Romano è carmine laudem.
Heu fuge crudeles ſcopulos, & naufraga ſaxa.
Quippe etenim, ſi corpus humo cum cedere juſſum eſt,
Iam nuſquam eſt pars hæc ingens, qua vivimus vna,
Omniaque in terris gerimus; jacet illicet omnis
Et ſpes, & ratio virtutum, & nomen inane
Relligio, cultuſque Dei, quem tota vetuſtas
Amplexa eſt, vitæque olim promiſſa voluptas
Venturæ, lætuſque ardor, qui pectora famæ
Admonet, inſtantemque docet contemnere mortem.
Adde, quod in terris nihil eſt velocius illa,
Et formas ſubit extemplo quaſcunque locoſque;
Nunc fera, nunc volucris: nunc priſcæ mœnia Romæ,
Nunc petit Ægyptum viridem, fonteſque latentis
Ambiguos Nili, & Libyæ deſerta peragrat.
Abdita nunc terræ ingreditur: nunc proxima Soli,
Inter & errantes per cœlum volvitur ignes:
Et ſola æternum videt indefeſſa Tonantem,
Proximaque aſſequitur, cœptiſque audacibus vrget:
Quoque magis toto diverſa à corpore fertur,
Hoc magis immenſas diverſa à corpore vires
Explicat; ac victrix membrorum incedit; & vltro
Evolat ad ſuperos, propriiſque enititur alis;
Parte carens omni: ne junctam ex partibus vllis,
Diducat ſuprema dies. His adde, quod intra
Se rapitur, magnæque inſtar convertitur æthræ,
Quo properat, formaque habilis jam tendere certat,
In gyrum aſſidue, & circum metatur eundem;
Fons motus & cauſa ſui: vitamque miniſtrat
Prima, nec alterius deductam è fontibus haurit.
Adde his imperium ſoli quod convenit: & quod
Corporeaſque premit peſtes, omnemque coërcet
Immunem ratione animum, turbaſque cientem:

Adver-

Adverſumque nihil, nihil eſt quod deſtruit intus
Puram in ſe, longeque alia contage remotam;
Nec ferrum capit, aut incuſſi vulneris ictum.
Adde, quod in toto nihil eſt, quo vergere poſſit,
Quod fieri pars illa iterum. non terra, nec aër,
Nec mollis liquor, aut rerum puriſſimus ignis.
At neque pars (ne falſa adeo conſueſce doceri)
Corporis eſt animus. tenues vt fuſus in auras
Occidat extincto. nec enim concluſus, & vtre
Conditus, aut ſparſa veteri fuligine teſta,
Deficit effracta, pariterque extinguitur humor:
Aut veſtem ſequitur diductam immobile corpus.
Adde his præcipue, blandæ quod tempore vitæ,
Ingluvie, longoque ævo, tardaque ſenecta,
Et morbis trahitur mens, internuncia tantum
Æternæ intactæque animæ, non ipſa. nec vnquam
Carpitur infelix, aut ſolvi poſſe fatetur.
Longe igitur molles Gargetti excedere fines
Præcipio, blandoſque hortos. ſæpe inter amœnas
Vmbrarum latebras, & qua ſe plurima tellus
Induit in florem, vario formoſa colore,
Occultus tegitur furtimque allabitur anguis.
Heu quanto melius divinæ oracula vocis
Excuties, vateſque ipſos (non omnia vates
Vera negant, aut falſa canunt) ſeu durus Vlyſſes,
Seu pater Æneas, populos, poſt funera, raptos
Ante obitum videt, & ſeriem perluſtrat avorum:
Seu cum Tantalides furiis agitatus Oreſtes,
Multa pavet, quacunque pedum veſtigia fixit,
Et matris nondum extinctam circumſpicit vmbram.
Nec nihil eſt, quod ſummus honos Acheronte ſub
Solvitur, & tanquam præſentibus omnia reddunt (imo
Qui ſuperant. quod vix Siculis allapſus arenis,
Et ludos, & ſacra parat Trojanus, & omnes
Evocat ad cineres, tumuloque affatur ab alto.

Sæpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sæpe igitur, tecum ipſe, tuos jam lumine functos,
Percenſe, & rebus jam nunc aſſueſce futuris.
Paulatim incipies vivendi addiſcere finem
Eſſe aliquem, quo ſponte ſua delabitur ætas.
Non ſecus ac nervo ſi quando excuſſa ſagitta eſt,
Illa volat, tenueſque ſecans perlabitur auras
Protinus , & nuſquam, niſi jam defixa, quieſcit.
Aut velut in circo, cum ſe effudêre quadrigæ
Faucibus è pictis; volat irrevocabilis axis
Raptus equis: donec ſpatiis exinde peractis
Subſtitit, & ſummum circumivit curſibus orbem.
Ipſa monet mors quemq; ſui. Nonne aſpicis vltro
Ante oculos, vt nulla dies ſine funere, Solis
Condat equos pelago, roſeiſque emergat ab vndis ?
Quin etiam, tellus tumulos ante ora tuorum
Exhibet ipſa tibi, monumentaque luce carentum
Cernimus aſſidue, mediiſque erramus in vmbris.
Hæc tacite demiſſa juvant in pectora: ne mors
Obruat immemores, ſubitoque invadat inertes.
Omnia prætereunt: finiſque ab origine prima
Fit propior propiorque ſibi. Sic læta juventus
Paulatim emoritur, tarda accedente ſenecta:
Morſque ſui eſt quodcumq; fuit, quodcumq; ſub oras
Excipit ætherias venientem, & limina vitæ.
Naturam quoque ſæpe animo percurre parentem,
Haud ingrata dabit tantæ ſolatia curæ.
Corpora prima vides quanto molimine rerum
Intereant: magnam meditentur vt omnia mortem,
Vt funus terrarum & vaſti indicat Olympi,
In ſe qui aſſidue mutando labitur ordo :
Donec ſumma dies, hæc circum ingentia texta
Solverit, & cinerem ſupremum exegerit ignis.
Ipſæ etiam pecudes armentaque læta per herbam,
Sponte ſua, ſeu vi, concedunt omnia leto.
Ipſæ etiam volucres liquido cum murmure, dulces
Depo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Depoſuêre animas: quamvis incommoda nulla,
Nullam aut pauperiem, aut vitæ ſenſere dolores.
Innocuum levibus tranſmittunt aëra pennis,
Quaque volant, reperêre aliquam ſedemve laremve.
Fluminaque, & ſylvæ victum tribuere volentes,
Curaque parva, domi ſimiles educere natos.
Nec requies, quin vel moriens philomela ſub umbra
Dulce canat: quin & funeſto gutture cygni,
Mæandri ripas, & flumina nota Cayſtri,
Pertentent, lætamque invitent carmine mortèm:
Sive illis ſtimulos imo ſub pectore numen
Verſat, agitque animum majoris lumine veri:
Sive illis ratio, noſtris è mentibus, addit
Exiles radios: quos vitæ tempore ſummo
Elicit, & virtus Naturæ educit in altum.
Vere novo, quæcumque comis felicibus arbos
Naſcitur, aut viridis prolectat ſemina tellus
Herbarum, è gremio; vitam illis frigore duro
Intercepit hyems vſtæque, haud ſæpe reſurgunt,
Candenti glacie, & Boreæ ſtringentibus alis.
Sæpe etiam Nymphæ, mediis in montibus ornum,
Sæpe etiam Nymphæ, contactam aut fulmine quercum,
Aut vlmum, aut ſævo percuſſam vulnere pinum,
Ludorum memores, & quas duxêre choreas
Sub foliis, luxêre. illa, haud reditura ſub auras,
Occidit, & nullas jam texit frondibus vmbras.
Quid florum genus omne canam, dilecta parenti
Pignora? quamquam illis anguſti terminus ævi
Includit volucrem prima cum pube juventam.
Nec tantum poſuêre caput, cum grandinis horror,
Aut Eurus, graviorque decus breve perculit imber;
(Quam mallent roſeos formoſi paſcere vultus
Luciferi, & niveos Auroræ ducere ſuccos!)
Quondam etiam, immites radios Hyperionis alti
Exper-

Expertos, penitus vitalis deficit humor,
Et mœſtam lapſo planxerunt corpore terram.
Sol quoque deficiens, leti argumenta futuri
Sæpe dedit, quotieſque attollit lumina veſper,
Occidit, & nata moriuntur ſidera luce.
Illa quidem reditura, vale, vale, omnia dicunt,
Sub tenebris quoties texerunt triſtibus ora,
Aut cum læta dies poſcente accedit Eoo:
Multa tamen latuere diu, fugiuntque videri,
Aut prorſum intereunt, poſtquam implevere tremendos
Fatorum monitus, & læſi numinis iram.
Necnon arcta tenet leti confinia ſomnus,
Seu cum multa quies victoſque altiſſima ſenſus
Alligat, ignaroſque alibi quodcunque malorum eſt:
Seu cum errantem animum diverſo à corpore ſolvit,
Immenſamque docet per ſe conſiſtere mentem.
Quæ tanquam excuſſis cum ſomno fertur habenis,
Per loca corporibus clauſa, & diſtantia longe,
Et libertati nondum præludit adepta.
Iamq; monet properare alio, quo maxima quemque
Evocat, & miſſo petitur certamine palma.
Nec vos arguerim, cœli qui limina, quique
Venturam vitæ faciem, lucemque ſerenam,
Gaudiaque, æternam poſito quæ corpore mentem
Excipiunt, multo jam nunc præcurritis ante;
Senſibus evecti, quantum ſors corporis ægri,
Imbelleſque ſinunt leges, diviſaque jura.
Ante alios, genitorem ipſum: quem mille cohortes
Aligeræ circumvolitant, juſſiſque miniſtrat
In turmas glomerata, poli formoſa juventus:
Quæque homini prænoſſe licet, quantumque futuri
Conſcia, divino monitu prædixit Idume;
Alloquio cœli, & ſuperum dignata favore.
Nec vos, qui mundi extremum quo veſcimur omnes

Aëra

Aëra, morborum auſpicium, cauſamque malorum
Aſſeritis, ſæpe autumno letalibus auſtris
Impulſum, ſubitoque æſtu, ſubitiſque malignum
Frigoribus: ſæpe accenſo divinitus igni.
Quem nec Pœoniæ potuerunt flectere curæ,
Sed mors ſola poteſt; nullorum cauſa dolorum,
Sed requies finiſque altæ placidiſſima mentis.
Quippe illam, ſedes animarum, innoxius æther
Excipit, & triſti defunctos corpore cingit.
Nec qui corpoream è leto conſiſtere molem
Arguitis. quippe & tellus, & debilis aër,
Et flammæ vigor, & flammæ contrarius humor,
Materiem leti moribundo in corpore verſant.
Sunt, quibus horrorem immodicum letique pavo-
Conciliant vanæ ſpecies, & mortis imago, (rem
Aut menti modus ante diu præcognitus: acſi
Mors aliud foret atque aliud, graviuſve minuſve
Extincto. ſeu tela manu fabricata Cyclopum
Immittat pater, & tanto caput obruat igne,
Terrifico inſurgens tonitru, cœlumque per omne
Inter ſe fracto impellens cum murmure nubes:
Seu centum ſuper incumbat crateribus Ætna,
Seu totum fugientem animam circumſtrepat æquor,
Aut montis ſimulachrum, ingens e gurgite monſtrum,
(Qualia multa mari mediiſque in fluctibus, altas
Circumerrant puppes, armenta immania Nerei,)
Hauriat: aut lato tellus diſcedat hiatu.
Sæpe metum peperit vis importuna doloris
Conſpecta ante oculos, impreſſaque ſenſibus: aut cum
Incubuit morbus gravior, vel vulnus ad oſſa
Incuſſum totis deſcendit viribus. Atqui
Nec dolor eſt in morte gravis: dolor omnis abactus
Ante obitum, cum luce perit. Quæcumque timemus,
Aut tulimus, dum vita manet, dum ſpiritus; vna
Abſcedunt, cum blanda ſuo de corpore vita
Diffluit, & tenues animus differtur in auras.

Quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quin etiam, vitæ fungentem munere, ſenſus
Deficiunt, linquitque animus, puramque quietem
Præbet, & extremæ ſimilem, nulloque dolore
Torpet, & attonitam trahit in conſortia mentem.
Vanum igitur cauſamque ſui dediſce timorem,
Aut ſupera, morbumque fuga virtutibus hoſtem.
Atque ideo (ſæpe illud enim quoque profuit illis
Quos deformis agit leti metus) aſpice crebro,
Quos ſævi ante obitum morbi durique dolores
Exercent, aut queis fugientis tempore vitæ
Imminet, & nigra mors circumvolvitur ala.
Nec non & quos illa tulit, quos vita reliquit,
Aſpice, collapſaſque genas, pallentiaque ora,
Oblitoſque oculos jucundam ducere lucem.
Et quæcumque patent mœſta ac deformia viſu
Senſibus humanis; cum magnus tranſiit hoſpes,
Et, cœli, excedens, ſeſe in convexa recepit.
Qui ſimul anguſto vacuum pro corpore mundum
Induit, & ſpatium immenſi poſſedit Olympi,
Ipſe ſuos longe colluſtrans deſpicit artus:
Vt quondam celſa ê ſpecula, aut ê rupe, viator,
Neglectos poſitoſque procul deſpexit amictus.
Sunt quibus illecebras pavidis, vt vincula captis,
Injiciunt, linquenda domus, patriique voluptas
Ruris, & exculti proavis felicibus horti:
Aut dulcis coniux, natique parentibus orbi.
Corpore quæ poſito , nec jam ſupereſſe putandum eſt,
Si non anguſtos excedunt corporis vſus,
Nec deſiderium ſupereſt aut cura fruendi.
Sed neque tempus idem fati, neque terminus ævi,
Metaque. namque alii ſubito, nil tale timentes,
Corporibus teneris (ceu flos quem conſpicit Eos
Tollentemque caput cœlo & formoſa rubentem,
Heſperus immiti veniens proſcindit aratro)
Surgentem prima vitam cum luce relinquunt.

Felices,

Felices, quibus ante annos, ſecura malorum,
Atque ignara ſui, per ludum elabitur ætas.
Seram alii mentiſque inopem venêre ſenectam,
Heu quibus impulſi vitæ (dum vita manebat)
Fluctibus! heu quoties ingratos ſurgere Soles
Vidêre, & Soli ingratas ſuccedere noctes.
Ah miſeri, quibus acer amor luciſque cupido
Corde hæſit pavido. luctantes gurgite vaſto,
Mille inter ſcopulos, ſaxiſque hærentia ſaxa,
Littoribus proram obvertunt, ſedeſque quietas
Naufragio in medio fugiunt, patriamque vocantem.
At quondam optato cum primum in littore puppes
Conſtiterant, pelagi emenſæ quodcunque pericli eſt,
Poſt Scyllæ rabiem, formidatamque Charybdin,
Et ſale quaſſatam dubio ventiſque carinam,
Oceano, patri rerum, & tibi, maxime Nereu,
Vota coronati ſolvebant debita nautæ.
Nec tamen infelix Hecube, cum Pergama flammis
Verſa videt, captoſque Deos, tractumque per aras
Laomedontiaden crudeli occumbere ferro,
Et cædem, Polydore, tuam, ſparſoſque cruore
Pelidæ thalamos, longævæ incommoda vitæ
Neſcit, & immites nequicquam plurima Divos,
Voce vocat, mœſtamqne optat non ducere lucem,
Et Priamus, Pyliuſque parens. Sed læta juventus
Fortunæ obſequiis, & adhuc intacta dolore,
Felicem metuit vivendi abſolvere curſum.
Quid memorem, quemq; ut doceat jam ſerior ætas,
Aſpera quamquam abſit duræ violentia ſortis,
Velle mori? cum tardus hebet ſub pectore ſanguis,
Et morbi adveniunt: nec jam pars corporis vlla eſt,
Vtilis aut curis, aut fortibus vtilis armis.
Ipſaque mens, veluti, cum jam Titanius orbis
Pallentes radios caligine tingit & vndis,
Languet, & extremam patitur ſuccedere noctem.

At

At vos, dum ſuperat vigor ille intactus & acer,
Dumque calent ferventque animi, dum robora corpus
Sufficit indomitum, venturi in tempore leti
Contemptum exercete, viri. Sic magnus Achilles,
Totus adhuc plenuſque ſui, Phœbeïa tela,
Et flammam Alceides funeſtæ pertulit Oetæ.
Hinc adeo, veri ſtudium mentiſque vigorem,
Mœrorem contra aſſiduum, fædoſque tremores,
Et breve vivendi ſpatium, ſub pectore cuivis
Condidit omnipotens genitor: quo maximus ille
Exuitur leti pavor, atque extenditur ætas.
Sic Grajûm antiqui proceres, quos fama reponit
Dîs ipſis inter genitos, magnique Quirites,
Conceſſère quidem fato, quo tempore fixa
Eripuit ſeries quemque atque immobilis ordo;
Sponte ſua; ſeu quem ſævi tulit area Martis.
Quod ſupereſt, totum venturi temporis ævum
Adjecere ſuo. clauſique in corpore, ſæpe
Robuſtos gemitus hirſuto pectore mittunt;
Virtutis memores, & libertatis amore.
Vt cum fortis equus Piſææ victor olivæ,
Aut quem ſanguineus ſæva ad certamina Mavors
Depoſcit, fremituſque virûm, lituoſque tubaſque,
Nunc miſero datus agricolæ, pede creber inertem
Pulſat humum, patriamque domum teſtatur & ignem
Naribus, & curvum collo averſatur aratrum.
Tum quoties tota ante oculos conſiſtere viſa eſt
Poſteritas, quoties extemplo gloria dulcis
Vivendi poſt fata, ardorem incuſſit honeſtum;
Continuo totis vaneſcit mentibus horror
Imbellis, laudumque vltro ſuccedit imago.
Nec triſtis leti facies, nec nomen inane,
Evertent ſolido firmatas robore vires
Pectoris, aut cæco quatient molimine mentem.
Hoc vero auxilium imprimis adhibere memento,

Fatorum terrore animum perculſa juventus.
Nec fruſtra toties, iterumque iterumque, monebo,
Exercere aciem mentis, fatique latentem
Exſpectare diem, cunctoſque invadere factis
Quotquot ab Eoo venientes littore ſoles
Exerit Oceanus. Sic vitæ impenditur omnis,
Et late producta patet quæ ducitur ætas,
Virtutis ſpatio deſcripta, & laudis honore:
Quam nec ſumma dies, nec ſors intercipit vlla.
Nam patet immenſum, longeque extenditur extra
Fortunam vitamque animus, ſuaque omnia ſecum
Vindicat, & terris non interitura relinquit.
Nec labor inſolitus veniat, nec credere cœlo
Neglectos non aude artus: ſeu Sirius agris
Flaventem exurit ſegetem, ſeu frigore ſævo
Adverſis Boreas defixit flumina ripis.
Nec totis dubita ſudorem indicere membris.
Paupertas duruſque labor, fregêre pavorem
Immitis leti. Nec raro incomptus arator,
Calloſuſque manus, & multo ſole peruſtus,
Incumbens ſtivæ, & ſterili, dum viveret, arvo,
Aut paſtor, Iove ſub gelido producere noctem
Conſuetus, veluti redituram tempore parvo
Depoſuit vitam, patriaſque effudit in auras.
Nec mihi diſpliceat, qui ſæpe pericula gaudet
Stare caput circum, dubiiſque increſcit, & altam
Virtutum ſegetem, media depaſcit in herba;
Fortis ab adverſis, meliorque ad ſingula, rebus.
Sola docent adverſa mori. res pectora figunt
Senſibus, & cœlo non reſpexere, ſecundæ.
Adveniet tempus quondam (ne quære moneri
Præcepta, & nigri contemptum addiſcere leti)
Cum triſtes animis infligent vulnera curæ:
Adveniet, cum ſponte tua diſcedere vita
Et mœſtam optabis nequicquam abrumpere lucem:

Seu

Seu rapta infelix deſertum conjuge lectum
Plorabis: ſeu, nata, procis jam mille petita,
Iam devota thoro, jam primos pacta nepotes,
Ante fores thalami, & ridentis Hymenæi,
Occidit, & fato ſpes intercepta fefellit:
Seu patri ſimiles ipſa inter gaudia natos
Extuleris, nequicquam amens victuſque dolore.
At nos vrgenti rationem opponere morti
Tendimus; apprime tunc, cum lætiſſima ridet,
Nec quicquam ingratum ſors non adverſa minatur:
Nunc ſæva, interdum facilis, quamquam omnia dura
Expedit, & triſtes penitus cognoſcere caſus,
Et rerum ſcopulos, & mœſtæ incommoda vitæ.

DANIELIS HEINSII

LIB. III.

DE CONTEMPTU MORTIS.

ARGVMENTVM.

Liber tertius informat militem. quem præcipue ſic naſci debere, ſic inſtitui, vt pro patria moriendum ſibi aliquando eſſe intelligat. Talis, quo pacto ſolidam animo virtutem & contemptum mortis debeat parare, oſtenditur.

BElla vocant, fœdaque animi formidine mortis
Solvendi, prius arma manu quam tollere miles
Incipit, & lateri cuſtodem accommodat enſem.
Creſcit opus pariterque ardor, quamquam ardua reſtant,
Debita nec juſtis indulgent tempora Muſis
Ocia, ſpeluncæque cavæ nemorumque receſſus,
Et ſcatebræ fluviorum, & grati vatibus amnes.
Nec nos Pauſilypi colles, nec conſita myrtis
Mergillina tenet, fuſæque ad littora glaucæ
Nereides: nec nos viridis Sebethus ab antro
Proſpicit vmbroſo, gelida qua plurimus herba
Cingitur, & dulces citrorum è floribus auras
Spargit odoratus Zephyris fragrantibus aër.
At non pura deeſt, at non tranquilla voluptas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quamquam inter ſtrepitus, quamquam inter gaudia vulgi,
In ſua converſam penitus ſubducere mentem
Senſibus, & toto jam nunc ſubducere leto,
Si qua fata ſinant: ſummoque è vertice Pindi,
Belgarum populis decerptam oſtendere laurum.
Hanc mihi frondentem, tumulo defige ſub alto,
Rutgerſi, poſtquam atra dies exegerit olim
Infractum terrore animum. nam cætera conjux,
Communeſque tibi, ſi quæ eſt fiducia lecti,
Perſolvent tacito deſerti in funere nati.
  Iam mihi principio generoſi Martis alumnus,
Cum primum ætherias vagitum attollit in auras,
Devotus naſci patriæ mortique futuræ
Sentiat extemplo, luxumque ejuret inertem.
  Illi adeo procul à cunis ignava Voluptas
Abſiſtat, ſomnoſque leves Patientia nutrix
Conciliet, ventoſque pati condiſcat & imbres:
Sive illum in medio caſtrorum interrita mater
Edidit, & clypeo naſcentem ſuſtulit horrido
Enitens: ſeu forte domi, dum prœlia miſcet,
Et crudum genitor defendit mœnibus hoſtem.
  Nec non & gladios fulgentes telaque tangat
Sanguine reſperſa, & ſuſpenſa in limine primo
Inſtrumenta necis. Tum, ſi quæ, prævia morti,
Ære procul longo ſonuit tuba, corpore toto
Geſtiat, & pulchro jam nunc occurrere leto
Promittat, teneraſque manus & brachia jactet.
  Mox & purpurea vix dum lanugine malas
Inſcriptus, fremat arma vigil, noctemque ſub atram
Æſtuet, ardentes excuſſus pectore ſomnos.
  Atque illum aſpiciens matrona è turribus altis,
Aut longe hoſtili ſub culmine regia virgo,
Intactam primo tabeſcens vulnere mentem,
Horreat infelix: ſeu prima exordia cernit

Irarum, torvoſque oculos, greſſumque minacem :
Sive incompoſitas voces, incomptaque membra.
  Omnibus, æternæ quibus eſt cuſtodia curæ
Mentis, & idem animus generoſo occumbere leto,
Imbellis toto prohibendus corpore torpor,
Et quæ mollicies ſenſus oblimat inertes.
  At vos præcipue, quos duri gloria Martis
Exercet, tolerate, viri, quemcunque laborem,
Protinus, & totas animorum intendite vires.
  Vos & cornipidem à teneris inflectite : vobis
Auſpicia armorum, & belli ſimulachra ciendum
Crebrius, & magnos tranandum ſæpius amnes,
Aut ſalſum adverſo frangendum pectore pontum.
Sæpe etiam, ardentem cum Sol accenditur orbem,
Millia multa viæ gradiendum, aut corpus in auras
Librandum, connixum haſtæ. tum vimine juncto
Iliceæ crates, mediiſque in vallibus ingens
Palus, & impulſus crebris gemat ictibus aër.
  Nec non & tenuis delectet victus, & aſper,
Tyronem, quo quemque tulit fors obvia quæque,
Et gelidæ, quamquam glacies ſtetit horrida circum,
Hauſtus aquæ : feſſuſque via fractuſque labore
Immenſo, quamcunque premat ſub corpore terram.
Sic bello aſſeritur virtus, ſic fœda voluptas
Interit, & leti paulatim exſcinditur horror.
  Nec duros operi nocet intendiſſe lacertos,
Aut cœlo firmaſſe animos. invicta juventus,
Rupibus in mediis ſcopuliſque educta, ſub Arcto
Quærenda eſt; ſulco laſſata & cædere fuſtes
Quadrifidos. quos nullus amor vitæque ſuique
Imbuit intrepidos, opibuſque affixit & auro.
  Profuit & primos Venerem fugiſſe per annos,
Et ſero blandas Hymenæi accendere tædas.
Hinc vigor, hinc vires ſolidæ, morituraque primam
Ante aciem ſoboles, ferroque invicta juventus.

Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Præcipue, dulcem patriæ primævus amorem
Imbibat, & deforme viris horreſcere diſcat
Servitium: ſemperque animis infixa recurrat
Libertas, victorque hoſtis. quantum ille minetur
Exitium, captæque domo, natiſque thoroque.
Tum tot ſævitiæ facies, & ſanguine toto,
Atque animis centum, centum ſi fata dediſſent,
Dedecus avertendum, & captæ opprobria vitæ:
Cunctaque virtute in terris gladioque parari,
Et vitæ precio. quam ſponte aut pallida tabes
Exiget, aut totis incumbens viribus ardor:
Nec melius, quam cum, ſummo in diſcrimine rerum,
Aut peilo aut ſtricto mucrone educitur acer
Spiritus, ire foras dignoque evadere leto.
Non illum longæ trahit inclementia mortis,
Nec dolor imbellis lachrymas, cum ſumma minantur,
Exprimit aut gemitus, ſed adhuc arrectus & ardens
Dilapſus, magnoque emiſſus vulnere, lucem
Tranſit in innocuam, meritoque occurrit Olympo.
Sed neque ſecretos ſapientum inſiſtere calles
Præcipiam. decet arma rudis conſtantia recti,
Nec crebri monitus, ſed honeſti cultus & æqui,
Exemplo incumbens majorum, & fortibus auſis.
Ducitur exemplo melius Mavortia virtus.
Quin etiam hortatus heroum, & grandia verba,
Cùm patriæ rebuſque monent impendere vitam,
Profuerit verſare manu: ſi neſcius artis
Præcipue ſit ſermo, breviſque, & fortis, & ardens,
Arma inter genitus: qualem ſub caſſide fundunt
Romani Graiique duces, cum jam inſtat Enyo,
Et ſteterunt vtrinque acies, neſcitque morari
Arrectus ſonipes, & lentis pugnat habenis.
Nec minus excelſas armaſſe in prœlia mentes
Tyrtæum memorant, qua pinguia culta Galeſus,
Seu pater Eurotas, invicto interluit amni,

Tyrrhenæ quam ſigna tubæ, lectumve, priuſve
Auditum, quam prima manu præluderet ira,
Et junctis pariter miſcerent prœlia ſignis.
Cætera parce, puer: nec te ſapientia dulcis
Nequicquam, aut diſcendi ingens circumegerit error.
Nec mihi Stagiræ veteris triſtiſque Cleanthæ,
Cum patriæ res poſcit opem, pervolvere tyro
Incipiat placita, primaſque inquirere cauſas,
Et rerum ſeries. quamquam fuit vtile multis,
Quid fortem deceat, qualem ſapientia ponit,
Veſtigaſſe prius: nec non &, robore quantum
Corporis indomito, rabieque & cæde ferarum,
Interſit ratio, belloque interrita virtus,
Nec ſpe nec precio, ſed ſoli obnoxia pulchro;
Naturamque animæ, & totum perdiſcere verum.
Talibus imbutus ſtudiis, doctæque Minervæ,
Et Sophiæ gremio, & caſti rectoris in vlnis,
Cliniades, vt fama refert, eductus, ad arma
Devênit, galeaque genas incluſit & ora.
Nec quiſquam antiquo prognatus ſanguine Theſei,
Aut acreis Spartæ populos, aur turbine tanto,
Trinacriam afflixit omnem, patrioſque peroſus
Fregit Erechthidas, totumque exterruit æquor.
Nec dubitem, imbutos illis, veniſſe ſub alta
Pergama, Peleiden invictum pectore & armis,
Et geminos reges, & quem Salaminia tellus
Edidit, immemorem leti: ſeu nube ſub atra
Troas agit, circum caligine fuſus & vmbris,
Iamque optat cum luce mori: ſive Hectora contra
Ardentem immenſo provolvit robore ſaxum.
Eſt in Theſſalia herboſa, qua Pelion altum
Deficit, & raræ denſantur frondibus vmbræ,
Vallis, ab objectu nemorum diverſa, nec Auſtro
Obvia, nec Boreæ. Zephyrus perlabitur herbas
Lenis & erranti ſimilis, floreſque comantes

Partu-

Parturit, aut genitis fœcundas ſufficit auras,
Et tepidos rores, & amicum è collibus imbrem.
Illic magnanimum, vt fama eſt, eduxit Achillem
Iunctus equo Chiron. quo nec facundior alter
Semiferos inter, morboſque avertere dextra
Promptior, aut altas ad laudem effingere mentes.
Atque heic, dictamnum viridem, ſuccoſq; ſalubreis
Pæoniæ, panacenque ſui de nomine dictam
Autoris, quamque ipſe ſuo de nomine dixit
Pelides, ſtudio immenſo nutribat & arte.
Et quæ præterea diverſos gramina ſuccos,
Aut vires de matre trahunt. quas prima vetuſtas
Tradidit, & ſeri vix accepere nepotes;
Parthenion, polionque, & vix nunc cognita terris,
Nepentheſque, balinque: & quam, ſi credere dignum,
Primus Atlantiades Circeo in littore viſam
Effodit, primuſque agili monſtravit Vlyſſi.
Radix nigra quidem, niveo ſed proxima lacti
Flos albet, flavetque aliquo ſubpallidus auro.
Non illam ſuperent, quas vſquam maxima tellus
Educit, pulcherque ſuo Sol elicit igne,
Aut vires magicas arcere, aut ſolvere captas
Dulcibus illecebris animas, aut denique cœlo
Illuſtres oculos purgatæ attollere mentis.
Cætera diſtincti variabant vitibus horti.
Hic crocus, hic loti veteres, pictique hyacinthi,
Spirabant dulcem foliis humentibus auram:
Noti olim in terris primi. nunc mille colores
Solertes operæ, ac rerum provectior vſus,
Repperit, & totum diſtinxit floribus annum.
Hæc inter, vitiis immotum leniter ævum
Tranſibat, curvaque ſenex in valle ſedebat.
Sæpe illum curæ defixum & ſuavibus herbis,
Aut leges animæ, & Naturæ arcana latentis
Rimantem, penituſque abſentem pectore toto,

Vidit nata dies: ſæpe illum invenit eundem
Exortus ſero formoſus lumine veſper.
Valle ſub adverſa, platanis pendentibus ingens
Stabat, & occultis horrebat frondibus antrum.
Queis ſubter volucres Auroram mane recenti
Purpureo è thalamo foribuſque exire parantem,
Gutture mulcebant liquido, nemoriſque per umbras
Auratum radios meditantem immittere Solem.
Illic venatu aſſiduo, craſſoque cruore
Imbutus, defeſſa ſolo deponere membra,
Cæſarum incumbens ſpoliis tergiſque ferarum
Sueverat, & ſerum Peleides ducere ſomnum.
Quem torvus, parcoque mero, multoque labore
Durabat ſenior. nec raro ad prœlia dextram
Formabat puero, clypeoque aptabat & haſtæ.
Ac tum, ſæpe gravi teſtudine, triſtia bella
Heroum, forteiſque neces cantabat, & auſus
Ingenteis, cum Graja manus jam poſceret arma,
Et magnum tolli è gremio ſpectaret alumnum.
Tum ſuper incumbens lachrymiſque amplexus obortis
Iam galea cinctum, jam greſſum ad caſtra moventem,
Dicitur has ſancto fudiſſe è pectore voces:
Nate puer, genitrice Dea, te maxima tellus
Nunc vocat Aſſaraci, Simoiſque, & Xanthus, & audax
Anchiſæ ſoboles, & amicus cædibus Hector.
Primus ego, ſummi prognatam in vertice Pelii,
Succiſam virides ramos, ferroque rigentem,
Ipſe tuis jam nunc aptavi viribus ornum.
At clypeum, lato ſpatiiſque immanibus amplo
Complexum texto Oceanum, terraſque jacentes,
Ignipotens dabit, & nigro Cyclopes in antro.
Illic & nunquam defeſſum ſurgere Solem,
Et Phœben plenam aſpicies, ſummumque per orbem
Errantes alias, aliaſque ex ordine fixas
Flammarum effigies, cognati lumina cœli.

Nec

Nec non & thoraca dabit,galeamque micantem.
Sed tibi nec clypei ingentis geſtamen, & ære
Incluſi ferroque artus,nec cærula mater,
Avertet leges fatorum, & Iupiter autor.
Hic Chiron,arteſque omnes,hic Theſſala tellus,
Herbarum genitrix,hic victus ceſſat Apollo.
At proferre manu contractæ tempora vitæ
Fata ſinunt : totumque patet virtutibus ævum.
Nec vero ſpes finge animis,pedibuſve ſalutem
Quære puer, tergumve aperi. qua dextera cunque
Non deerit, Troeſque cadent,tutiſſimus ibis.
Imbelles alii latebras , adituſque malignos .
Nocte ſub obſcura, tenebraſque & furta,ſequentur.
Audendum tibi,nate Dea,mediumque per hoſtem
Pectore nitendum ; qua Mars denſiſſimus urget,
Et ferro via ſola patet. Sic Pelea quondam,
Sic prius Alcidem memorant,quos regia cœli
Inſerit agminibus ſtellarum & lacteus ordo.
Nam tenues animos,craſſa compage ſolutos,
Accipient loca pura, & formoſiſſimus æther :
Aſt alii,vitiis depreſſi, in Tartara ſident
Sponte ſua,magnumque errabunt inter inane,
Incuſtoditæ laxati vincula mentis.
Sic priſci docuere ſenes. Pars maxima noſtri
Æterna eſt,quæ cuncta gerit,neque cernitur vlli.
Hanc neque tela manu juvenum vibrata, nec enſis
Haurit, & intactam tranſmittit vulnere bellum :
Quod ſupereſt, mors tota tenet. Hoc aſpice circum
Sub pedibus, vaſtique oculos è vertice montis
Circumfer. quodcunque premis , quodcunque tueris,
Occidet,aut leto ſimiles vaneſcet in auras.
Hi quoque, care puer, quos nunc complectimur artus,
Vaſtaque membrorum ſpatia, immaneſque lacertos,
Troja licet, ſævuſque abſit procul hoſtis & arma,

Exitio tamen ipſa dies dabit. exitus idem
Imbellem fortemque manet. mors omnibus æqua eſt.
At laudes leto immunes, vitamque quod vltra eſt,
Crede tuum, pulchroſque auſus, & ſemina cœli,
Interea, dum fata ſinunt, & læta juventus,
Immenſum, quacumque patet, diffunde per orbem.
Dixit, & amplexus medium dimiſit. at ille
Vix dextram inſinuans dextræ, vix pauca profatus,
Feralem Priamo quatiens cum vocibus haſtam,
Armatum extemplo ſaltum dedit. horruit ima
Vallis & vmbroſas nemorum fragor impulit auras,
Et tota intremuit tellus ſub Pelio alto.
Hæc equidem noviſſe velim. nam cætera Mavors
Impedit, & firmanda ætas præſentibus auſis.
Cætera ſunt diſcenda manu. præque omnibus vnum;
Omnia dura pati, & quæcumque incommoda membris
Inducunt, corpuſque domant. Patientia vires
Intendit, ſenſuſque docet ſuccumbere menti.
Nec leve Dianæ ſtudium tentare vetabo,
Seu leporem, ſeu forte juvat deprendere cervum,
Spirantemque & adhuc halantem ſolvere, ferro
Fruſtra obluctantem, pedibuſque extrema moventem.
Nec gravius, multoque magis ſudore luendum,
Sive vrſus ſeſe informis tulit obvius vltro
Vmbroſo è nemore, aut deſerti è culmine montis;
Seu mixtum tranſactus aper vomit igne cruorem;
Ante canum ſtrage immenſa, multoque ſuperbus
Sanguine, quam toto penitus venabula ferro
Hauſit, & extremo conſtravit vulnere terram:
Seu validum ſævumque in equo ſubſiſtere taurum
Suaſit amor pugnæ, & propior Mavortis imago.
Tempore ſic priſco cruda atque edura juventus
Vltro illudebant leto, letique premebant
Virtuti adverſum terrorem, animiſque fugabant,
Centauri Pholôe geniti, domitorque ferarum,

Et

Et Pollux, & Caſtor, & Oenides Meleager.
Nec pudor, imbelliſve metus, nec jura vetabant
Audentem, aut ditem vicino è littore prædam
Subvectare humeris, aut forti abducere rapto
Armatis ferro, mugitum ad ſydera ſurſum
Tollentem, & multa conſperſum cæde juvencum.
Quin etiam, qua vaſta jacet deſertaque tellus
Ardentis Libyæ, qua Nilus naſcitur, & qua
Turgidus Euphrates prærupto labitur alveo,
Bella feris gens tota gerit, pariterque leonem,
Non ſecus ac ſi totæ acies in prœlia tendant,
Aut circum foveis veniunt, aut vulnere multo,
Et trauco ſonitu clypeorum atque ignibus vrgent.
Sæpe viri magnam circumſtant agmine denſo
Cratibus & longis protecti corpora villis,
Indutique artus agreſtis tergora tauri,
Speluncam, flagriſque impellunt aëra. donec
Fulminis in morem, aut hyberni gurgitis inſtar,
Egreditur, ſævoque obtutu incendia volvens
Intonat horrendum. Non ſic tremit arduus æther,
Cum ſuper Indorum ſcopulos & confraga ſaxa,
Labitur immanis, reſonatque ad littora, Ganges;
Maximus ipſe ſuo, bis deniſque amnibus auctus,
In mare provolvens ſinuoſam amfractibus vndam.
Iamque per obſtantes, poſt vulnera major & iram,
Vertitur, & denſos telorum disjicit ictus.
Olli inſtant, ſupraque alii. dum ſanguine multo
Fractus & exhauſtis procumbit viribus hoſtis.
Eſt quoque, digna viris Martique agnata voluptas,
Interea dum bella ſilent, dum dulcia caſtris
Ocia miles agit, poſitis aut luditur armis,
Accipitris ſummo pendentis in aëre pugnam
Rem noſtri ſpectare ævi. Volat ardea longe
Aut grus, out magno connixus remige miluus,
Nubibus in mediis. ille, ut dimiſſus herili

Inſonuit pugno, terramque adraſit, & imum
Strinxit iter, ſenſimque agiles ſurrexit in alas;
Fertur in attonitum, viſumque allabitur hoſtem,
Aut aſcendentem ſenſim, ac ſuprema petentem,
Inſequitur, gyro indulgens, & turbine multo;
Iam propior, propiorque inſtans. aut corpore toto
Imminet, & prono fruſtratus pondere fertur
Aſſimilis labenti. illa haud ignara nocendi,
Roſtro arcet tentantem aditus, laterique minantem,
Et varios ſupra aſſultus infraque parantem;
Aëre vix pendens liquido, atque immobilis alis.
Ille vrget, feſſamque premit, dum victa pavenſque
Decidit, acceptamque cani dedit icta ruinam,
Aut raptam ad dominum falcato pertulit vngue.
Præcipue tamen, aſpectus Mavortis, & arma,
Conſertæque inter ſe acies, formidine turpi
Exſolvunt animos: cum vulnera crebra tuemur,
Et prope tot mortes, quot tela excuſſa per auras
Librantur, ſtrictiſque viri mucronibus inſtant,
Vndique & effuſo ſpectantur ſanguine rivi,
Atque expirantum fremitus in morte minaces.
Ac velut in campis, meditantem prœlia primum
Exercent, pavidam belli ſimulachra iuventam:
Sic ſtrages recte in medias cumuloſque jacentum,
Ducitur ætate à prima Mavortis alumnus:
Vt mors ipſa minas paulatim evicta remittat;
Addiſcenda diu. namque aſſuetudine multa
Vincitur, & ſenſim mens obdurata rigeſcit.
Ac neque tam ſolidi ferro thoraces & ære,
Nec leves ocreæ, & criſtati vertice coni,
Quam lucis decet anguſtæ contemptus & ævi,
Mavortis ſobolem, nataſque ad prœlia mentes.
Quippe vides, animo armatas exire phalangas,
Contemptuque magis leti, quam tegmine vaſto
Immanis clypei: triplex licet, & licet igne

Incoctus Chalybum, ferratos reſpuat ictus.
Namque ferunt, vires illum cum colligit omnes,
Hoc ſæpe inſtructas acies perrumpere ſolo,
Invictos heroas, & agmina ſiſtere tota,
Scutiſque, gladiiſque, & acutis horrida telis.
Nec refert, quibus aut terris, aut ſanguine creta,
Corporis aut ſpacio quanto, decurrat in hoſtem
Vis animi: ſæpe exploſi quæ fulminis inſtar;
Quamvis exiguo veniens è corpore, qualem
Tydea magnanimum Graii cecinere poëtæ,
Arma viri, pariterque virum ruit æquore campi.
Ille vel Alceiden ſuperet grandemque Typhœa,
Immanes humeros, & latum pectoris orbem.
Sic cum pulvereus tortum rotat aëra turbo,
Exortus dum bella gerunt contraria venti,
Procumbunt piceæ paſſim, platanique valentes,
Et fagi Iovis, & denſæ radicitus orni.
Omnia nam ſuperat leti contemptus, & acer
Invictuſque animus. nihil illi triſte minaxque,
Qui mente intrepida potuit, concurrere fato,
Iuſſus, & urgenti ſubito, non cedere leto.
Quicquid in adverſis poſuerunt numina caſtris,
Vnda quoque, & tellus, luciſque obtutus, & aër,
Audendo, pulſoque necis terrore, parandum eſt.
His Macetæ vicere armis, Romanaque pubes,
Terrarum domitrix. his ceſſit viribus orbis.
Nec nobis animi, nec nobis vivida virtus
Deſit adhuc, forteſque iræ. nec tempore noſtro
Effœta eſt tellus: quæ bello interrita corda
Edidit, & priſcos dedit in certamina reges.
Sed longo certoque opus eſt cum viribus uſu,
Et primis animos horroribus ante piandum,
Sæpe aliquid pulchrum audendo. ſeu præda cruore
Empta placet, ſive incurſus tentare per hoſtem.
Dum victus magis atq; magis tremor occidit, & dum

Stare ſub immoto conſueſcit pectore ſanguis.
Quicquid in adverſis poſuerunt numina caſtris,
Vnda quoque, & tellus, luciſque obtutus, & aër,
Audendo, pulſoque necis terrore parandum eſt.
Audentes genitor per ſæva pericula Mavors
Reſpicit. ipſe manu clypeum galeamque comantem
Objicit impavidis, victorque impune fugaces
Proterit, & certas cedentibus ingerit haſtas:
Nec quiſquam tergum Deus aſpicit. Ergo age, ſenſim
Pro patria rebuſque tuis, conſcripta juventus,
Diſce mori, pulchramque armis impendere vitam.
Naſcenti calcanda ſemel via publica leti eſt.
Sic Natura tulit. nec ſi quis corpore toto
Pallidus, exanguiſque metu, genitricis in alvum
Divertat, totaque caput tellure prematur,
Evadat. ſtant fata Dei, ſtat ferreus ordo.
Vna patet, mediumque vacat directa per hoſtem
Semita, nec turpi opprobrio, nec cognita morti:
Qua ferro denſata acies, & plurimus vmbo,
Sponte vocat ducitque viros. Sic ſidera migrant
Heroes: magni ſic ſcandunt æthera manes.
Nam ſimul ardentes, ſævæ in certamine pugnæ,
Pectoribus ſtimulos incuſſit regia virtus,
Et pulchram læta implevit victoria mentem,
Tum patriæ infelix facies, natique focique,
Hac omnes dextra innixi, letoque ruendi;
Continuo neque tela pavet, neque reſpicit hoſtem.
Ipſe autem, toto jam major corpore, jamque
Terribilis, totuſque oculis immanibus ardens,
Ingreditur: quaque arma movet, ſeque arduus infert,
Pallorem, trepidamque fugam, mœſtumq; pavorem,
Atque omneis facies terrorum in prœlia ducit.
Namque videmus, vbi ſonitum tuba Martia raucum
Edidit, & torvo crepuerunt cornua cantu,
Protinus vt totos animus deſcendit in artus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Irritatque necem, & medium ſe immittere in hoſtem
Deproperat:neque genua labant, neq; ſanguine vincto
Cor trepidat. quamquam circumſtent vndique ferro
Millia multa, ruantque equitum peditumq; catervæ,
Denſaque telorum tempeſtas, & tonitru vis
Ignea, quæ gentem, quæ totam everteret vrbem,
Emotam quatiat tellurem è ſedibus imis:
Multaque miſſa neci volvantur corpora paſſim
Quadrupedumque virûmque, & leti ignobilis horror,
Hæreat ante oculos, totoque erumpat Averno.
At ſæpe interea, rerum fidiſſima conjux
Multum heu vota facit, lachrymaſque altaria circum
Fundit, & imbelles trepidant in limine nati:
Illum autem, media ſociorum in ſtrage jacentem,
Immotum, rupiſque inſtar, nondumque feroces
Compoſitum preſſumque oculos, poſt prœlia victus
Horruit, & longe conſpectum expalluit hoſtis.
Nec referre puta, patriæne in finibus oræ,
An quacunque datur, ſuperas emiſſus in auras,
Spiritus egreditur, ſurſumque per aëra tendit.
Omnis in objecti pariter via limite cœli
Deſinit: idem æque terras complectitur aër;
Et quas frigoribus Boreas immitibus vrit,
Et quas zona tenet candenti proxima Phœbo.
Nec piget extremo Batavum ſub Sole ſecantem
Æquoreas cautes, & circumſtantia cete,
Exhalare animam. quamquam neque funera mater
Reſpexit, natique oculos preſſère rigentes.
Sæpe etiam, Titanem extra, radioſque diei,
Et vitæ ſpem depoſitæ, mortemque ſub ipſam,
Inſtantis retinet contemptum pectore leti.
Nec refert, tumulone aliquo condatur & vrna,
An nudus jaceat deſerto in littore truncus:
Dum Phœbi facies, adverſum in pectore vulnus
Arguit, & dulci ſic libertate fruuntur

Et pa-

Et patria, & longe venturi è ſtirpe nepotes.
  Talibus auſpiciis cœlo crevere potentes
Oebalibæ primum. nulla illis mœnia, nulli
Vrbem olim, nulli cingebant oppida muri.
Nec bello fas oppoſitos prætendere vallos.
Tela ſimul murique, animus, non cedere leto
Doctus, & invicti precio percuſſus honeſti.
Nec fas, lamentis miſerandam accendere matrem
Sidera, virtute erepto pro conjuge nato,
Et patrum invalidis, & libertate nepotum:
Sed ſcuto impoſitos tollebant laudibus artus,
Et multo vndantes ſiccabant ſanguine vultus.
  Nunc quoque, Dii, priſcæ memorem virtutis & ævi
Aſpirate animum patriæ, tot vulnera paſſæ.
Seu Pax reſpiciat tranquillos fœdere Belgas
Æterno. quæ jam miſeros poſt tempore tanto,
Sanguine fraterno madidos, nec tota, reviſit.
Sive vndæ bellorum, & triſtia fata, minentur
Hoſtibus invictas inter ſe evertere gentes.
Sed potius Pax læta veni. tibi moverit arma
Hactenus, & multo laſſarit funere Mavors
Flandrorum populos, contemptoremque Batavum
Lucis, & in toto meditantem prœlia ponto;:
Vſque vel Oceano qua Sol devexus, ad Indum
Volvitur occiduum, noſtroque obveritur orbi.
Nec mihi, Diva parens, magni incunabula Ganda
Cæſaris, optarim peregrino in littore vitam,
Quam patrias inter ſenior dediſcere Nymphas
Armorum ſtrepitum, mœſtique incommoda belli,
Et circumfuſum ſpumis candentibus æquor
Cattorum ſcopulos; aut Lizæ proximus; aut qua
Fluviorum Scaldis genitor, torvuſque videri
Livia, ſublimem ingreditur pulcherrimus vrbem,
Et treis in medio populorum illabitur vndas.
Sin tantum abnuerit nobis Diſcordia votum,

Et quæ

Et quæ nunc patriam populoſque exercet Erinnys;
Hærentem dulci exilio, ſolabitur acer
Rhenus,& incaſſum nunquam imploratus Apollo,
Aut Muſæ comites, quæ circum flumina, circum
Lugduni gelidos exercent ocia rivos.
Heic magnis animis, nec inerti numine, noſtras
Dicam acies,vinctaſq; vno ſub fœdere gentes: (que,
Vangiones, Celtamq; agilem,Cimbrumq;, Britannũ-
Euganeoſque ſinus,pulchramque Antenoris vrbem;
Fœtam armis,fœtamque animis & laude virorum.
Quam mediis habitantem vndis, ac jura profundo
Ponentem pelago, thalamis ſibi rector aquarum,
Centum amnes,centumque trahens ad feſta ſorores,
Iungit, & attonitas vocat ad ſpectacula gentes.
Illa autem refugo turrita è gurgite ſurgit,
Invictoſque premit populos,ſuaque omnia longe
Aſpicit, & latum circummerrat puppibus orbem.
Et qui nunc Geticis Mavortem detinet oris
Multa reluctantem, regnoque avertit Iberum:
Sive illi juſto diſcedit Sarmata bello,
Gens læta inſidiis, laudeiſque oblita ſuorum,
Et binos inculta pavet Livonia reges.
Seu Boreæ glaciem, nec tutum frigore Moſchum
Fulminat, & gelidas percurrit ſulphure cautes :
Quem viſu horrendæ facies, Eſtique, Gothique,
Finnique, Lappique, incincti pellibus ora,
Totaque circumſiſtit hyems. Ille impiger armis,
Nec cœli furiis nec tempeſtatibus impar, (tem,
Quadrupedem indignantem animis , vincique negan-
Temperat, aut doctas ſolatur munere mentes,
Aut ſacrum capiti primævo inducitur aurum,
Et Sueonum faciles non dedignatur habenas.
Quicquid ero,quæcunque animum fortuna ſequetur,
Nec leti metuens,nec Phœbi intactus amore,
Heroum meritas tranſmittam in ſæcula laudes.

DAN.

DANIELIS HEINSII.

LIB. IV.

DE CONTEMPTU MORTIS.

ARGUMENTUM.

Poſtremus liber docet, Vitam noſtram eſſe in uno Ieſu Chriſto reconditam. Quem antiqui Patres ſemper ſunt intuiti: donec in carnem tandem venit. Idem nobis faciendum eſſe. Conducere huic rei aſſiduam illius contemplationem, veram fidem, ſpem, charitatem, veramque anteactæ vitæ pœnitentiam. Cogitandum quoque de martyribus, qui exemplo ſuo docuerunt, eundem mortis terrorem ſuſtuliſſe, qui hanc ſuſtulit. Cujus nativitas, vita, mors, triumphus de morte, deſcribitur.

NVnc tibi, nate Deo, mundi melioris origo,
Extremum, quod reſtat adhuc, decurrimus æquor,
Omnipotens. tibi mortali de ſanguine creto,
Nec cœli minus invicto terræque parenti,
Ius vitæ arbitriumque ſui, mors tota remiſit,
Et fracti ceſſere Erebi cum fontibus amnes.
Felices hinc morte tua, primordia lucis
Ducimus, & victi tenebras calcamus Averni.
Prima adeo leti faciem, cæcoſque tumultus,
Corde recurſantes dubio pœnamque trahentes,

Subdi-

Subdidit alma fides, magni complexa Tonantis
Immenſam ſobolem aſſidue: quam protulit, ævi
Impatiens, ſemperque in ſe converſus et hærens,
Æternus vitæ genitor: velut æthere in alto
Flammantes radios formoſo è lumine, Titan.
Illum igitur, longe conſpectum, atque omnia luce
Complentem nunquam occidua, perque omnia numē
Tempora fundentem, cunctorum oracula patrum,
Et longus venturum olim prædixerat ordo
Iſacidûm, ſceptri gens non ignara futuri,
Extra orbem letique vias: vbi nulla piorum
Gaudia, cura necis, volucriſque includeret ævi
Feſtinata dies. Quippe illuc ducere vates,
Attonitos cœli monitu ſacroque furore.
Illuc tot Cananææ amnes, virideſque receſſus,
Fluminaque, & dulci manantes nectare lucos,
Arvaque cœleſti vix decendentia mundo
Arboribus patulis, fœcundæque ubere glebæ.
Illum omnes heroum animæ, quas ſæcula priſca
Ediderunt, vidêre, inter curaſque laboreſque,
Et leti tertorem & mœſtæ incommoda vitæ.
Illum & Lamechides ſceleri gentique ſuperſtes
Humanæ, cum præcipites ex aëre nimbi,
Montibus vndarum gravidi, cœlumque per imbres
Ingrueret terris, terraſque involveret æquor,
Illum & fœcundus genitor, cui natus ad aram
Aſtabat, generis tanti & ſpes ſola nepotum,
Iam vinctus pictaſque genas pulchroſque lacertos,
Eductumque atro tincturus ſanguine ferrum:
Ni puer ex lato volucer demiſſus Olympo,
Libratum, ſacra cervice, averteret ictum.
Illum, oculis quanquam captus, pater Iſacus, illum
Canities Iacobi longæva, in limine leti,
Vidit ovans animi: vel cum ſe immanibus auſis
Luctator cœlo oppoſuit, natoque Tonantis.

Illum etiam, dux intrepidus per devia Moſes
Additus erranti populo, conterritus hauſit
Sæpius, aut feſſis præeuntem, aut numine fractas
Inſtaurantem acies: aut cum caligine multa
Veſtitus, totoque ardentis culmine montis,
Bis quinos monitus ingrato panderet orbi.
Ante alios autem, imperio fidibuſque decorus
Magnus Ieſſides, ingentes pectore motus
Præſenſit, totumque animo concepit Olympum,
Et conſanguinei regnum vireſque ſuperbi.
Nec ſecus ac longe conſpectum affatus amicum eſt.
Quinetiam, tanto perculſus numine, triſtis
Viſurus Phlegethonta negat, maneſque profundos,
Attonitus, lætuſque animi certuſque ſalutis
Acturus: quamquam medio deprenſus Averno,
Et circum obſeſſus gelidæ caligine mortis;
Pactorum memor, & promiſſi pignoris hæres.
Hinc pulchros memorat ſceptri venientis honores:
Et regem, terræ dominum, fatique potentem,
Portendi: virga indomitos qui proterat hoſtes
Ferrea, juſta animum ſi quando inceſſerit ira.
Hujus in adventum, ſtimulis percuſſus iiſdem,
Et cœlo plenuſque Deo, nova ſæcula condit
Maximus Amoſides, regum haud indignus avorum.
Ille &, criminibus pulſam, terriſque fugatam
Aſtræam, cœlo comitem deſcendere ab alto
Aſpicit ingenti puero. quo frauſque doluſque,
Et leti metus, & triſti vis proxima leto,
Deſinat, & fracto miteſcant tempora ferro.
Nec ſtabulis ſe inferre lupus ceſſabit, & agnis
Acclinare latus: junctæque informibus urſis
Paſcere ſecuræ media de nocte juvencæ.
Nec pecudes inter totiſque armenta diebus
Nequicquam formæ ſævorum errare leonum.
Nec quinque, ac totidem, dictantes fata puellæ,
Neſcivere

Neſcivere diem, cœlo quæ jungeret alto
Depreſſas errore animas; certoſque furores,
Viſaque mandarunt foliis. Sic tempore ab omni,
Et vix jam prima creſcentis orgine mundi,
Dilecto occurrit populo: ſeque omnibus vnum,
Adventumque ſuum, dulcemque oſtendit amorem,
Terrorem vt leti horrificum, mœſtoſque pavores,
Vita idem, vitæque autor, formidine captis
Tolleret ex animis, ſummo dum miſſus Olympo,
Ferratos magno erueret molimine poſtes
Eumenidum, genteſque atro ſubduceret orco,
Ereptas leti imperio, & crudelibus vmbris.
 Ac veluti, ſi quem lætæ ſub flore juventæ,
Verſat amor, primaque animum dulcedine tangit
Caſta Venus, nequit expleri, pictoſque pudore
Miratur luſtratque oculos, nutuſque loquentis
Obſervat, ſequiturque pedum veſtigia paſſim
Obvia, nec pulchro meminit diſcedere vultu:
Haud aliter, ſummi non enarranda parentis
Progenies, nunc hac terras ſub imagine, nunc hac,
Luſtravit, præſenſque ſuis occurrit ab alto,
Et comitem dedit, & rebus conjunxit egenis:
Corpore dum noſtro, terras intrare parantem,
Suſcepit, noſtroque hauſit de ſanguine, tandem,
Nupta Deo, totumque parens illæſa pudorem.
 Protinus exortum, tenebris cedentibus vltro,
Ceu nato poſt aſtra die, gens omnis Ieſſæ,
Promiſſis infixa animos, ſparſæque per vrbem
Relliquiæ tenues veterum ſenſere piorum;
Iam deſiderio exhauſti, jam mentibus ægri:
Optantes eadem cuncti, pariterque precati,
Depoſitum vitæ, pignuſque ante ora tueri,
Atque oculis coram domitorem expendere leti.
Vt cum magna domus, digreſſu exercita pridem
Grandævi, quem ſola videt, quem ſola parentem,

Sola diu jam dixit avum, ſpemque omnis in vno
Fixit, & aſſiduis laſſavit ſidera votis;
Si quæ illum patriæ cariſque parentibus olim
Proſpera lux longis venientem ſiſtat ab oris:
Illum adeo, multis ſi jam volventibus annis
Accipiant reducem; certatim hinc turba nepotum,
Hinc caſtæ matres, hinc certant oſcula natæ
Præripere, & lætas diffundunt atria voces.
Hunc igitur, ſeu mane novo Tithonia conjux
Ardentem Phœbi radijs prævertitnr ortum;
Seu cum candentem medio regit æthere currum,
Et ſero Oceani condit ſub gurgite Titan;
Vnum animis ſpecta, totoque in pectore conde,
Tot quondam inſidiis, tot tempeſtatibus actum.
Sive illum virgo infelix, caſtiſſima rerum,
Magali locat in medio, fœnoque reponit
Plorantem, & noſtro ſingultus ore cientem:
Seu Nilum petit exilio, patrioſque penates,
Heu puer, & multo quæſitus ſanguine, linquit.
Quem propter, dum dulce caput vix tollit in auras,
Tot blandæ cecidere animæ, mediaſque per vrbes
Attonitæ planctu ruperunt pectora matres:
Sive illum genitor pallentis circuit Orci,
Et longe populo ſemotum, in culmine ſiſtit.
Verticis abrupti: ſeu diræ incommoda gentis
Et totam Solymæ crudelis ſuſtinet iram.
Sive illum, quem non animi capit igneus ardor
Humani, non cœli obices, non ultimus aër
Includit, telluſque pavet convulſa tonantem,
Exercet miſeranda fames, morbique laborque,
Pondere ſub noſtro aſſidue culpaque gementem:
Seu cum purpureus toto de corpore ſudor
Dimanat, triſteiſque Acheron horore tremendo,
Mortis in adventum gelidæ, perlabitus artus,
Et totum jam nunc animo prægustat Avernum.
Præcipue,

Præcipue, cum terram inter cœlumque profundum
Sublimis, latus effoſſum, ſquallentiaque ora,
Gentibus oſtendit pavidis: letoque ſub ipſo
Inclinat caput, & ſtillantem ſanguine vultum.
Hæc crebro repetens animo, crebroque revolvens,
Dulcibus indulge lachrymis, vitamque per omnem
Illis vulneribus, illoque in ſanguine, mœſtus
Circumerra: mentiſque oculis humentibus hauri,
Ceu præſens, luctantem animam Ditique necique.
Hæc inter, veluti venturam ad ſingula, mortem
Intuitor, ne quæ rerum ſubrepat inanium
Cura, vel illecebris blandæ capiare juventæ:
Oblituſque tui, tantoque oppreſſus amore,
Immenſum precibus vitæ venerare parentem,
Aeternamque Dei ſobolem; tot ſæcula fruſtra
Patribus expectatam olim, votiſque vocatam.
Cui nec lanigerûm manantes ſanguine fibras,
Nec pinguis tauri ardentes ſuſpendere ad aras
Viſcera profuerit; quamquam alte in cornua ſurgat
Iam primum, creſcatque animis: ſed pectore ab imo
Flagrantes gemitus crebro, & ſuſpiria duci,
Erroreſque animo repeti, vitamque peractam;
Talibus inſtando, crebroque, eademque movendo:
Magna Dei ſoboles (tibi enim tibi pectora mœſti
Solvimus, & ſalſos lachrymarum effundimus imbres)
Heu genitor, rerumque opifex! heu patris imago!
Heu totum vitæ pelagus, totumque profundum!
Tene olim, cœlo venientem, vrbiſque per omnis
Brachia tendentem miſeris, morboſque fugantem,
Et Regis tantum ætherii præcepta canentem,
In terris, leto dedimus? tene, optime, cum jam
Vulneribus tergum effoſſus, flagriſque cruentus,
Deficeres, noſtroſque artus, ceu pignora ſupplex
Ingereres nequicquam oculis, divellere ferro
Humanæ potuere manus? at territus æther

Hæſit,

Hæſit, & obſcena latuit caligine Titan.
Tunc etiam, dulcem mixto cum ſanguine lympham
Reddebas moriens, venturæ pignora vitæ,
Et totum rupto fundebas corpore amorem,
Viſceribus mediis eductum & pectore toto.
Nos ſcelerum facies, æterne, explevimus omnes:
In te pœna ruit, noſtræque injuria culpæ:
Et lapſo generi mors intentata, per artus
Exhauſta eſt, inuicte, tuos, ne vita periret
Omnibus, aut leti ſub mole immota jaceret,
Plena metu, plena imbelli formidine & vmbris.
Tu ſerus, tu mane animis illabere noſtris,
Tu ſolus totuſque fave. te ſpiritus vnum
Induat: incumbatque tibi, jam functus & exors
Caſibus aſſiduis, & inerti corporis vſu.
  Talia cum gemitu, ſeu vox exacta ſequatur,
Seu nullus linguæ ſtrepitus ſe didat in auras.
  Hæc adeo, dum vita manet: ſeu læta juventus
Corpus agit ſolidum, ſeu nondum effœta ſenectus
Exercet toto defectas ſanguine vires.
At vero, poſtquam oſſa calor jam linquere cœpit
Vltimus, & leti ſuprema advolvitur hora,
Cum jam hæret lingua infelix, viſuque ſub ipſo
Diriguere oculi; tum vero, intendere mentem,
Tum magnos gemitus præſertim, ad ſidera volvi
Edico, & totum precibus convellere cœlum:
Tum mitem verſare animo dulcemque parentem,
Cujus in æterno fixa eſt clementia nato.
  Sentiet omnipotens, & opem, miſeratus, anhelis
Siſtet, & attonitis, oculiſque offundet ab alto
Inſtantis ſpeciem formoſam & gaudia vitæ.
  Vnum hoc præcipue, ſi quæ eſt fiducia vero,
Et cœlo demiſſa juvant præcepta, monebo
Aſſidue: quantum precibus contendere fas eſt,
Poſce Fidem, poſce intrepidus, certuſque potiri.
Illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illam cœlicolûm genitor, cum numine terram
Fundaret, ſolidumque vndis includeret orbem,
Edidit, auxilium lapſis in Tartara rebus.
Illa polos penetrat, longeque in ſæcula mittit
Ardentes tranſacta oculos, venturaque luſtrat,
Et cœli ſequitur tot per per convexa Tonantem,
Picta ſinus, picta vndantem per nubila limbum.
Heic genus heroum, cœli quibus atria Diva
Recluſit, ſeriem longævam à ſanguine primo,
Pectine ſollicito, multaque intexuit arte.
Stant terni proceres, ſtat magno fœdere nixa
Progenies, totum terræ promiſſa pet orbem,
Stellarum ſimilis. ſtat torva Ægyptus, & omnes
Sudorum facies, & fœda incommoda regis,
Et jam ſervitium pertæſa, & triſte tyranni
Imperium, cœlo armata & famulantibus Euris,
Ibat læta acies. Heic atram incumbere nubem
Fecerat ordinibus, medioque ex aëre, flammæ
Fulgentes radios pulchrumque albeſcere lumen
Nocte ſub obſcura. Iamque illos gurgite in ipſo,
Inſtantum immemores, mediiſque incedere in vndis,
Cernere erat. dabat egreſſum fugientibus æquor,
Et ſponte immenſos ſternebant æquora montes.
Nec longe Debora, & Gedeo, & formoſus Iephta,
Incedunt, humeris conſpecti, & pectore lato:
Omnes pollicitis vatum, virtutibus omnes
Invicti, monitiſque animos ingentibus acti.
At natus Manua, ſpacioſa in valle leonem
Connixus dextra illidit, tergoque revulſas
Murorum portas, & ahenos ſuſtinet axes,
Rupis inacceſſæ, aut frondoſi culminis inſtar,
Intonſus, ſetiſque rigens immanibus heros.
Nec procul hinc tactum Iordani interritus amnem
Inſiſtit ſenior, quem turbo abruptus in altum
Mox, & candentes rapiunt ſuper æthera bigæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illum cæruleas afflatu accendere nubes
Corripedûm longe aſpiceres, comitemque per auras
Brachia jactantem nequicquam, & vana moventem.
Nec non & juvenes, primævæ robora pubis,
Oblitos leti, flamma in fornacibus ingens
Lambebat, perque ora viris & eburnea colla
Hinc inde errabat paulatim innoxius ignis.
Atque heic porticibus ſubnixam & mille columnis,
Prætextam cedro molem, ad faſtigia ſumma
Inſtabat Solyme venturo attollere Regi; (amœni
Templum, immane, ingens, pulchriſque Orientis
Conſpectum donis, & barbarico elephanto.
At vates, vnum attoniti, viſiſque ſubacti,
Vnum omnes, defixi oculis animiſque, tueri.
Illum autem, qua parva jacet deſpectaque Bethle,
Et requies pecori, & pecoris dilecta magiſtris,
Ignotum terris, nec quicquam tale minantem,
Vbere ſiccantem in gremio materna videres.
Quem ſenior, multumque animo rimatus, & ante
Venturum edoctus generi, quam lumina vitæ (que,
Linqueret; exanguis jam ævo, accurrenſque, tremenſ-
Protendenſque manus ambas, arcteque prehenſum
Vociferans premit, & lachrymis affatur obortis.
Parte alia, tenues animæ, vitæque ſilentum,
Emergunt tumulis: quas vox emiſſa, ſub auras
Elicit, & turpes diſcedunt corpore morbi.
Tantus honos, magnæ tanta eſt fiducia Divæ.
Ipſa æterna ſedet, ſummoque intenta parenti,
Haud vnquam immotos declinat luminis orbes,
Præſentemque videt: genitumque ante omnia natum
Sæcula, nec noſtro meritum ſuccumbere leto,
Toto ardet verſatque animo, totoque reponit;
Iam vitæ dominum, nil jam mortale tenentem:
Nec jam humiles, vt quondam, artus, ægroſque tra-
hentem,

Se

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Sed noſtros tamen. &, noſtro cum corpore, longe
Prævectum ſtrepitus, & victi limen Averni.
Cui ſimul incubuit, roſeiſque infuſa lacertis
Preſſit adoratum cœlo caput; omnia late
Nubila diſcedunt, triſtiſque e pectore cura
Vaneſcit, letique cadit denſiſſimus horror.
Non aliter cum blanda tenet clementia terras
Aëris, exactiſque ſimul cum nocte tenebris,
Formoſum parat Eous ſuſtollere vultum,
Et Solis jam venturum prænunciat aurum;
Vix ſummæ nutant ſegetes, ſummoque recidit
Littore, nec canis indulget fluctibus æquor.
Illa etiam, quamquam flamma ſtridente per artus,
Reſpicit innocuos, tutaque in pace reponit,
Et totum morte in media diducit Olympum:
Quantus erit, quantuſque animos caligine pulſa
Excipiet, feſſæ ſtatio ſuaviſſima vitæ.
Illam autem inſequitur læto Spes candida vultu,
Et ſublimis Amor. quem cœli examine, nullæ
Formarum facies, aut pulchri avertit imago.
  Quid tantum dilecta ſuis promiſit alumnis
Porticus, aut Stagira potens attollere vero
Pectora, vicinoque ſenex collatus Hymetto,
Dulcior eloquio perculſas flectere mentes?
Quamvis Elyſios depingat plurima campos
Phænaretæ ſoboles, ſolique incumbat honeſto,
Nec leti nequicquam animis inſtillet amorem;
Multa canens, quæ nec divina oracula vatum
Non cecinêre prius. Sic, cum veſtigia luſtrat
Denſa feræ, terramque impreſſis naribus haurit
Veſtigatque canis; nunc huc nunc vertitur illuc,
Et ſeſe augurio infelix oblectat inani
Errantis, repetitque eadem, ſequiturque relicta
Exululans: monteſque procul campique reſultant,
Et longe, nemore e medio reſpondet imago.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illa latet, ſolumque ſui diffundit odorem.
Namque diu, primum Aſſyriis in finibus orta,
Ægyptum mox fœcundam permenſa, Pachynum
Contigit, & doctas Sapientia venit Athenas;
Larga quidem, multamque trahens è fontibus vndam:
Non tamen expurgata ſatis, nec ſordibus expers.
Abramidæ qualem, priſci gens hoſpita Nili,
Accepiſſe ferunt, ſummoque è numine natus
Hauſit, & in terris divino prodidit ore:
Cui ſemper tranquilla Fides innixa recumbit.
Hanc depoſce igitur votiſque ardentibus vrge,
Venturiſque intende animum, & præſentia temne.
Quin etiam vitiorum odium & virtutis amorem
Poſce frequens. mors impuras formidine carpit
Exercetque animas: Furiæque ante ora vagantes,
Terrifico admonitu tædarum, & triſtibus hydris,
Supplicia intentant miſeris, pœnaſque minantur.
Quas probitas, quas priſca piis à mentibus arcet
Simplicitas, rectique ardor, neglectaque terris,
Vda genas, ſparſa incultos Metanœa capillos:
Viſu haud læta quidem, ſed qua non aptior vlla,
Aut cœli reſerare fores, aut tollere leti
Terrorem, mœſtaſque animis abſtergere curas.
Felices nimium, quibus his ſe jungere ſolis
Contigit, & vitæ comites aſſumere tantas.
His hære, his aſſueſce lubens, his pectora firma.
His neque te Muſarum Helicon, nec mollia vatum
Carmina, regaleſque epulæ, multuſque Lyæus
Avertat, Somnuſque pater, qui nocte ſub atra
Volvitur, & feſſos curarum illabitur artus.
Nec legum triſtiſque fori ſapientia diſcors,
Pæoniuſque labor: quem nunc male turpis egeſtas
Commendat; cœlo quondam Phœboque parente
Exo-

Exortum. ſi vera refert, ambage ſub illa,
Græcia, nil vltra vires mirata decuſque
Egregiæ dignæque Diis autoribus artis.
Sed neque dulce poli ſtudium, lapſuſque tueri
Ætheris aſſiduos, & quæ ſimulachra vagantur,
Aut certis, aurata, locis immota quieſcunt.
Mittendum eſt animum longe ſuper æthera, longe
Auroræ thalamos ſupra, & laquearia mundi
Vltima: ſi leti tibi cura excedere fines,
Et vitam guſtare prius penituſque requiris,
Ante ſuo tardi quam cedant corpore ſenſus.
Sed neque magnorum properanda negocia regum,
Et quæcunque humiles invitant præmia mentes,
Æterno rege abducant vitæque parente:
Aut ſublimis honorum ardor, defixaque terræ
Nunquam expleta fames auri. quantum illa veneni
Intulit humano generi, quantumque relicto
In terris animum patitur ſordeſcere cœlo!
Vt cum ſepoſitum teritur rubigine ferrum,
Neglectum ſimul agricolis, & inutile bello:
Sive haſtas juvat & volucres armare ſagittas,
Vomere ſeu duram ſplendenti invertere glebam.
Ergo iterum ſubigi tellurem iterumque monebo
Obſtantem, tardoſque, ut pridem, avertere ſenſus
Vſibus humanis, totamque avertere mentem
Senſibus: & certis immotam affigere rebus.
Oppreſſam, averſamque ſibi, ſemperque vagantem:
Ex quo deceptos coluber formidine turpi
Involvit, pulchroque hominem non paſſus in arvo,
Immunem leti imperio traducere vitam.
Illic ſub tremulis argutæ frondibus auræ
Aſſidue ſuſpirabant, & odoriferum ver
Spargebat tellus, ſpargebat lacteus aër.
In medio, fons purus aquæ, niveæque videri
Cryſtallo ſimilis, formoſo natus in horto,

Quattuor hinc totas atque hinc obeuntia terras
Flumina fundebat, latis ſolatia campis.
Quippe illinc, muſco virides, interque lapillis
Diſtincti niveis, certabant currere rivi,
Et tutos ſummo ſuadere in margine ſomnos.
Quorum temperie madidaſque aſpergine ripas,
Herbarum partu aſſiduo ridere putares.
Ridebant ripæ, ridebat roſcida tellus.
Nec pictæ florum facies, cantuſque volucrum,
Vſquam aberant, valleſque cavæ, colleſque ſupini.
Ipſi autem, nullo contacti corda dolore,
Et vacui curarum, aut circum in gramine læto
Plaudebant choreas, aut fontes propter opacos,
Ignaros operum condebant carmine ſoles:
Aut rerum perculſi animo novitate, recentem
Naturæ genium, & magni primordia mundi,
Luſtrabant, pictoſque oculos flammantis Olympi:
Quotque dies, tanto ſurgentem corpore Solem,
Quantus cœlo ardet, flagrantem lampada volvens
Per ſpacium mundi immenſum, vultumque comantem.
Nec non & terras animalia ſparſa per omnes
Tum primum, primaque omnes ab origine cauſas.
At nimbos ſegetum, quos terra inculta ferebat,
Ambroſiæ tinctos ſucco & vitalibus auris,
Afflabant Zephyri errantes, meſſemque perennem
Non ſulco genitam, non curvæ falcis egentem,
Et ſponte ex ipſo manabant aëre mella.
Nec minus & multum cœlo nemus, arbore denſa
Surgebat. quarum in medio, pulcherrima longe,
Ætherios panaceæ imbres, roriſque beati
Æternos latices, nigræ medicamina morti,
Spirabat Vitæ foliis felicibus arbos.
Sæpe ſub hac, vt fama refert, flagrantibus ambo
Involvit radiis, & luce ardentis Olympi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Majeſtas vicina Dei, totamque juventam
Afflabat vox vna, & inenarrabile murmur.
Sæpe Dei ſoboles, clara ſe in luce refulgens
Exhibuit, turba aligerum comitata, per æthram
Delapſa, rurſuſque polo diſcedere viſa.
Altera, læta quidem, blandiſque vberrima pomis:
Quam fœda ingluvie ſpiriſque immanibus ingens
Cingebat coluber, Diti ſacer. heu quibus ille
Perditus inſidiis rerumque ambagibus orſus,
Impulit, attingi vetitos, decerpere fructus.
Ex illo, labor inſolitus, terrorque, metuſque,
Invectumque nefas terris: curæque, dolorque,
Et fœda ignotam traxerunt crimina mortem.
Quam ſupero natus genitore, in faucibus Orci
Perculit attonitam, domitoque autore patentem
Fulgidus exuviis ſpoliiſque intravit olympum.
Continuo exorti juvenes, gens edita cœlo,
Gens invicta fide, gens turpis neſcia culpæ:
Quos neque pœnarum ſpecies, neque mortis imago
Terruit vlla: nec immiti ſuperaddita leto
Sævities, fractique artus, admotaque flamma
Viſceribus vivorum, & inundans ſanguine tellus;
Vt quondam, Superis, vitæque adverſa parenti.
Tantus amor, Ditis domitas perrumpere vires,
Et, vitæ, ſuper aſtra ſequi, regemque ducemque,
Protinus invaſit vacuas formidine mentes.
Quamquam illum ſolio formoſus continet æther
Aurato; tamen, & præſenti numine, terras
Implentem proprias, cœlique e limine pulchros
Aſpirantem animos. Qualis, cum mille per hoſtes
Elapſus, dux impavidus, ſtat in aggere valli
Victor, & inſtantes ſpoliis accendit amicos:
Illi autem, neque tela vident, neque ſanguine duros
Perfundi ſpargique humeros, dum vita receptos
Deſerit, inque ipſo morientes aggere linquit.

Ipſi igitur, cœlo intenti, mortalia ſupra
Extulerunt aciem verſæ ad ſublimia mentis,
Venturæque animo luſtrabant gaudia vitæ,
Aſſidue; Venerem averſi, licitoſque Hymenæos
Sæpe etiam, caſtæque domus ſolatia natos.
Pars quippe in ſolis ducebant montibus ævum,
Et nemorum ſpaciis, aut per deſerta viarum.
Errabant, exoſi homines, ſævoſque tyrannos
Vitantes, ſtructoſque dolos, rabiemque nocendi;
Tuti inter latebras tantum, & ſpelæa ferarum.
Pars tumulos inter monumentaque luce carentum,
Quos idem addiderat cœlo pulcherrimus ardor,
Fortem exercebant animum, letoque parabant.
Pars, quamquam populi in medio, turbaque piorum,
Inſtantem veluti verſabant pectore mortem
Aſſidue, vitæ immemores; corpuſque domabant
Terrarum exilio; delictaque mœſta luebant
Diluvio lachrymarum, actoque ad ſingula luctu;
Infandamque necem pendentis ab arbore Regis
Inſculpti impreſſique animos. ſic linquere terras,
Et veram ſoliti moriendo invadere lucem:
Ardentes velut effuſo prorumpere curſu,
Si quando exigeret ſæva inclementia vitam,
Aut rerum genitor collapſos ſolveret artus.
Primus ab excuſſa gelidi formidine leti
Morte Deo geniti, ſubito diſcedere cœlum,
Saxorum quamquam in medio nil territus imbre,
Iſacides vidit juvenis, natumque parenti
Iam junctum, dextraque ſimul de parte micantem.
Ille quidem, primuſque tulit certuſque coronam
Fulgentem, fulgentem auro gemmiſque coronam,
Inſcriptuſque polo legitur radiantibus aſtris.
Hunc alii rurſuſque alii mox deinde ſecuti,
Flammæ inſtar: quæ ſponte ſua petit æthera magnum,

Exorti

Exorta aut nigro in nemore, aut in culmine montis,
Veſtiti circum arboribus. volat illa per auras,
Reſtingui indignata. licet cum fontibus omnis
Vndique & agricola, & curvus concurrit arator.
Vnde viris vis tanta? Vnde hic in mentibus ardor,
Nec blandis vitæ illecebris, nec cedere morti?
Sola Dei prægreſſa viam certiſſima proles,
Victores animos cœlique afflavit amorem,
Immotamque fidem. qualem neque Tartarus ater
Excutit, aut mortis vis importuna minantis.
Ante etenim adventum geniti bis Regis, & ante
Humanæ quam fœda Deus contagia labis
Abluit, & miſſo luſtravit pignore terras,
Haud fruſtra æternam ſpondebant omnia mortem.
Nec quicquam ante oculos, leti niſi triſtis imago,
Aſtabat, mœſtoque Acheron horrore premebat,
Deſertas Superis animas neglectaque corda. (dus,
Quorum atrox, immenſum, atque inſuperabile pon-
Miſſa Dei ſoboles, feſſa cervice gementum
Abſtulit, & trunco moriens ſuſpendit ab alto.
Haud aliter, quam ſi connixum corpore toto,
Curvatumque artus Atlanta, humeriſque tenentem,
Ingentes aſtrorum orbes, mole exuat æthræ,
Et cum ſideribus totum ſubducat Olympum.
Quin etiam noſtra penitus ſub lege teneri,
Mortaleſque haurire auras dignatus, vt omne
Depreſſum tenebris, pridemque in Tartara merſum
Erueret leto genus, & pallentibus vmbris,
Morte ſua, gentemque aliam, nova pignora, tellus
Tolleret, immemorem ſcelerum, letique pavorum.
Heu amor! heu invicta fides! jacet altus Olympi
Rector humi, noſtroque vltro ſe corpore cingit,
Et tantum haud ullam patitur de corpore ſordem.
Quin etiam, cœlo ignarus terraque teneri,
Dilectæ ſedet in gremio genitricis, & ore,

Quo nubes, pelagique iras, ventique remittit,
Oſcula materno partitur dulcia collo,
Virgineiſque genis. illi pudor, æmulus igni
Eoo, vultumque horror demittit honeſtum,
Et tacitus ſtupor, & magni reverentia cœli.
Nam quis te, puerorum ô formoſiſſime, noſtras
Speret adire domos, moribundaque ſumere membra,
Et vitam hanc, leti ſub conditione, paciſci?
Nate Deo, quis tantus amor, quæ tanta lubido
Humanum ſervare genus: vt inhoſpita terræ,
Et noſtro indignam naſci de ſanguine gentem
Reſpiceres, antrique ignota in parte jaceres?
Tene ah ſuſtinuiſſe decem faſtidia menſium
Incluſum materno vtero? ten' ſanguine multo
Turpatum, triſteiſque genas, cœleſtiaque ora,
Æternum ſtatuiſſe atra de morte trophæum?
Iamque tibi pecudum vigiles ante omnia cingunt
Paſtores, tuguri exiguum, & penetrabile culmen
Immiti Boreæ, matutinæque pruinæ,
Parvaque dona ferunt, cernuntque in limine primo
Inſolitos cœli thalamos & virginis aureæ.
Atque vtinam veſtri, ô pueri, pars una laboris
Servaſſem pecudes, pecudes in finibus iiſdem
Servaſſem: Lycidaſque aliquis, vel pauper Amyntas,
Inſomnes illo duxiſſem tempore noctes:
Victori certe umbrarum letique futuro,
Duxiſſem viridem circum incunabula laurum:
Quamvis triſtis hyems gremio conſtringeret omnes
Arboreos fœtus, florem neque panderet vllum:
Nec ſpes aut Hyacinthe tui foret, aut Amarante.
At de ſubcribus prompſiſſem dulcia mella,
Aut preſſum lac de calathis, quæ copia ruris:
Aut ſtridens incompoſito, quæ prima voluptas
Paſtorum pueris, ceciniſſem carmine laudes
Virgineaſque tuaſque. nec hinc aut pulcher Alexis,
Aut

Aut partem Galatea ſibi ſubduceret vllam.
At non ſidera vaſta, Deum neſcire fatentur,
Anguſta quamvis ſub paupertate jacentem.
Nec tantum potuêre, humili de ceſpite culmen
Congeſtum (quale incultus feſtinat arator,
Horrida cum ſævæ circumſtant frigora brumæ,)
Indutique humiles abjecti corporis artus,
Omnipotens quantum mens, & ſublimis imago
Ætherii genitoris, & indeſcripta poteſtas:
Quantum, quæ, terraſque omnes, pontumque profundum,
Et cœli liquidos majeſtas ſuſtinet orbes.
Iamque domo procul exciti, dictantibus aſtris,
Adveniunt longe Nabathæo è littore vates.
Nec minus ætherii juvenes, circum vndique culmen
Exiguum, choreaſque agitant plaudentibus alis,
Et totus rerum artifici deſcendit Olympus.
Nam quamquam neque Tarpeias bellator ad arces
Ibis ovans, procul auguſto comitante Senatu,
Murali neque tormento Mavortia rumpes
Mœnia, nec cluſas perrumpes ariete portas:
At raucum tonitru, quo fractus diſſilit orbis
Terrarum pontuſque; tuum eſt. tu, ardentibus aſtris
Transfixum, multo percurris fulmine mundum.
At Boreas tibi ſervit, at igni armatus & auro
Orion. At Pleïades, ſeptemque Triones,
Nocte atra, ſedeſque tuas & limina ſervant.
At vero, quacunque pedum veſtigia figes,
Ad tua perculſi ceſſabunt nomina morbi,
Et cœco Pluton animas dimittet Averno.
At te, terribilis leti Ditiſque potentem,
Aërias equitantem auras, nubeſque ſecantem,
Circum acies fuſa aligerûm, atque exercitus omnis
Cœlorum, qui naſcenti ſe junxerat ante,
Æterna evectum Capitoli in ſede locabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Excipietque iterum venientem, & nube ſerena
Fulgentem, noſtroſque humeros, noſtroſque lacertos.
Tum, ſimul horriſono fremitu tua buccina Gangen
Percurret gelidamque Helicen, mors tota remittet
Pallentes populos, & dulci luce carentes.
Salve autor, ſalve omnipotens, qui ſanguine nobis
Effuſo patriam peperiſti, & munera vitæ.
Salve ingens leti domitor: quem corpore toto,
Tertia lux nigris venientem excepit ab vmbris.
Continuo fractam ſenſerunt omnia mortem.
Iamque triumphatum penitus penituſque ſubactum
Audacem colubrum, morti qui vincula primus
Laxavit, totumque Erebo dimiſit in orbem.
Hinc, leti immemores, venturo incumbimus ævo,
Et vitæ egreſſi tenebris, donamur Olympo.

SUM-

SUMMA DOCTRINÆ
quæ ſingulis libris
De Contemptu Mortis
continetur.

Totus liber primus προθεωρίαν continet Platonicam: ſine qua hoc argumentum ſolide tractari non poteſt. Quippe, cum mors tantum ſit corporis, dandam eſſe conſtat in hac vita operam, vt quæ pars eſt immortalis, ea in colenda mente tota occupetur: objecta ejus, quantum poteſt fieri, ſequatur, atque aßidue intueatur: ipſa denique, quandoquidem id ſumus quod eſt mens noſtra, teſte Socrate, rebus omnibus omißis, ad ſe atque in ſe revocetur. Agit ergo liber hic de ſeparatione mentis à corpore & ſenſibus. Quam Plato, mortis in hac vita principium dicebat. Quæ ut recte inſtituatur,

Habendam diligentem rationem, ut ab ineunte ætate, viri præſtantes & ab omni improbitate alieni, puerorum educationi præficiantur.

Quos vel ideo ab omni vitiorum contagione alienos eſſe oportere, ne puritatem animi, alumni ſibi crediti, à teneris inficiant. vt divinitati ejus, contemplando, perpetuo vacare aſſueſcant: vtque omnibus ſepoſitis, de ſublimitate animi, deque autore ejus, qui eſt Deus immortalis ac æternus, cogitent. Ac inprimis,

Illum ex traduce non eſſe, neque à corporibus & cum illis generari, ſed à Deo inſpirari.

Non eſſe corporeum, neque ex elementis mixtum, neque vllum denique eorum corporum, quæ vulgo elementa dicimus.

Idque vel ex eo conſtare, quod futura videat, præſentia intelligat, tot præclaras artes atque diſciplinas excogitaverit. Eum enim eſſe, qui humanam vitam ab initio formaverit, inſtruxerit, in ordinem redegerit. Quorum vis neque in illis quatuor conſpicitur corporibus, neque in iis que ex illis componuntur.

Atque idcirco, neque Solem aut Lunam, magna illa corpora & lucidiſsima, neque ſtellas cujuſcunque ordinis aut loci, multo minus, mare aut terram, cum præſtantia illius conferendam eſſe.

Diffundi autem ita late, ut nec ab aere, neque ab ipſo æthere, circumſcribatur, ſed hæc omnia, cum meditatur, tranſcendat: ac inprimis, cum ad Deum, à quo ortus eſt, aſcendit.

Hoc præſtare non poſſe; niſi in ſe abeat, niſi curas reliquas ableget, niſi auaritiæ, ambitioni, reliquiſque vitiis renuntiet, niſi ſui juris ſit, niſi imperium in eam partem, quæ ἄλογος dicitur, ſibi vindicet, niſi ſe ab omni perturbatione vindicatum includat ſibi, niſi mente penitus fruatur. quæ eſt flos quaſi animi, & in ſuprema parte, tanquam arce quadam, collocata. cum præſertim anima per totum corpus diffundatur: mens autem quo longius à corpore receßit, eo longius à mortalitate & corruptione abſit.

Ideo, dandam eſſe operam, ut crebro rebus magnis intendatur, & inprimis ſibi: ut ſenſus ſubiiciat, & ab illis quam longiſsime ſe ſegreget: ne cum operatur &

præcla-

præclaris cogitationibus intenta eſt, deorſum retrahatur, aut mortales curæ, à quibus iſto modo quam longiſſime abit, rationem operantem interturbent.

Quia, quoties hoc modo ſibi vacat atque in ſe reflectitur, longiſſime à metu mortis, paupertatis, atque ipſius fortunæ violentia ac poteſtate, abeſt.

Idcirco Platonem, talem vitam, mortis principium dixiſſe. ſiquidem à corpore paulatim ea ratione abducitur, humanas res excedit, vſu denique omni corporis ſe abdicat. Adeo, ut qui in hoc ſtatu moriuntur, ſine ſenſu mortis è vita abeant, & quietem hanc ſuaviſſimam, cum morte continuent. quod de Archimede & aliis nonnullis fertur.

Hanc eſſe illam quam in terra Socrates profeſſus eſt. qui hoc unum toto vitæ tempore egit, ut domaret ſenſus, excitaret animum. Qua occaſione, longa de laudibus atque inſtituto ejus παρέκβαζις inſeritur. ac præcipue de ejus pulchro: quod eſt proprium animi à ſenſibus ſeparati objectum, & legitima ad mortem præparatio.

Ejus igitur exemplo, curandum eſſe, ut à rebus omnibus mortalibus, inprimis vero ſenſibus, mens abducatur. vt in ordinem auditus, tactus, guſtus, olfactus, & ante omnes, viſus, cogatur. Qui præcipuus ſatelles atque janitor, ad mentem omnia tranſmittit, & pleruinque falſas illi inſerit opiniones. cum non raro & cæteri, & ipſe, omnium certiſſimus, decipiantur ac decipiant.

Quorum vitio aut errore, primos homines, maximeque antiquos ſapientes, qui poëtæ fuerunt, multa per-

ſuaſiſſe

ſuaſiſſe hominibus quæ falſa ſunt. Vt cum Iridem, non tantum admirati ſunt, ſed & Deam finxerunt eſſe: ſine cujus miniſterio, nihil inter Deos geritur. Quam tamen conſtat, nihil eſſe aliud quam diverſorū colorum φάσμα, *ex radiorum ſolis reflexione in oculos incurrens.*

Id ſi evenire poteſt viſui, multo magis reliquis evenire poſſe ſenſibus, qui longe imbecilliores atque incertiores ſunt.

Hinc amorem & ſpem, ſimileſque perturbationes, quemadmodum & falſas de religione opiniones, quæ terrarum orbem pervagatæ ſunt, ſed inprimis, de quo agimus, terrorem mortis, eſſe natum. Quæ niſi expugnentur à teneris, niſi mens à ſenſuum contagione ac perſuaſione abducatur, fieri non poſſe, ut vllus veritati ſit locus. eam enim ſolam eſſe quæ videt, ſolam quæ audit, ſolam quæ non fallit. Solam, quæ, ut Plato loquitur præclare, αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἕκαστον ἐπιχειρεῖ θηρεύειν τῶν ὄντων, *inprimis,* ἀπαλλαγεῖσα ὅτι μάλιστα ὀφθαλμῶν τε καὶ ὤτων, καὶ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ξύμπαντος τοῦ σώματος, ὡς ταράττοντος, καὶ οὐκ ἐῶντος τὴν ψυχὴν κτήσασθαι ἀλήθειάν τε καὶ φρόνησιν, ὅταν κοινωνῇ.

Ea autem quantum poſſit, cum à ſenſibus, ac præcipue à viſu, ſe ſejunxit, nunquam apparere magis quam nocte. Nunquam enim firmius in ſe recedere atque ibidem hærere, quam cum nocte intempeſta meditatur. Quia eo tempore omnia externa ſenſuum objecta, ac præſertim viſus, ſunt ſublata. Non enim cœlum formas ſuas oculis inſinuare, non terram. Solem quoque, qui illuſtrat omnia, abſentem quaſi agere: neque quicquam

auribus tum obiici, quemadmodum interdiu. Quæ vt infinita ſunt, ita infinitis modis mentem perturbare. Ejus autem in ſe penitus defixæ ac converſæ, voluptatem eſſe tantam, vt excogitari nulla in hac vita poſſit quæ ad partem ejus aliquam accedat.

Eandem, vbi ſola ſibi vacat & verſatur ſecum, excitari magis ſui deſiderio ac inflammari: ſenſus autem contra, vitæ deſiderium & corporis amorem inducere, cum in conſilium & partem cogitationum adhibentur.

Certum autem eſſe, ſicut inter ſenſus, viſus eſt certiſſimus, ſic quæ non videntur, eſſe certiſſima ac præſtantiſſima. Ex quo ſane apparet, quanto ea quæ ſentiri non poſſunt, dignitate ac præſtantia, ſenſuum objecta excedant. Qualis eſt virtus, ſapientia, ac ipſe Deus immortalis.

Hoc evincere ipſam mentem, quæ ut eſt pulcherrima ac præſtantiſſima, ita & natura ſua ad pulcherrima, ſe & Deum nempe immortalem, ferri. Quod autem contra agere videtur, non ab ipſa, ſed à corpore eſſe ac ſenſibus. quibus, teſte Socrate, non aliter quam clavis pertinaciter affixam hærere Vnde ingens ille mortis horror. quos, vt ſuo munere fungatur, revellendos eſſe. Nam vt elementa ſingula, alia ſurſum, alia deorſum tendunt, ita animũ, adinſtar ignis, ſurſum ſemper ferri. Qui in alieno loco & non ſuo, fruſtra nunc conſtringitur. vt ſi terra in aëre, ignis in terra contra naturam, cohibeatur. Extra quem vere viuet, quia per ſe vivet. neque horrore mortis commovebitur, quia horror ille proficiſcitur à ſenſibus: tum & mori diſcet, quia mors,

eſt, cor-

eſt, corporis atque animæ, quæ inter ſe cohærent, ſeparatio. quæ hac ratione diſcitur atque exercetur. Atque hæc quidem prior pars, & quaſi via, qua ad ſolidum contemptum mortis pervenitur.

Altera eſt, ut ipſa mens noſtra, poſtquam ſic à ſenſibus eſt ſeparata, cum objecto ſuo coniungatur. quod eſt Deus.

Atque eam quidem eo per ſe quidem ferri. Hic vero iterum obſtare corpus & tellurem, cœlo inimicam. Quæ cum inter nos & animæ objectum, interjecta ſit quaſi, maximamque hanc lucem intercipiat, non minus animam ab ejus ſordibus purgandam, quam à lolio purgatur tellus. Quare, idem faciendum quod fit ab agricolis: evellenda atque extirpanda eſſe omnia corporis vitia, vt mens ad objectum ſuum libera aſſurgat.

Huic rei inprimis conducere vitam ſobriam & ſimplicem, atque ab omni luxu remotiſſimum victum, qualis ibi præſcribitur. Nihil quippe magis animum à mortis contemptu & objecto ſuo ſeparare, quam ciborum luxum & ebrietatem.

Quippe ſi animus, cum plane ſuæ ſpontis eſt ſibique totus intenditur, quanvis in re levi occupatus (qualia ſunt minora quædam ſtudia, de quibus ſupra dictum eſt) reliquorum obliviſcitur, nec vivere ſe meminit; quanto magis, cum æternas formas & objectum immutabile amplectitur, & quicquid extat in hoc orbe, prætervehitur?

Extra quem, ſolus Deus eſt: idem qui ubique eſt; ſimplex, non compoſitus. Qui occurrit ei, & ſublatam ſecum extra omne illud quod mutatur aut interit, hoc

eſt,

eſt, extra mortis regnum & interitus, in quo verſamur dum hic ſumus, reponit.

Hanc eſſe primam voluptatem hujus vitæ: pignus autem certum, & quaſi tyrocinium ac rudimentum, futuræ. vt nimirum mens purgata, Deum cogitet, & quantum poteſt fieri, intelligat.

Hunc illius ſcopum, hoc illius centrum eſſe, in quo conſiſtit.

Quo ut perveniat, iterum, quod ante dicebatur, agendum eſſe. Etenim, quemadmodum mens noſtra ſeparanda eſt à ſenſibus, ut tam nobile objectum intelligat: ita Deum, ut intelligatur, ab humanis rebus ſeparandũ eſſe. Hoc autem fieri, primo quidem ἀφαιρέσει, *hoc eſt, ſi ab eo ſeparetur quicquid proprium eſt hominis, & viciſſim ipſe ab iis ſegregetur. Exempli cauſa, ſi corporeum, mortalem, genitum, aut factum, negemus.*

Deinde, ſi ab elementis quoque & corporibus è quibus cuncta conſtant, eundem ſegregemus: denique hoc toto univerſo, tamquam veſte pulchra atque admiranda, ut Platonici loquuntur, eum exuamus. Quia ex his nihil ad eſſentiam illius pertinet: ſimplicitatem vero, etiam involvunt. Quæ ſimplicitas, ſemper, & ante omnia, in Deo ſtatuenda eſt, quia contrarium ejus maxime cum Deo pugnat. Ideoque non immerito Theologi, inter attributa Dei, primo omnium occurrere ſimplicitatem docent. quia ipſe in nullo continetur, ſed totius entis eſt principium.

Atque hinc ſenſim ad perfectionis ejus attributa perveniri: quale inter cætera, omnipotentia atque infinitudo ejus eſt. quæ, reſpectu temporis, æternitas, re-

ſpectu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ſpectu loci, immenſitas vocatur. Nam de vita quæ in Deo eſt, qui primum vivens recte dicitur, infra agitur, vbi de æterna generatione Filii.

In quibus Dei attributis, quia plus periculi eſt ſitum quam in reliquis, conjiciendos eſſe oculos in eum, qui proprietatem Dei & naturam nobis, quatenus cognoſci eam fas aut neceſſarium exiſtimavit, abunde expoſuit. Deum nempe Filium, qui cum eſſet vera imago Dei, & æterni pulchri; ipſe Deus, & cum Patre ipſum pulchrum; noſtro corpore indutus ad nos venit.

Quem cum Deus Pater in ſe, hoc eſt, ſapientiam ſuam, ab æterno converſus, quamvis modo prorſus ineffabili genuerit, vel ex eo apparere, quam ſint actiones illæ nobiles, quas ἐμβρυούζας vocant. Nam ut intellectus noſter parit rationem, ſed in tempore: ita Deum Patrem, ante tempus rationem genuiſſe, ſed æternam, quæ eſt Filius.

Cujus beneficio, & trinitatem perſonarum, ſalva unitate eſſentiæ, ad quæ mens noſtra per ſe fruſtra aſpirabat, didiciſſe.

Vt & maximum arcanum illud, Mortem ſanguine ejus qui non interit, & ab æterno in æternum vivit, extinctam eſſe.

Hunc autorem eſſe omnium quæ vivunt, autorem omnium quæ ſunt, cum ex intuitu ſapientiæ ſuæ omnia creaverit Deus. Etiam hominem; in quo anima & corpus hypoſtatice unita ſunt. Ita tamen, vt in iſta cum ſit forma hominis; non hujus tantum vita quam nunc ducimus, verum multo magis ſemina futuræ ac igniculi contineantur. qui cum ipſa ſibi jungitur, eliciuntur.

tur. Id vel ex eo planum eſſe, quod cum ipſe videt ſe atque intuetur, admiranda gignit opera. quales ſunt doctorum meditationes, quæ ad omnem tranſmittuntur poſteritatem. Id autem eo fieri, quia animus humanus, nihil majus aut excelſius in terris, ſe, complecti poteſt: ne ſi vel in ipſo Sole aut ſideribus verſari queat. Quod teſtari magnorum hominum cogitationes, quoties in ſeſe intuentur, & à corpore recedunt. Qualis nobiliſſimus ἐνθουσιασμὸς *ille in Platonis Phædro: cujus initium,* Magnus in cœlo Iupiter, *&c.*

Hoc opus, nempe aſſiduam objecti contemplationem, primum eſſe ac maximum, quod in vita fieri à nobis poteſt. non tantum, quia quamdiu mens intenta ſibi manet, nihil cum morte corporis commune habet, ſed & quia in ſuaviſſima, ac ſibi propria, ipſius pulchri contemplatione verſatur. Quo omnium animi ſua ſponte rapiuntur. Amorem enim pulchri, ſive illius quod eſt tale, ſive quod videtur, efficaci ratione omnibus eſſe inſitum. Quod inductione longa oſtenditur. Illius enim cauſa, omnes navigare, militare, terram fodere: omnia denique omnes agere.

Pulchrum autem quamvis proprie ad intellectum, bonum ad voluntatem referatur, tamen pulchri nomine utrumque hic quemadmodum fit à Platonicis, ſignificari. inprimis à vulgo: qui objectum voluntatis, quod hic autor notat, cum objecto intellectus, non confundunt modo, ſed & præferunt, atque ad bona χετικῶς *ſic dicta, à ſimpliciter bonis, ac ſimpliciter pulchris, & præſertim ipſo pulchro non creato, cogitationes transferant. Aut ad actiones, quæ ſunt extra*

intellectum, deflectunt. quales ſunt qui in Rep. verſantur.

In eo enim falli omnes, quod in opibus nonnulli, nonnulli in honore, alii in ſobole & propagatione ſui generis, id poſitum exiſtiment.

Quam viam dum inſiſtunt, & in hoc ſunt toti, vitam aliud agentibus, tanquam ſomnium, elabi. Interim inſtare mortem. à qua nihil mirum ſi plerique imparati præveniantur, cum de ea neque cogitarint unquam, neque mori didicerint: quod fit, cum mens ipſa in ſe abit, & in pulchri contemplatione, cujus ſemper post hanc vitam particeps futura eſt, exercetur.

Nunquam enim minus ſollicita de morte eſſe poteſt, quam ſi extra jus mortis ipſa ſe roponat. hoc eſt, menti det operam: quam, ex omnibus, quæ orbis habet, orbi univerſo omnibuſque rebus quas mors ſibi vindicabit, ſuperſtitem futuram eſſe.

Non enim terram, neque mare, neque cœlum, neque quicquam quod nunc admiramur, aut cui totis ſenſibus affixi hæremus, ab interitu & igne, cui omnia ſervantur, immune futurum. Qua occaſione, horrenda illa ἐκπύρωσις *quæ univerſo imminet, deſcribitur.*

Qui ergo ea ratione qua jam dictum, vivere didicerit, opus inchoabit, quod mors ipſa perficiet. Nam & contemplationem illam animæ abſoluet, & à toto corpore, quod jam ex parte factum, abducet mentem. quæ tum demum ipſo pulchro, cujus hic contabuit amore, tota atque ex voto fruetur.

Hæc eſt ergo vita illa nobiliſſima, quam ſecundum mentem Plato & Platonici dixerunt. qua nihil ſ[illegible]ius,

nihil ſublimius, nihil divinius, dari in hac vita poſſe docent. Cui utinam à teneris incumbant homines, & unum hoc agant; Deo tantum conſecrati & virtuti. Longe animo majori ex hac vita excederent, longe dum hic agunt aliis incumberent, neque, quod neſcire nunc videntur, ignorarent, tanti eſſe quemque quanti eſt cujuſque animus. Quare hoc totum quod hic vivitur, huic vni impendendum eſſe, poſt autorem ejus à quo fluxit.

Quod cum Plato intelligeret, ſummam hominis felicitatem, in ſolutione animæ à corpore, & eorum quæ revera ſunt, contemplatione, collocandam cenſuiſſe. Quia autem qui ſic vivunt, ſoli diſcunt mori, ſoli mortis dum hic vivunt ſtudium exercent, (ſolvunt enim animam à corpore, dum vivunt, ut æterna contemplentur) ideo ille idem, nihil aliud philoſophiam quam, ſolutionem animæ à corpore ac ſeparationem, eſſe dixit. neque aliud philoſophi, qui vere ſit talis, munus eſſe, quam quod in Phædone dicitur divinitus, vt omni ratione à corpore ſejungat animum ac purget, eumque continenter aſſuefaciat, ut totus in ſe congregetur ipſe & quaſi colligatur, ſecumque, quantum poteſt, habitare, tam in iſta vita quam poſt illam in futura, ſolus, & à corpore non ſecus quam à vinculis ſolutus, meditetur. adeo ut idem velit eſſe mortis meditationem, & philoſophi ſtudium. Eſtque hæc doctrina, non modo apex, ſed & compendium, totius Platonicæ. Quæ nihil docet aliud quam vivere ut oportet, & quemadmodum oportet mori. Ideoque neque eſt ἀδύνατον vt Stoicorum, ſed exercitatione crebra comparari & poteſt, & a magnis ſæpe viris comparata fuit.

LIB.

LIB. II.

POſtquam libro primo fuſe demonſtratum eſt, quomodo à corpore in hac vita animus ſolvendus ſit ac morti præparandus, libro altero, diverſæ adferuntur rationes, quæ terrorem mortis, dum hic vivimus, imminuunt, & invictam animo ſecuritatem contra hanc neceſſitatem præſtant.

Primo, ſæpe cogitandum eſſe, Totum illud quod ab aëre ambitur, caſibus diverſis ac Fortunæ eſſe obnoxium. Quæ in poteſtate quamvis Dei immortalis ſit, neque quicquam ſine ejus providentia geratur, & αὐτοματισμὸν ponere in natura, Chriſtiano ſit indignum; tamen homines cum plurima non aſſequantur, quicquid præter rationem evenit, & cujus cauſas non intelligunt, hoc vocabulo indigitare.

Eam autem ſicut ipſam vitam quam hic ducimus, omne calamitatum ac miſeriarum genus comitari: vt & paupertatem, laborem, famem, infinitos morbos ac dolores.

In hoc miſerando loco, ſimul homo, animal divinum, & quod cælo ortum ſuum debet atque orginem, à natura exponitur; ſtatim manifeſtum eſſe, quantam ſibi fieri injuriam exiſtimet, quod in ipſo vitæ limine, cum multis lachrymis ac flebili vagitu, naſci ſe invitum teſtetur.

Poſtquam autem aliquantum adolevit, quo nobiliorem ac ſublimiorem eſt ſortitus animam, eo magis corpus detrectare, tanquam onus mente indignum. contra autem, animas abjectas, corpori hærere, vt ſuo: neque

vllis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ullis aut calamitatibus, quæ ſingulis eveniunt diebus, aut injuriis fortunæ, aut doloribus, adduci poſſe, vt amplecti illud deſinant, aut ad portum aſpirent.

Quare, vt ignavus ille leti terror, qui exercet plurimos, fugetur, atque in ejus locum pura animi tranquillitas ſuccedat, crebro de miſeriis, vitæque hujus calamitatibus, cogitandum eſſe. Quæ tam ſunt in promptu, vt invitis etiam occurrant.

Iſtis autem neminem defungi, niſi qui in locum meliorem ſit tranſlatus: in quo ſolida omnibus parata eſt libertas. Ad quam magnæ animæ feſtinant. quibus nihil æque eſt curæ, quam vt tota mente vti poſſint. Cui rei jam ſuperiori libro præparati fuerant.

Ante omnia, adverſus mortis terrorem, animum virtute muniendum eſſe. Inprimis fortitudine & conſtantia. Quas ſuppeditare partim antiquorum ſcripta, partim maximorum hominum exempla: tam qui noſtra quam qui patrum memoria vixerunt.

Inertes vero atque imbelles, qui ad ipſam mortis mentionem horrent, aut immodice ereptos lugent, tanquam peſtem aut contagionem publicam, vitandos eſſe.

A quibus, Schytas quoſdam quam longiſſime ac Thracas abfuiſſe, qui naſcentes lugerent, vti fama fert, ac plangerent: morientes autem læto proſequerentur omine, ac felices vocarent.

Videndum quoque, vt poëtarum ſcripta cum judicio legantur: & inprimis quæ de inferis ab iis commemorantur. Quibus & abſtinere melius. Siquidem ingenitam omnibus mortis formidinem, falſis opinionibus ſtabiliunt.

ſtabiliunt: animos horrore vano implent: laruas & terrorem pueriliter inſinuant. Quod, Homeri præcipue exemplo, confirmatur. qui Achilli indignos tanto heroe gemitus ac lamentationes, apud inferos tribuit.

Eos quoque, quam diu hoc agitur, ut animus attollere ſe diſcat, ſupraque omnem mortis metum aſſurgat, melius non tangi, qui amores ſuos celebrarunt. Quod virtutem animi & neruos viriles, quibus cura mortis infringitur, emolliant.

Longe melius Socraticos ſermones, quovis melle dulciores, & ſuaviſſimas Platonis diſputationes, legi.

Longe melius excelſis maſculiſque Stoicorum placitis incumbi. qui nihil turpe, nihil metuendum eſſe docent, quam quod à virtute alienum eſt. In reliquis ſequendam naturam eſſe: non aliter quam ſtellæ, & quæcunque in hoc magno mundi theatro, ſine metu aut terrore feruntur, qua jubentur à natura: nec ſecus mortem eſſe excipiendam, quam defectum Lunæ, aut Solis, aut telluris motum, & ſimilia. quæ invitis quoquo nobis fient, ſi timeantur: ſi non timentur, tranquillis & ſecuris.

Ab his eſſe magnum illud monitum, quod maxima cum cura animo ſit infigendum, Metum mortis à natura non eſſe, ſed ab opinione. Quia, quicquid à natura eſt, eodem modo in omnibus & ſemper ſe habet. Sicut ignis urit ſemper, & omnes. Mortem vero non ab omnibus timeri. non enim æque à ſapiente & ſtolido: non à Socrate, & quovis è plebe. Quare à natura non eſſe. Ideoque expugnari poſſe.

Neque ſine fructu virum ſapientem, magna ac robuſt.

buſta Stoicorum intueri exempla: Catonis puta & aliorum. quatenus, nimirum, vitam magno animo contempſit, libertatem prætulit ſervitio, dolorem denique animo ſubjecit. nam hæc mentem ſine dubio ab omnī ignavia abducunt. Niſi quod exemplum non eſt abſolutum: atque idcirco non imitandum. quatenus nimirum idem eſt qui mortem pertulit conſtanter, & qui eam ſibi intulit. Quod nec Chriſti Domini philoſophia, neque ipſe Socrates admiſit. qui αὐτοχειρίαν in Phædone, vt indignam ſapiente prorſus damnat: vetatque, non jubente ſummo vitæ duce atque autore, hac præſcripta ſtatione quenquam egredi. Quemadmodum & illis magis ſapere videntur, qui affectus ſuos rationis imperio ſubjiciunt, quam qui eos penitus cum Stoicis, delendos eſſe putant. cum victoria quæ ducitur ab illis, ſolida ſit viri ſapientis gloria: ubi autem nemo ſubjugatur, ibi ne victoria ſit quidem.

Præſtare idcirco, ex hiſtoriis tam Græcis quam Romanis, maximorum hominum exempla peti, qui invicto atque immoto animo, patriæ ac libertatis cauſa ceciderunt. Tales apud Græcos Othryaden, ac Thebanum Epaminondam fuiſſe. quorum alter, cum, cæſis Argiuorum trecentis, ac Spartanis totidem, ſolus ſuperſtes, diu gravi vulnere ſaucius inter cadavera latuiſſet, tandem hoſte ſpoliato, ſuo ſibi ſanguine, Se viciſſe inſcripſit. atque ita expiravit. Alter victoriam jam conſecutus, poſtquam ſalvum eſſe intellexit clypeum, magno ac lubenti expirauit animo. Romanorum autem prope infinita eſſe exempla: qui cum hoſte nunquam pro patria videntur dimicaſſe, quin trophæum pariter

 riter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

riter de illo ac de morte erigerent. quia hanc cum illo, contemnendo, ſuperarent.

Nihil vero æque conferre, quam ſi ſæpenumero in anteacta tempora convertatur animus, ac diligenter ſecum quiſque cogitet, qui quantique viri, partim olim partim noſtra tempeſtate extiterint, quibus omnibus, eadem neceſsitas nobiſcum fuit ſubeunda. Sive ii militari gloria ac robore, ſive, eruditione ac ſapientia, excelluëre. Quales quidam recenſentur, quos tum priſca, tum hæc noſtra tempora, dederunt. Quod quidem minus eſſe mirum, cum tot potentiſsimæ Reſpublicæ, tot vrbes atque regna, & inprimis, vrbs æterna, Roma illa vetus, illa potens, illa nobilis, hoc tempore in ruinis ſuis, inſtar maximi cadaveris quæratur, nec inveniatur tamen.

Inprimis vero & præ cæteris, non parum in hanc rem fore, ſi quis ſæpe ac diligenter ſecum cogitet, quot & quales olim vel habuerit amicos vel extulerit: quoties alicujus cauſa luxerit: quot amicis ſenſim ſit orbatus. Tum ſi ſingulorum virtutes ſæpe percurrat: conſuetudinem eorum, mores, geſtus, ſæpe ſibi ponat ante oculos & quaſi repetat. Ea enim ratione fore, ut ab omnibus deſertum ſe intelligat, tandemque, quod tam multis eveniſſe videt, ſibi aliquando evenire optet. Quem locum, mentione amicorum aliquot quos potiſsimum dilexit, autor hic illuſtrat.

Eodem modo, & de fratribus, ſororibus, affinibus, parentibus, ac ſimilibus, cogitandum. Non ut inani eos luctu proſequamur: ſed quia ſic futurum, ſine dubio vt cogitemus, alibi jam eos eſſe, vbi eſſe & nobis expediat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

diat. vel ne diutius eorum lugeamus hic abſentiam, vel vt iterum jungamur illis.

Non enim eſſe dubitandum, quin ſint alibi. niſi ſi quis pariter cum corpore, exſtingui quoque animam exiſtimet. Quod abſurdum ac pernicioſum generi humano dogma, Epicuro relinquendum. qua occaſione, argumentis aliquot, animæ probatur immortalitas.

Quorum primum eſt, Si mortalis ſit anima, totam virtutis rationem ejuſque ſtudium, è vita tolli. Quod argumentum, valide à Platonicis ac Pythagoricis vrgetur. Negant enim, poſſe fieri, ſi poſt mortem nihil jam ſuperſit, quod cognitione veritatis ac virtute exornari poßit, vt quis merito, ea quæ honeſta ſunt ac ſola expetenda, vt oportet, expetat. ſiquidem vel ſola interitus illius partis ad quam illa ſpectant ſuſpicio, totum iſtud ſtudium, quod rebus impenditur honeſtis, tollit, atque inutile eſſe oſtendit. Quis autem, ajunt, tam eſt fatuus futurus, ut non plane obſequatur corpori, modo propter illud conſervetur animus: ſi præſertim per ſe non exiſtat, ſed certæ ejus conformationi accedat? Dementem quoque fore, qui virtutis cauſa corpori renunciet, ſi cum corpore ipſa amittenda ſit anima. Adeo, vt extincto corpore, nuſquam ſit futura virtus, cujus ſtudio ac deſiderio, mortem ſubimus. Ideoque recte concludunt, ὅτι οἱ θνητὴν οἰόμενοι τὴν ψυχὴν, περὶ τοῦ προσίεσθαι τὴν ἀρετὴν, κωμῳδοῦνται μᾶλλον ἢ ἀληθεύουσιν. eos qui mortalem eſſe animam exiſtimant, cum de virtute ejuſque ſtudio loquuntur, cavillari potius, quam verum dicere, aut ex animo loqui. *Addit Plato,*

Si mortalis ſit anima, fruſtra dari operam virtuti, quæ aut præmium expectat in hac vita, aut in alia, vt idem quoque docet. In hac autem, improbos, vt plurimum, felices, probos contra, miſeros ac infelices eſſe. Ergo, alibi hoc expectandum. poſt hanc vitam, nempe.

II. Argumentum eſt, Si anima mortalis ſit, nihil ad nos cultum Dei & religionem pertinere, cujus curam feris quoque ac Barbaris, commendatam quodammodo videmus: quam vniverſus gentium conſenſus, eſſe neceſſariam euincit. hanc autem ad corpus ſed ad animum ſpectare. Hoc enim agere, vt cum Deo eum vniat, & autori ſuo aliquando reddat. Quod hic fieri non poſſe, quamdiu nempe cum impuritate hujus corporis luctamur. Ergo alibi futurum.

III. Quemadmodum honorem, ita immortalitatem petere omnes, & præcipue qui reliquis plus ſapiunt. Qui cum maxime intelligant quid petant (nam ab intellectu eſſe hoc votum) fieri non poſſe, vt, quod recte ait Thomas, fruſtra ſit hoc deſiderium. Ideoque aliquando potituros eo eſſe. Sed non hic. Ergo alibi. poſt hanc vitam, nempe.

IV. Nihil eſſe anima velocius. Adeo, vt vnico momento, formas omnes ſubeat & locos. quæ actiones ejus, cum diverſæ ſint à corpore & prorſus alienæ, planum eſſe foris eas evenire, nec à corpore eſſe, ideoque & extincto eo, poſſe fieri; vt recte Aphrodiſeus colligit. &, ex conſequenti, immortalem eſse. Accedere huc, quod omnia quæ agit, magis expedite agit ac celeriter, quo magis ſe à corpore ſejungit. Eo enim puram magis

eſſe ac ſimplicem. Quare fieri non poſſe quin ab eo plane ſeparata, magis pura ſit futura ac ſimplex. Sicut ideo non poteſt ſolvi, quia ſimplex eſt.

V. Anima ſimplex eſt & nullas habet partes. quare nec dividi, & per conſequens, ſolvi non poteſt.

VI. Animam ſolam, Deum contemplari: ſolam in his terris proxime ad cognitionem ejus accedere. Ergo nihil illi cum corpore hoc commune eſſe. Ideoque nec cum ejus interitu. Nihil enim longius diſtare quam naturam corporis & Dei, facultates animæ & corporis. quæ per ſe nullæ ſunt, ſine anima.

VII. Animam in circulum moveri. Quod idcirco fieri, quia primo movetur. Quemadmodum ideo moveri ſemper, quia primo moveatur. Eſſe enim ipſam, motus ſui cauſam & fontem. Vbi autem motus fons eſt, ibi perpetuum eſſe motum, prorſus eſſe neceſſarium, vt recte Platonici.

VIII. Nihil adverſari ſibiipſi poſſe. Atqui animam mortalem eſſe, naturæ ejus adverſari, cum miniſtret vitam, & ab eo ſit vita. Ergo falſum eſſe, mortalem eam eſſe.

IX. Animam, affectibus, omnibuſque corporeis dominari rebus. Ex quo ſequitur, eſſe ſeparabilem à corpore ac diverſam. Et ex conſequenti, immortalem. Quod eſt inter cætera Plotini argumenta.

X. Bonum omnia conſervat, malum perimit. Si autem nihil mali eſt quod animam diſſolvat, immortalem eam fore. nihil autem eſſe, ipſa res docet. quippe ſi ſit aliquid, neceſſe aut ex animi natura id oriri, aut oriri aliunde. Ex animi natura non poſſe, vel ex eo

ſequi, quod nihil mali ſit in ea. Sin aliunde: aut à corpore, neceſſe oriatur (quod non poteſt fieri, cum & incorporeus ſit animus, nec cum corpore commune quicquam habeat, ideoque nocere ei corporis nequeant mala) aut ab incorporeis. Quod multo minus poteſt fieri. Deum enim, qui eſt primus inter incorporea, ſervare eam non perimere: autorem ejus, nempe, & dominum. Reliqua autem, ſine eo nihil poſſe.

XI. Si mortalis ſit anima, neceſſe eſſe, ut in primum corpus aliquod ex quatuor ſolvatur. Aquam, nempe, ignem, terram, aut aerem. Iuxta notum axioma, ὅτι πάντα ἀναλύεται εἰς τὰ συνθετικὰ στοιχεῖα τοῦ ὅλου. *At in nullum ex illis ſolvi. Ergo, mortalem non eſſe.*

XII. Falli Lucretium, & alios de grege Epicuri, qui ſupponunt, corporis partem eſſe animam. Quo nihil ſtultius effingi poſſe. Quod ſi non ſit pars ejus, nihil neceſſe eſſe ut cum eo diſſolvatur. Idque à ſimili probatur.

XIII. Nihilo plus eſſe ponderis in argumentis ejus reliquis. Quæ omnia ad unum prope diſſolvuntur, ſi quis inter animam & mentem diſtinguat, quod quibuſdam placet. Nam, quod in conſenſum trahitur, in morbo, ſenectute, & ebrietate, mentem eſſe, non animam. eam autem nihil eſſe, niſi ejus veluti miniſtram quandam atque internunciam.

XIV. Doctrinam de immortalitate animæ, non tantum eſſe certiſſimam, quia ex ſacris probari poteſt, ſed & poſſe ex poëtis, qui ſunt antiquiſſimi doctorum, probari. Omnes enim hanc ὑπόθεσιν *in omnibus ſub-*

ſternere

ſternere ac tenere immotam, eique ſuperſtruere quæcunque tradunt aut commemorant. Cur enim defunctorum animas Vlyſſes ac Æneas perluſtrant ac deſcribunt, ſi cum corpore extinguuntur? Cur Oreſtes matris vmbram metuit, quam eſſe jam extinctam non ignorat? Deniq; quare tanta cura, justa & inferiæ ſolvuntur mortuis, vt præſentibus conferri iſta videantur, ſi post corpus nihil restat? Iterum exemplo ſit Æneas, qui impenſas tantas in certamina & ludos facit, cum Anchiſæ, ſi Maroni credimus, parentat?

Verum, vt ad rem redeamus: ſi frequenter de amicis jam ſublatis cogitemus, fieri non poſſe, quin de nostro quoque abitu frequenter cogitemus. Sed & facile intellecturos, ſicut aliquis eſt ſcopus quo ſagitta fertur, & in circo meta aliqua extrema poſtquam nulla reſtat, ita aliquid in vita noſtra eſſe quo natura ſua ſponte fertur, & in quo quieſcit.

Adeo, vt mors ipſa ſemper ſuos doceat quod ſemel eſt factura. Nullum enim diem eſſe, quin efferri videamus aliquem. & vbiq; occurrere eorum monumenta, qui fuerunt. Vt, ſi maxime velimus, cogitationē hanc ex animo delere nequeamus. quæ, ſi aliam, non modo vtilem ne aliud agentes mors invadat, ſed prope eſſe neceſſariam.

Expedire & inter cætera, vt naturam totam ſæpe intueamur, & hoc vaſtum corpus, quod ex cælo, terra conſtat ac mari. In eo enim obſervatum iri, omnia ex quibus conſtant ſingula, ipſa nempe elementa, ſiue prima corpora, perpetuo aut naſci aut mori. Atque ex mutatione eorum, aliud fieri, aliud perire. vnius enim generationem, alterius corruptionem eſſe. Adeo, vt

cuncta videantur magnam illam mortem exercere, de qua libro primo dictum eſt. quæ hæc omnia quæ intuemur, pariter extinguet, & in cinerem reſolvet.

Pecudes quoque & aves, innoxias ac ſimplices naturæ alumnas, quotidie, ſine vllo animi dolore, mori. Ita, vt nonnunquam canant quoque & gaudere videantur. quale eſt, quod de cygno poëtæ commemorant. Etiam arbores, præterquam quod annis ſingulis comas ponere, & in hyemis adventum mori videantur, ſæpe Solis violentia, aut frigore immodico, exuri, ac, revera mori. Idem evenire & floribus. qui vel ſponte moriantur, vel ventorum rabie ac Solis, extinguantur.

Quin & ipſum Solem, qui nonnullis vitam confert, aliis vero eripit, quotidie minari, quod facturus ſemel eſt. Veſpere enim hinc abire, & ſub horizontem noſtrum ſe ſubducere. Eundem quoque, mortem toties minari, quoties defectu ſuo hanc promittit. Idem judicandum & de reliquis ſideribus. quæ licet toties huc redeant quoties hinc abeunt; tamen quædam eſſe quæ poſt tempus aliquod intereant, aut ſaltem non conſpiciantur amplius. quales ſunt Cometæ; iræ, vt plurimum, divinæ, & calamitatis noſtræ præcones.

Denique, ſi bene ratio ponatur, nihil eſſe quod non abeat, quod non prætereat. vt ab ipſo protinus initio cuncta feſtinare ad metam videantur. Ita juventutem adventu ſtatæ ætatis, eam, ſenectutis, deficere ac extingui. vt propemodum quod alteri ſuccedit, ejus quod jam fuit, mors videatur.

Somnum quoque mortis eſſe imaginem & quaſi pædagogum. quem quotidie, non præludere ei tantum, ſed

& ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

& animum à corpore diſiungere. quo, ſine eo, mentem, conſiſtere ac vigere poſſe, docet. Quæ tum corpore ſoluta, libere vagatur, neque raro ea loca penetrat, ad quæ aſpirare corpus non poteſt.

Neque parum facere ad contemptum mortis, Si quis vitam, quam futuram Deus ipſe miſſo Filio ſuo, quaſi obſide, promiſit, animo percurrat: ejus gaudia ac voluptates ſæpe metiatur atque examinet. Atque inprimis ineffabilem in illa vita Dei præſentiam, majeſtatem, comitatem, ſplendorem. Et quæcunque in ſcriptis ſacris nobis revelata ſunt; ideoque tuto creduntur. Quod ad hunc autem quem ſpiramus aërem, verum eſſe id quod docent medici ac phyſici; morborum plurimorum eſſe cauſam; varium, mutabilem, peſtiferum, atque ideo letiferum: qui modo ſubitis frigoribus, modo æſtu, ac præſertim ſub autumnum, mutatur. vt non immerito Hippocrates, μέγιςον ἐν ἅπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάστην *id eſt*, maximum, omnium quæ homini eveniunt, imperatorem, *appellet. A quo, ſolo, mortis interventu, transferri nos ad locum, purum, immutabilem, innoxiumque: qui beatas excipit animas, ſemperque ſui ſimiles, hoc-eſt, felices, lætas ac æternæ voluptatis participes, complectitur.*

Corpus quoque hoc noſtrum, quod hunc περικεχυμένον *hoc eſt, circumfuſum ex omni parte trahit aërem, quia ex iiſdem, ex quibus cætera, principiis conſtat, nihil eſſe aliud quam mortis ſubjectum: atque idcirco phyſica neceßitate, vt loquuntur, aliquando interire. Ex aqua enim, terra, aëre, & igni, nihil poſſe fieri quod non ſit mortale: quæque ex iis conſtant,*

ideo mortalia futura ſemper eſſe, quod ex talibus conſiſtant.

Eſſe multos, qui idcirco mortem timeant, quod alias atque alias illius ſpecies ac formas animo concipiant. Aliam autem alia, metuendam magis ac terribilem videri. Vt ſi quis fulmine extinguatur, aut in Ætnæ crateras incidat, aut in mari à balæna vaſta atque immani hauriatur. Quæ omnia, mera & inania terricula eſſe, quæ in ſola opinione conſiſtunt. cum vna tantum mors ſit: ſemper ſui ſimilis. Quocunque enim modo intereas, nihil aliud quam animam à corpore diſiungi.

Quosdam ideo timere mortem, quia maximum dolorem comitari eam arbitrantur: aut frequenter ægros ſauciosue conqueri de eo audiverunt. Quibus cogitandum, eam, ſicut aliarum rerum, ita & doloris finem eſſe: qui ante illam ſæpe, & in ipſa vita, in quibusdam qui ſimillimi ſunt mortuis, extinguitur. Vt in illis, quibus male animo eſſe dicimus. hoc eſt, quos linquit animus.

Eadem agitari opinionum nebula, qui in patria quam alibi, exſpirare malunt. cum animus, quocunque loco corpus linquit, in eundem feratur: idemque aër, omnes terras, æque atque hanc noſtram, complectatur, æque omnibus incumbat, æque omnibus vicinus ſit.

Ab eadem opinione eſſe, quod nonnulli à facultatibus, alii ab hoc prædio aut illo, conjuge item, ac liberis, ægre avellantur: cum nec opibus, nec prædiis, nec conjuge, qui hinc diſceſſit, opus habeat. Quare exiſtimandum, ea poſtquam hinc abiimus, reſpectu noſtri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

noſtri amplius non eſſe. quia nullus poſt hanc vitam ſupereſt eorum uſus. Vt nec cura, aut fruendi deſiderium.

Semper vero cogitandum, nihil minus certum eſſe quam vivendi tempus: neque cuiquam, quando vaſa colligenda ſint, conſtare poſſe. Quoſdam enim prima, quoſdam media, alios extrema ætate hinc abripi. Quos quidem eſſe miſerrimos: quia quanto diutius ſuperſunt, tanto iis plura quotidie incommoda, in vita objici. Quare ἀναισθησίαν eſſe & ſtuporem cum mors portus ſit calamitatis, proram ei velle obvertere: ac non contra, vt prudentes nautæ ſolent, poſt diverſa turbulenti hujus maris pericula, lubenti animo amplecti terram.

Et tamen, neminem eſſe, qui cum diu vivendo in calamitates incidit, non frequenter mortem optet: non libenter fateatur, vitæ brevitatem, infelicitatis eſſe remedium. Quod exemplo Hecubæ inprimis probatur. Iuventuti enim evenire vt plurimum, mortem vt metuat: partim, quia aſpera atque adverſa vitæ nondum eſt experta: ideoque incontaminatam hanc felicitatem, & proſperrimum vivendi curſum, ægre patitur abrumpi.

Senectutem vero, cætera vt omittantur, per ſe admonere cunctos, quod pleriſque perſuadere ratio non poteſt, contemnendam, imo, exoptandam eſſe mortem. Adeo, infinitos morbos, infinitas ſecum advehere calamitates; fæcem humanæ vitæ ac fundum. Cujus adventu, ipſam quoque mentem caligine involvi: adinſtar ſolis, qui quo ab occaſu abeſt propius, eo minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

lucem exerit. Quare eos demum laude dignos eſſe, qui in ipſo flore ætatis diſcunt mori. non, qui aut defecti à natura, aut vivendo feſſi, extinguuntur. Ita & Achillem, ſi poetis credimus, & Herculem, integro & corpore & animo ereptos eſſe: vt invictum terrore mortis animum, non fractum ſenectute aut calamitatibus debilitatum, effunderent, & conſtantiæ exempla, terris exhiberent.

Atque idcirco, Deum immortalem, mentem homini dediſſe ac intellectum, quo ſeſe adverſus metum mortis, quanquam in perpetua felicitate, & ætate integra, muniret. inprimiſque, bene ac præclare vivendo. Neminem enim diutius vivere, quam qui bene vivit: qui præclaris factis, ſpacium vivendi prorogat: mente illud, quantum poteſt, extendit. Talem enim vivere poſt mortem, vivere in memoria hominum, neque vnquam extingui.

Ideoque eos demum ſapere, & adverſus mortem optime munitos eſſe, qui præclaris ſemper actionibus incumbunt, qui præſentem ſemper vitæ diem, tanquam vltimum, virtuti impendunt. Eos enim quandocunque mors oppreſſerit, efficere poſſe, vt ſatis diu vixerint. quia animo, invita morte, corpori ſuperſunt. Cujus laus & gloria, longe extra corpus & hanc vitam ſe extendit.

Quare nec labore vllo abhorrendum, operamque dandam, vt nec frigora nec ſoles, corpus aſpernetur. Paupertatem enim & laborem, maxime contemptum mortis, & potiſſimum, inducere. Atque idcirco, evenire ſæpenumero, vt agricola aut paſtor aliquis, ſub dio & ad

ſtivam

ſtivam educatus, ſine metu aut horrore, ſpiritum emittat. quod vix vnquam diſcunt, qui immerſi voluptatibus hanc vitam tranſeunt.

Eos quoque vel inprimis ad contemptum mortis eſſe aptos, qui pericula non horrent ſed depoſcunt, & adverſos caſus, materiem virtutis ſuæ eſſe: exiſtimant. Adverſa enim eſſe, quæ nos mori docent: cum ſecunda mentem ſenſibus, vt plurimum, affigant: faciantque, vt ægerrime è corpore excedat anima.

Cæterum, quia nihil eſt facilius quam rebus duris atque adverſis, vitam aut contemnere, aut optare mortem, ratione animum firmandum eſſe, vt ſive res adverſæ premant, ſive omnia ex animi ſententia ſuccedant, imo tum potiſſimum, quia difficillimum, magno animo ex iſta vita diſcedamus. quorum alterum eſt cujuſuis, hoc vere ſapientis.

LIB. III.

ANte omnia, qui bello deſtinatur, ita eſſe nutriendum, ut ſe totum, patriæ & morti, quæ perpetuo eſt expectanda, ſentiat devotum atque conſecratum: vtque ad vitæ contemptum, tota ejus ſpectet educatio.

Ideoque voluptatem initio arcendam: ac ne ad cunas quidem ejus admittendam. Somno vix, aut brevi indulgendum: caput corpuſque ventis ac pluviis aſſuefaciendum. Vt qualecunque cœlum atque aërem, familiarem ſibi habeat.

Ac frequenter bello eſſe aptiores, qui in medio ca-

ſtrorum

ſtrorum naſcuntur: aut è patre bellicoſo; dum ab hoſtium incurſu aras liberos ac focos tuetur.

Dandam eſſe operam, vt à prima ætate, loco crepundiorum, arma intueatur, tubam audiat, concentu militari delectetur. quæ non tantum excitant, ſed & explorant indolem. Sæpe enim qui erecta ſunt ac militari, ad clangorem toto corpore exultare.

Ætate provectior, arma loquatur, arma cogitet: arma, ſi poteſt, etiam in ſomnis videat. Et jam tum, generoſitate animi, vultu, inceſſu, cultu, quem neglectum atque incultum eſſe convenit, totoque membrorum habitu, terrorem hoſtium matronis ac virginibus incutiat.

Cæterum, cum omnibus qui ad contemptum mortis toto animo contendunt, ignaviæ renunciandum ſit, tum inprimis militi. Cujus vita tota nihil aliud quam exercitium armatum eſſe convenit,

Illi ab ætate prima, equos domandos, pugnas ludicras, cum æqualibus inſtituendas, mare & fluvios tranandos, militaria itinera conficienda, ſaltu certandum, aut ad palum, more Romano, vires exercendas: nullum denique exercitium militare, prætermittendum.

Victu quoque tenui & obvio vtendum. ſive aqua tempore hyberno rupta glacie ſit haurienda, ſive humus quælibet, quamlibet defatigato corpore, premenda ſit. Ea enim ratione patientiam paulatim diſci: ea ratione, metum leti ſenſim domari.

Neque in dilectu militari, agricolas & operarios rejiciendos Neminem enim melius ad arma militaria habere comparata, animum & manus, quam qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

inte ruſticati ſunt. Ideoque non ſub cælo tantum noſtro leti contemptorem naſci, verum multo magis, ſub aſperiore. Sub Septentrione puta. Ibi quippe in rupibus & ſcopulis, naſci ſæpe animos invictos, qui poſtquam diu cum terræ ſuæ refractaria aſperaque indole luctati ſunt, ab opere ruſtico ad bellum veniunt.

Conferre & ad virium ſoliditatem, ſeram Venerem non minus quam raram. Ex parentibus enim, qui provecta ætate ad coitum accedunt, naſci liberos qui ſolidis ſunt viribus, optimeque patriæ impendunt, quod in ipſos à parentibus transfuſum eſt. ſicut & Lycurgum ferunt, in Republica quæ nihil præter Martem ſpirabat, priuſquam plane adulta eſſent corpora, nuptias inire vetuiſſe. ἔταξε δὲ ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρειν τῇ εὐγονείᾳ νομίζων. juſſit dum vigerent corpora, inire nuptias: quod ad rectam procreandi rationem id quoque intereſſe exiſtimaret.

Ante omnes autem diſciplinas, patriæ amore ac libertatis, ſervitutis autem odio, imbuendum tironem. Cui inſtillandum ſæpe, nihil eſſe fœdius, quam domum, liberos, ac thorum, in victoris venire poteſtatem. Et, vt omnium crudelitatum atque opprobriorum genera, quæ à victoribus excogitantur in victos, omittantur; præſtare tamen centuplo honeſte mori, quam exiſtimationi ſuæ ſupereſſe.

Sæpe inculcandum, omnia virtute, gladio, ac vita parari. cujus qui contemptum non didicerint, nondum intelligere, eam aliquando, ac frequenter

quidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

quidem, febri ſubita, aut lento morbo ac difficili, ponendam eſſe.

Quemadmodum & illud, generoſum atq; heroicum ſpiritum, nulla re melius, quam gladio aut haſta, emitti, neque mortem eſſe vllam, quæ cum hac ſit comparanda.

Quippe qui ſic moritur, non luctari cum morte, nec dolere diu aut gemere, ſed virtuti intentum, & abſentem quaſi animo, qui totus eſt in ſpe victoriæ, ſine ſenſu mali alicujus hinc abire.

Neque opus videri, vt philoſophiæ ſtudio ab ineunte ætate miles incumbat, aut arcana ejus hauriat, cum naturalis cura honeſtatis ac conſtantia, magis in milite probetur. Sicut magnus ille Agricola à Tacito laudatur, qui retinuiſſet, quod eſt difficillimum, è ſapientia modum. *Sane militares animos, exemplis potius & imitatione, quam præceptis, excitari. Ideoque hiſtoriarum lectione, in milite virtutem accendi. vt & ducum antiquorum, hortatu & ſermonibus. Quales ſunt orationes, regum, principum, ac ducum, quæ in ſcriptis veterum, Græcorum atque Romanorum, occurrunt. Quas ex hiſtoricorum libris excerpere, & virtuti excitandæ priſci milites Romani, quamdiu libera Reſpublica eſſet, circumferre ſolebant.*

Quemadmodum hoc fine Tyrtæi poëmatibus Spartani ſunt vſi. quorum carminibus, virtutem acrius quam tubæ vllius clangore, accendi credebant.

Quod ad cætera, nihil, ne in ſapientiæ quidem ſtudio indecore faciendum. nec præpoſtere Platonis, Ariſtotelis, aut Stoicorum placitis, cum res manum poſcit, incumbendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Negari non poſſe tamen, quin plurimis profuerit, naturam animorum & æternitatem, è philoſophorum placitis, & quænam vera fortitudo ſit, hauſiſſe. Tum vero, quantum inter eam & ferarum rabiem interſit. ἀνδρεῖοι γὰρ γάρ εἶναι δοκοῦσιν *inquit Philoſophus,* καὶ οἱ διὰ θυμὸν, ὥσπερ τὰ θηρία, ἐπὶ τοὺς τρώσαντας φερόμενοι. videntur fortes quoque, qui irati, ſicut feræ, in eos, à quibus vulnerati ſunt, feruntur. *quemadmodum accuratiſſime virtutem illam pertractavit, & à quinqne modis fortitudinis non veræ, idem Ariſtoteles diſtinxit, tum quæcumque ad eam recte intelligendam faciunt, ſolide obſervavit. & præſertim, veram nec ſtipendium nec ſpem, ſed honeſtum ſolum & per ſe ſpectare, atque hoc vnum in omnibus propoſitum habere.*

Neque dubitandum, quin his omnibus inſtructus Alcibiades, è ſchola præceptoris ſui & amplexibus, ad bellum venerit. Quo in tota Græcia major imperator vix fuit, & qui tantis cladibns Siciliam ac patriam, ex ea relegatus, afflixit.

Idem quoque de Achille, Agamemnone, Menelao, Aiace, ac Trojanis, ſentiendum eſſe. Qui procul dubio, ſine aliqua cognitione ſapientiæ, tanto animo, quantus ab Homero in iis deſcribitur, res gerere haud potuerint.

Qua occaſione, de Achillis inſtitutione inſeritur παρέκβασις: *tum ſuprema, qua ad Trojam abeuntem Chiron proſecutus eſt, oratio. In qua, cum ad virtutem & rem ſtrenue gerendam eum adhortatur, tum de animorum immortalitate, & cæterarum rerum in-*

ſtabili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ſtabilitate, prudentiſsime eum monet. Exemplo Heſiodi. qui Χείρων☉ ὑποθήκας *ſive, Admonitiones Chironis, ſcripſit.*

Exemplo ergo ejus, attingendam quidem eſſe ſapientiam: adeoque quædam ſcire militem debere, cætera autem, manu & experientia, diſcenda eſſe. Et inprimis, tolerantiam ac patientiam. quæ inter cætera efficiunt in milite, quod ſapientia in aliis: vt, in mentis nempe poteſtatem perducantur ſenſus.

Inter cætera militaria exercitia, commendandam militi præcipue venationem; ſive leviorem, & in qua nihil præter laborem ſpectatur, quæ inſidiatur lepori aut damis: ſive graviorem, quæ leonem, vrſum, aprum, & id genus feras, vi, & cum periculo nonnunquam vitæ ac diſcrimine, invadit.

Ea quippe antiquos heroas eſſe vſos: quales qui à Xenophonte & aliis commemorantur. inter quos, Centauri, Caſtor, Pollux, aliique ejus generis. qui venando & prædando, priuſquam ad legitima venirent arma, metum mortis ac terrorem animo ſubjecerant.

Quemadmodum in Africa totas eſſe gentes conſtat, quæ aſsidue cum feris, & præcipue leonibus, virtutis cauſa bellum gerant. Ibi enim multos ſimul agminatim, modis variis leonem adoriri. Maxime autem vſitatum eſſe, ut tecti clypeis, aut bovis involuti tergore, ſpeluncam cingant, & flagello ſæpius in aëre excuſſo, ſonum edant, donec leo animoſus atque irarum plenus, prodit. quem virtute multa domant, atque infeſtis ictibus configunt.

Nihil autem magis ad contemptum mortis, quam crebra

crebra prœlia, conferre. In quibus cum mors multos tollat, & ante oculos perpetuo verſetur, tot aliorum vulnera tot funera conſpiciantur, quot propemodum tela emittuntur, fieri non poſſe, ut cuiquam præter expectationem eveniat. Ideoque recte atque ordine facere, qui tironem, ſi non in bello, in velitationibus, & bellorum quaſi imagine quadam, aſsidue exercent.

Paulatim quippe addiſcendum eſſe id quod ſemel eſt tenendum: vt nimirum mortem contemnamus. Quod longe pluris eſſe, quam à vertice ad talos armatum eſſe: longeque plus adverſus hoſtem tales poſſe.

Animum quippe eſſe qui pugnat, animum qui vincit, animum, qui ſæpe paucis comitatus, aut ſolus, totas acies vel ſiſtat, vel in fugam agat: quanquam & armatas, & telorum omni genere inſtructas.

Ideo non referre, unde quis ſit oriundus, aut ubi natus: quo item ſit & quanto corpore. Dummodo, invicto, & inſuperabili ſit animo. Qui ſæpe exiguo in corpore, qualem fuiſſe Tydea commemorat Homerus, inſtar fulminis cujuſdam ac typhonis, obvia quæque, vi & contemptu mortis proſternit.

Eoque rurſus repetitur, omnia ſuperare mortis contemptum & invictum animum. qui, quovis tempore paratus eſt, non modo cum aliis, ſed cum ipſa morte congredi. quamvis ſubito & præter expectationem ſuſtinenda ſit.

Quibus duobus, & audendo, quicquid hoſtis poſſidet, terram quoque illius, aërem, & aquam, in poteſtatem noſtram transferri.

His

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

His præſidiis, Macedones, his Romanos, orbem ſibi & naturam ſubjeciſſe. Neque noſtro tempore virtutem deeſſe aut animos, nec naturam alios nunc homines quam illo tempore in lucem dare. Sed experientiam & vſum eſſe abhibendum. Sæpe excurſiones faciendas: ſæpe bello præludendum: ſæpe aliquid adverſus hoſtem ante tempus belli tentandum. Vt in ipſo, animus, ſuus & immotus, maneat.

Audaces autem ſemper minimum, plurimum periclitari eos, qui in fuga fiduciam habent, neque animum, ſed tergum hoſti objiciunt. Vnum ergo cogitandum ab ætate prima, vnum meditandum. Semel, nempe, moriendum, ſemel tributum ſuum ac vectigal naturæ perſolvendum. Naſcenti hoc incumbere, vt moriatur: nullam eſſe viam qua quis mortem evadat: vna excepta, quæ ad immortalitatem ducit. Eam autem ducere per hoſtem medium. Hac enim, & opprobrium, & infamiam, & ipſam mortem euadi. quia hæc via ſola eſt heroica, qua omnes magnæ animæ cœlum & æternitatem petunt.

Id docere vſum. Eum enim qui nihil metuit, ſimul ac virtutem toto animo concepit, & horrenda ſpecie, totus ardens, totus flagrans, totus impos ſui, in hoſtem fertur, timorem quidem circumferre, atque aliis injicere, ipſum autem nihil timere.

Neque in ipſo prælio, vbi cum hoſte confligitur, vllum cum timore mortis certamen eſſe. Id quippe rem ipſam docere. Simul enim atque tuba inſonuit, ita concitari animum & abripi, vt occupare membra videatur ſingula, & cum quodam quaſi impetu in hoſtem pariter & mor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

& mortem feratur. Ne referre quidem, quam ſint multi cum quibus ſit congrediendum, & quibus ſinguli vtantur armis. Concitatum enim ruere ac ferri. Nec reſpicere, aut tormenta bellica, quæ horrendo motu terram quatiunt, aut cadavera, quæ circumcirca volvuntur. Adeo non eſſe ſecum vbi ſemel cœpit incaleſcere, & in agmine verſari.

Cujus tantam eſſe vim, vt, illius qui ſic cadit, etiam abſente anima, corpus quod eſt reliquum poſt mortem, ſit terribile, & conſpectu ſuo metum hoſti injiciat. Nec referre ſane, vtrum inſepultus maneat, dum adverſo jaceat vulnere. quo nihil gratius ipſum intueri Solem.

Ab his principiis Spartanos ad exiſtimationem tantam tantumque nomen perveniſſe. qui non in armis, imo nec in mœnibus, ſed in ſolo animo, omne præſidium habuerint. Adeo, vt nec mœnibus nec muris opus ſibi eſſe exiſtimarent; & quemadmodum mortem non timerent, ita neque mortuos lugerent. ac ne matres quidem filios. Quæ, cadavera ſcuto impoſita, laudibus ad cœlum ferebant, aut cruorem mortuorum manu abluebant.

Concluditur poſtremo liber παρεκβάσει. In qua, præter votum pro pace atque incolumitate patriæ, de calamitatibus bellorum civilium, fortuna ſua, patria, inſtitutis, fœderatis Batavorum gentibus, ac præſertim Sereniſſimo Guſtavo II. Suecorum, Gothorum, Vandalorum, &c. Rege, & de incomparabili virtute ejus agit autor. In quo omine auguſto liber deſinit.

LIB.

LIB. IV.

PRæcipuum adverſus horrorem mortis Chriſtiani hominis remedium eſſe, fidem. quæ Dei filium amplectitur, ei hæret, in eum intuetur.

Hac vſos eſſe antiquos patres, qui à lapſu primi hominis adventum filii Dei ſperare, & in eum oculos fidei convertere cœperunt. Quibus & futurum tempus tanquam præſens fuit. quia, quaſi jam præſentia videbant quæ futura erant. Hinc tot illuſtria de eo vaticinia, tot præclaræ in veteri fœdere, de æterno ejus regno, prophetiæ: hinc quæcunque de terra promiſsionis, ſive Canaan, dicuntur, & tot luculentæ atque amœnæ illius deſcriptiones. quæ omnia eandem vitam quæ futura eſt adumbrabant, ſicut eadem fides eundem ſervatorem intuebatur. Cujus nomen, *ſicut recte Auguſtinus*, ex illo tempore ad ſalvandum humanum genus valet, ex quo in Adam vitiatum eſt. *Item,* Eadem fides mediatoris quæ nos ſalvat, ſalvos juſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis quia ſicut credimus Chriſtum in carne veniſſe, ita illi venturum: & ſicut nos mortuum, ita illi moriturum. & ſicut nos reſurrexiſſe, ita illi reſurrecturum. & nos & illi ad judicium vivorum & mortuorum venturum.

Vnico hoc ſolatio magnas illas atque heroicas mentes, non labores tantum vitæ omnes aut pericula, cum quibus ſæpe ſunt luctati, ſed & ipſum mortis metum diluiſſe.

Hac anchora fundatam Noachi arcam fuiſſe, cum

ex genere humano, præter eum & pauciſsimos quos ſecum habebat, nemo ſupereſſet, & in terra nihil præter aquam intueretur; terræ ſimul & humano generi ſuperſtes.

Neque dubitandum, quin ex eo fluxerit immenſa illa Abrahami fides, quem progenitorem Chriſtus habuit; cum hæredem ſuum, & promiſsionis de fœcunditate gentis ſuæ fulcrum vnicum atque obſidem, Iſaacum, jam ſenex, extra omnem generandi ſpem poſitus, immolare Deo imperanti, promptus ac paratus eſſet. Ex eo enim tantas illi vires credendi fuiſſe, qui humanæ reſpectu naturæ, ex illius gente proditurus erat, & fiduciam credendi jam tum ſuis dabat.

Eundem vidiſſe & Iſaacum, cum jam nihil videret; cæcus quippe & ſenex. Vidiſſe Iacobum, & cum eo luctatum eſſe. Hunc enim Angelum fuiſſe, de quo agitur Gen, 32. qui eodem capite Deus quoque dicitur. Eundem hunc ipſum Iacobum vidiſſe, & quaſi ante oculos ſpectaſſe, cum jam eſſet moriturus, & ingenti ore, regni ejus magnitudinem ex ſtirpe ſua orituram prædixiſſe.

Eundem ſæpe à Moſe conſpectum. Adeo, vt nonnunquam, tanquam dux, in hoſtem duceret exercitum, neque abiret, antequam victoriam ab hoſte conſecutus eſſet. ſicut Exodi 14. Vbi rurſus Dei Angelus vocatur. Cum illo etiam locutum eſſe in publicatione legis. quemadmodum, quæ de Deo dicuntur, 19. & 20. Exodi, ad Dei filium, à Patribus referantur.

Neminem autem plenius illuſtriuſque animo illius præſentiam vidiſſe quam Davidem, e cujus ſtirpe

natus

natus eſt. Qui de nepote ſuo, tanquam amico aliquo, de cujus adventu multa quotidie audimus, paſsim agit. Adeo vt ſpiritu illius tactus, voces ſæpe admirabili fiducia plenas, tanquam fulmina quædam aut tonitrua emittat. Vt cum Pſalmo 16. certiſsimus de reſurrectione ſua, in & propter Chriſtum, triumphum de morte his verbis ducit : Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultat lingua mea : inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Et cum 23. exclamat :* nam etſi ambulavero in medio vmbræ mortis, non timebo mala. quoniam tu mecum es. *Et* 118. Non moriar, ſed vivam. *Atque hæc omnia memor fœderis & pacti, quod ab eo Pſalmo* 132. *exprimitur.* Iuravit Dominus Davidi veritatem, & non fruſtrabitur eum. Fructum ventris tui in ſede tua ponam. *Ad quæ ſimul loca, ſicut ſæpe veteres diverſa jungunt ac reſpiciunt, alluſit autor.*

Hinc illa quæ de ſceptro ejus, de potentia, viribus, ac æternitate regni, paſsim occurrunt. Hinc quæ toto ſecundo leguntur, & inprimis illa, Poſtula à me, & in hæreditatem tuam dabo tibi omnes gentes, terminoſque terræ omnes in poſſeſſionem tuam. Reges eos virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Hujus numine contactum Eſaiam; vatem magnum ac ſublimem, & qui ipſo genere dicendi, ſtirpem regiam, qua oriundus dicitur, ſpirare videtur; ventura, tanquam viſa & conſpecta pridem, deſcripſiſſe. Hinc præcla-

præclaras illas & cœleſtes de illius regno prophetias. Qualis extat cap. II. *plane poëtica : cujus initium,* Naſcetur virga de radice Ieſſe , & flos de radice ejus aſcendet. *Et precipue quo nunc reſpexit , illa,* Iudicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate, *&c.* Habitabit lupus cum agno , pardus cum hædo accubabit. vitulus , & leo, & ovis , ſimul agent, *&c.* Vitulus & vrſus paſcentur.

Idem & Sibyllas feciſſe. quas ea ipſa Eſaiæ verba expreßiſſe, è Virgilio, illarum interprete, apparet. De quarum oraculis plena ſunt Græcorum atque Romanorum ſcripta.

Hinc apparere, eum quem fides noſtra reſpicit , eſſe æternum , quia ſemper fuit. eſſe populi ſui ſpem vnam & delicias, quia antequam ad nos veniſſet, ſuis adfuit, ſuis adhæſit, ſuos deduxit ac direxit , & præcipue, certißimis de adventu ſuo promißionibus , inæſtimabili ratione, ab ipſo mundi initio , adverſus vim mortis ac terrorem erexit. quod nec mirum, cum & vita ſit, & vitæ origo. Idque, donec venit , atque homo inter homines verſatus eſt.

Veniſſe enim tandem, & ex virgine caſtißima verum induiſſe hominem, qui Deus ſemper fuit, manſit, & in ſæcula manebit.

Quo adventu, dubium non eſſe, quin Sancti omnes eo tempore ſuperſtites , quanquam pauci admodum, ineffabile atque incredibile animo conceperint gaudium. quod, priuſquam diſcederent è vita, mortis victorem, & æternæ vitæ prædem ac ſponſorem, ante oculos viderent atque amplecterentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illum vnum igitur & nobis, quamdiu vivimus, animo eſſe infigendum: illum mane, meridie, veſperi, ac noctu cogitandum. Quæcunque enim præſtitit, pro nobis præſtitiſſe. Ab ineunte autem vita, præſtitiſſe plurima. Iacuiſſe in tuguriolo, ploraſſe ac vagiiſſe; cum multorum denique innocentium crudeli cæde, ad interitum ac necem crudeliſſimam, quæſitum fuiſſe. Etiam, à generis humani hoſte, divexatum in deſerto ac ludibrio fuiſſe habitum: ab amicis autem ſuis, quorum cauſa venerat, indigne exceptum. Cœli denique ac terræ dominum, ſed quem neque hoc, neque illa, capit, famem, laborem, ac calamitates noſtras, dum hoc onus noſtrum bajulat, tuliſſe. Poſtremo, præ angore, dum inferni vires omnes & æternos cruciatus ſentit, grumos ſanguinis ſudaſſe. Atque eorum finem ac concluſionem, execrandam atque horrendam mortem fuiſſe.

Hæc ſi ſemper cogitemus, ſi in illis cruciatibus illius, ſemper oberremus, eoſque mentis oculo præſentes ſemper habeamus; facile futurum, vt ineptiarum omnium obliti, prius lachrymas ac gemitus quam voces effundamus. Si præſertim in hac contemplatione mortem ſemper expectemus. quæ quocunque tempore eſt ventura, morte illius fractam ac contritam eſſe.

Eum qui pro nobis eſt mortuus, eundum eſſe qui à Sanctis omnibus tam diu expectatus fuerat. quia noſtra & illorum vita erat. Cui vera ſacrificia à nobis offerenda eſſe. non quidem qualia fuere antiquorum, ſed ardentes gemitus, qui ex vera pœnitentia & cogitatione de miſeria ac peccatorum magnitudine, procedant. ſed

colloqui-

colloquia cum eo, & flagrantes preces. In quibus tria potiſſimum ſpectanda.

Primo, quis ſit ille quem affamur. Æternus nempe Dei vivi ac æterni filius; mors mortis, ac fons vitæ. Secundo, quænam illa ſint quæ pertulit: plagæ, nempe, vulnera, ac poſtremo, mors ipſa. quam nec terra neque Sol videre ſuſtinuit. Adeo, vt hic, cœlo abiiſſe videretur: illa, luce erepta, ad conſpectum rei tam indignæ lateret. Tertio, qui nos ſimus. Peccatores nempe miſeri. Quarto, quid illius morte conſecuti ſimus. Liberationem nempe ab ea, & à pœna, quam merueramus. ideoque & ab horrore illius ac formidine. Cujus tam ſtupenda fuit bonitas, vt immani vulnere humana manus trajectus, merum ex eodem noſtri effunderet amorem. Aquam, nempe, & ſanguinem. Vnde S. Auguſtinus, ex Dominico latere, noſtra ſacramenta profluxiſſe ait. Et S. Chryſoſtomus, μὲτα δὲ τοῦτο καὶ μυστήριον ἀπόῤῥητον ἐτελεῖτο. ἐξῆλθε γὰρ ὕδωρ καὶ αἷμα. οὐχ' ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχεν αὗται ἐξῆλθον αἱ πηγαί. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ἐκκλησία συνέστηκε. καὶ ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι, δι' ὕδατος μὲν ἀναγεννώμενοι, διὰ αἵματος δὲ καὶ σαρκὸς τρεφόμενοι.

Precandum ergo ſæpe, ſive intenta voce, ſive etiam, ſine vlla. interdum enim cor ſufficere quod tacet, quia vim amoris ſui effundere non poteſt. Idque cum in omni vita faciendum, tum præcipue cum finis ejus imminet. Tum enim quo magis vox deficit, eo magis intendendum eſſe animum, & ad Deum cum fiducia in ejus filium, qui vitam in ſe habet, & jam eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

nobis morte ſua peperit, accedendum. Ac præcipue petendam eſſe fidem. Cujus vis eſt tanta, vt dum vivimus, mortem non timeat, qui vitam intuetur: & cum morimur, eam facillime contemnat, qui de futuris cogitat.

Hac occaſione magni aliquot commemorantur heroes, qui in veteri fœdere intentos aſsidue in ſervatorem habuerunt oculos. adeo vt naturam poſt ſe relinquerent, multiſque teſtarentur miraculis, quam longe ſupra ipſam eſſent. Quales fuiſſe, tres patriarchas, Deboram, Gedeonem, Iephten, Samſonem, Eliſæum, Sidrach, Meſach, & Abednego: Davidem quoque & Salomonem, ejus Filium: qui templum, omni apparatu ſplendidum magnificumque, regi venturo condidit. cum ille, ſola paupertate contentus, in tuguriolo natus, & à Sanctis ſalutatus fuerit. Inprimis Simeone, qui in templo adventum ei hunc eſt gratulatus; ineffabili perculſus gaudio. quod ante mortem, ipſam vitam, ipſam mortis mortem, vidiſſet, ſalutaſſet, tetigiſſet. quem ante animo venturum viderat. Fidei enim id munus, vt ſemper Chriſtum videat: hoc quoque tempore ſemper eum, vbi nunc eſt, aſpiciat; non, vt quondam, in carne imbecillem, ſed jam glorioſum ac triumphantem; non tamen ſine carne noſtra.

In hoc vno ſpectaculo, eam oblectare ſeſe. Ac cum intuetur eum, non modo mortem, ſed & flammas omnes, cruces, ac tormenta omnia, contemnere. in ipſa imo morte vitam vivere: non quam deponit, ſed quam inchoat qui ea præditus hinc abit.

Ea autem cum divinæ innitatur doctrinæ, hinc petendam

tendam eſſe veram ſapientiam. cum qua neque Ariſtotelica, ac ne Socratica quidem dogmata, quanquam magna ſui parte ex eodem fonte profluxerint, eſſe conferenda: quod in Hebræorum ac Græcorum ſcriptis veritas ſit revelata.

Aſsiduam quoque vitæ innocentiam petendam eſſe, boniſque cogitationibus atque operibus vacandum. nihil enim eſſe mala conſcientia gravius, quæ futuras poſt mortem pœnas impiis in hac vita proponit. Adeo, vt ante obitum vitam omni morte graviorem ſentiant. Quare, probitati incumbendum ſedulo. atque inprimis adhibendam pœnitentiam, quæ præteritam emendat vitam, præſentem autem in officio continet.

Serium in his rebus ſtudium, longe iis omnibus præſtare, quæ aut ambiuntur, aut in vita tractantur. Quorum nonnulla hic commemorantur, quæ nonnullos à cœleſtibus abducunt: qualia ſunt, poëſis per ſe, aſtronomia, juris ſcientia aut medicinæ: tum vero regum negocia ac principum. Quæ nonnulli ita tractant, vt de rege æterno non cogitent. Cum nemo, niſi liber illis, aſpirare ad Dominum ac creatorem ſuum queat. Quare iterum, quod libro primo dictum fuerat, repetitur: ſenſus nempe rationi ſubjiciendos, atque ab illis ſeparandam eſſe mentem. quæ priori ſuo ſtatu nunc excidit.

Hac occaſione, locus de felicitate primorum in Paradiſo parentum, deque eorum crimine, quo hæreditatem mortis propagarunt, agitur.

Cujus vim, Dei filium, morte ſua prorſus deleuiſſe. Quo in cœlum recepto, tanquam duce prævio, ſecu-

tam eſſe fidam militum manum, qui tormentis nullis, nullis minis, ad terrorem mortis agi ac compelli potuerunt: quia præceßiſſe ducem ſuum atque principem ſciebant. qui hoc ipſo ſatis oſtenderunt, ſemel fractam mortis vim fuiſſe. Vt præclare dicat Athanaſius, certißimum devictæ mortis eſſe indicium, quod tot ac tanti teſtes, qui ſecuti ſunt aſcenſionem Domini in cœlum, nihilo profecto magis, quam ſi nunquam extitiſſet, eam timuerunt. Hinc de martyribus, fortitudine eorum, mortis contemptu, vita, pœnitentia, & inſtitutis, locus integer. Et inprimis, eos ſic vixiſſe, vt continentia ac temperantia de vitiis, mente de ſenſibus, conſtantia de omnibus adverſis, tolerantia de pœnis ac ſuppliciis, contemptu mortis de vita, fide, de morte pariter & mundo triumpharent: aut, vt D. Hieronymus, in iis triumpharet Deus. Triumphus, *inquit*, Dei eſt paſſio martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. *Sic vixiſſe, ut dum viverent, tota vita exularent. Ideoque ſeſe lachrymis aßiduis jejuniiſque maceraſſe, vt facilius ex hoc exilio ad veram libertatem abirent. Vixiſſe enim perſecutionis tempore, aut in montibus & ſolis locis, vbi neque ab hominibus aut eorum vitiis, ab æternitatis contemplatione abducerentur. Vixiſſe & in tumulis pleroſque, vt ibi ſaltem à crudelitate tuti eſſent. Vbi aßidue vidiſſe Dominum & Servatorem, & quemadmodum Ignatius dicebat,* ἔρωτα ἐσταυρωμένον *ſuum, ac ſuaviſsmo amore illius contabuiſſe. donec ad dicendum veritati teſtimonium, è terris vocarentur. Tum, de protomartyre Stephano: qui primus*

mus omnium magnifice, poſt Dominum, de morte triumphavit, & corona vitæ eſt donatus.

Qui cum Dominum ad dextram patris ſtantem antequam excederet è vita conſpexit, ſatis oſtendiſſe, nihil amplius jam poſſe mortem, quæ ante Domini in terras adventum, terrore ineffabili, conſcientias mortalium premebat. vt ne Atlas quidem majus ſuſtinuerit pondus. Quod adventu Servatoris noſtri penitus ſublatum eſſe.

Hic jam longa, de nativitate Domini, amore noſtri, humiliatione, exaltatione, poteſtate denique ac magnificentia, inſeritur παρέκβασις. *Qui cum triumphaverit de morte, effeciſſe, vt qui militant in caſtris ejus, aut illic ſpei anchoram defigunt, tam auguſtæ ſint victoriæ participes, vtque mortem, jam devictam eſſe, ante eam, & in ea, ſciant atque intelligant; æternæ vitæ mox participes futuri. In quam nulla mors vllum jus habet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII ELEGIARUM IUVENILIUM RELIQUIÆ.

Item alia Poëmata, ab adoleſcente aut propemodum puero, conſcripta.

AMICE LECTOR, *Elegias quaſdam, quanquam & nonulla ſupra ex iis leguntur quas adoleſcentes conſcripſimus, in finem hic coniecimus. Hoc enim amici malebant quam vt omitterentur. Neque hoc nobis ſane diſplicebat, qui memineramus has fuiſſe tum temporis in hac mediocritate noſtra divini ſenis Scaligeri oblectationes: neque ignorabamus, alios æſtatis, alios autumni eſſe fructus. Etiam in ipſo vere eſſe quædam, quæ, ſi minus proſunt, magis delectant tamen. Fortaſſe idem hic eveniet nonnemini, qui cum quaſdam, vt diverſa ſunt hominum judicia, poſt reliquas leget, non poſtponet tamen. Vnicuique enim ſuum eſt judicium. Et profecto, ſi luxuriem, quæ virtus in proficiente eſt, excipias, non omnia in iis excuſare malo: cum nullo præſertim negotio, excuſandi effugere neceſſitatem potuerim.*

LIB.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

LIBER I.

ELEG. I.

Hei mihi curarum ſeries adverſa mearum,
Et nimium duros in mea fata Deos.
Vix bene jam primam poteram diſtinguere vocem,
Vix puer, infelix, & tamen exul eram.
Exul eram, patriaſque domos ſedeſque reliqui,
Ignarus patriæ, nec minus ipſe mei:
Quoſque tuos alii mirantur Flandria campos,
Et gelidos ſaltus ruraque digna Deis,
Sæpius audivi: patriæque in imagine tota
Mens fuit, & doluit, congemuitque ſuis.
Hoc vnum potui: lachrimas ad nomen inanes
Effudi, & gemitus mœſtaque verba dedi.
Cætera felices faciant, quibus ocia ſylvæ
Blanda tuæ præbent, nec peregrinus ager.
Ad quorum patriæ concurrunt carmina Nymphæ,
Et pellit ſubitam lympha paterna ſitim.
Diva parens, teſtor virides, tua numina, Nymphas,
Et veteres teſtor, numina noſtra, Lares,
Non ego, ſancta, tuis merui diſcedere terris,
Nec metuenda tibi perfidus arma tuli:
Non prædas aliena tuas ad littora verti,
Nec verti rabidas in tua tecta faces.
Sum reus infelix: hoſtem patriæque ſuumque
Fugit, & hoc vnum mens mea crimen habet.
Sic Batavos fines nec inhoſpita venimus arva.
Hic quoque, ſi fas eſt, cognitus exul ero.
Hic etiam doctis devovimus ocia curis,
Grajaque gens oculos detinuere meos.
Pene fuit tanti patriis diſcedere terris,
Inque peregrina ponere gente pedem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ne tamen, O ſi quid pietas perſuadet amorque,
Pœniteat nati, maxima Ganda, tui.
Sunt mihi, quas poſſunt alii ſperare, Camœnæ.
Si dubitas, natus Cæſare teſtis erit.
Si tamen optatæ renoventur tempora pacis,
Marſque pater Belgis finibus exul eat,
Non mihi civiles placeant curæve forumve,
Nec placeat trepidis bella movere reis;
Heinſius ignotum procul hinc ſecedet in agrum,
Heinſius optatæ tempora pacis aget:
Cumque ſuis blande confundet tempora Muſis,
Et patrios fines & ſua rura colet.
Hic taciti lætis volventur curſibus anni,
Noverit & vatem Flandria ſola ſuum.
Roſſa comes tantum veteres renovabit amores:
Prima voluptatis pars erit illa meæ.
Illa mihi noctis tacitas ſermonibus horas
Et nimium longos non ſinet eſſe dies.
Interea ſurgent gens dulcis ad oſcula nati,
Circuet & parvam garrula turba domum:
Heinſiadeſque aliquis patrio ſub nomine creſcet,
Inque meos vultus non grave curret onus.
Ille ſuos blæſo narrabit murmure luſus,
Et patrias ſenſim diſcet amare Deas.
Ah quoties Roſſæ teneras procurret in vlnas,
Lætaque conſpecto pignore mater erit.
Scilicet & nimium puero gaudebit in vno
Eſſe ſuos oculos dum videt, eſſe meos.
Sic iterum ſenſim noſtrûm revireſcet vterque,
Inque alio vultus cernet vterque ſuos.
Ruſque ſua parvos ditabit fruge Penates,
Nec veniet domino meſſis iniqua ſuo.
Ipſaque terra ſuum venerabitur aurea vatem,
Et gremio juſtas vbere fundet opes.
Lætus aberrantes deducet Tityrus agnas,
Grami-

Graminaque emiſſas in ſua coget oves.
Hic ego ſecurus, tranquilla per ocia, rerum,
Excipiam Muſis tempora digna meis.
Nunc mediam fuſus per humum, gelidaq; ſub vmbra,
Nunc rivo incumbens prætereuntis aquæ.
Scilicet haud illos abrumpent munera ſomnos
Publica: nec curis hic locus vllus erit.
Tum ſi forte aliquem referet veniſſe ſodalem,
Aut vatem è Batavo littore Roſſa mihi;
Exiliam, dulieſque hilaris diffundar in vlnas:
Et mihi, quiſquis erit, protinus hoſpes erit.
Illa focum, tenuemque ſuo ſtruet ordine menſam,
Et tenues epulas puraque vina feret,
Illa dapes riguoque epulas depromet ab horto,
Quales ſponte ſua juſta miniſtrat humus:
Et matutinis ſtillantes roribus uvas
Addet, & è calathis mitia mala ſuis,
Cornaque divitiaſque ſui donabit agelli,
Et niveæ teſtes ſimplicitatis opes.
Forſan & occumbet media tener agnus in herba,
Et patriam tinget ſanguine pinguis humum.
Sed tamen accedent hilares ante omnia vultus:
Heinſius hæc ſecum munera ſemper habet.
Nec minus in calice innocuus rorabit Iacchus:
Ille domat curas lætitiamque docet.
Hic ego, dum priſcum placide complectar amicum,
Et repetam vitæ tempora prima meæ,
Sponte ſua pleno decurrent pectore Muſæ,
Et mihi pro Phœbo gratior autor erit.
Ah miſer, ah fruſtra patriæ dulciſſima regna
Infelix animi ſollicituſque petis.
Quo properas demens? nimios via dividit auſus.
Qua tibi non, votis ſed licet ire tuis.

ELEG. II.

Fabula Roris.

GVtta levis ſummas humecta leniter herbas,
Blanda comes veris, dum mea Vita venit.
Te ſine nam torpent formoſi gaudia ruris,
Et ſitit infelix & perit omnis ager.
Te roſeo quondam lachrimam ſtillavit ab ore
In virides herbas ruraque, Diva Venus.
Fabula narratur toto lepidiſſima cœlo :
Hactenus in terris non tamen illa fuit.
Expediam Superi. Venus aurea ridet, & inquit,
Dii faveant cœptis, blande poëta, tuis.
Eſt procul extremas Syriæ felicis ad oras
Ad Libani primos terra beata pedes.
Improba non illam penetravit Græcia ſedem,
Mendaces tellus non tulit illa viros.
Simplicitas habitat: niveus candorque jocuſque.
Molle ſolum: paſtus nectare ridet ager.
Verque ſuum ſibi terra facit: Sol ipſa Dione eſt.
Quaque venit, Divæ ſub pede vernat humus.
Quæ loquor aſpexi (ſubeunt namque omnia vates)
Parſque domus pulchræ Cypridis ipſe fui.
Hic ſatis extinctum poſtquam miſerata maritum eſt,
Ingemuit natæ triſtia fata ſuæ.
Pulchra Venus charæ gemuit diſcrimina natæ,
Et vidua hoc ipſo tempore Diva fuit.
Liber Amymonem ſimul & Neptunus amarunt:
Progenies noſtræ nam fuit illa Deæ.
Mater Amymonem Venus, & (quis neſcit?) Adonis,
Edidit ad ripas Byblidis vnda tuas.
Aſpicit hanc furuis, Semeles, dum tendit ab Indis,
Natus, & vt vidit lumina, victus amat.
Eſtque Venus, dixit, Veneris vel filia certe eſt,

Et Satyros juſſit lentius ire ſuos.
Vidit & hanc ponti qui cuſpide temperat vndas,
Et ſimul in mediis neſcius arſit aquis.
Inſtat amans illi Deus hinc, Deus imminet illinc,
Et veniunt faciles ad ſua bella manus.
Hæret in ambiguo Venus, &, quia poſcit vterque,
Quæ poſcunt ambo præmia, neuter habet.
Sæpe ferunt illam niveas junxiſſe columbas,
Et lachrimis generos ſollicitaſſe ſuos.
Ah quoties priſcos Libani, ſua tecta, Penates
Liquit, & ad patrias languida venit aquas!
Ah quoties mœſtum lachrimis aggreſſa Lyæum,
Detinuit tenera tigridis ora manu!
Altius hæſit amor. nequeunt lachrimæque preceſque
Cypridis, ardentes detinuiſſe Deos.
Quid faciat Cytherea? gemit: lachrimæque per ora
Perque genas rivi more fluentis eunt.
In Libano jacuit, virides qua lacteus vndas
Exiguo trepidans murmure Byblis agit.
Byblidis hic purus violas perlabitur imber,
Perque roſas tenui flumine rivus abit.
Treſque Deam luces totidemque ex ordine noctes
Fama fuit lachrimas continuaſſe ſuas.
Perque domum paſſim, per & aurea limina, guttæ
Et teneræ thalamos emicuere Deæ.
Forte puer juxta mediis erravit in herbis,
Depoſitaque levis cuſpide luſit Amor.
Vtque Deam vidit, lachrimas excepit, & illas
In viridi ludens ſpargere cœpit humo.
Quaque ſerit, ſenſim violæ naſcuntur ab illis,
Et roſeus florum germine ridet ager.
Obſtupuit, pueroſque puer vocat. ilicet omnes
Conveniunt turmæ, maxima Diva, tuæ.
Conveniunt, Zephyrumq; vocant (res digna relatu eſt:)
Nam Veneris pulchras incolit ille domos.

Protinus

Protinus humentes excuſſit nectare pennas.
Et volat, & divos ſacraque rura petit.
Adventante Deo tremulæ riſere myricæ,
Explicuit virides regia tota fores.
Aſpicit exultim volucres hic ludere fratres,
Multaque mirantes aſpicit ire Deos.
Cauſſa tamen latuit. tenues per gramina guttas,
Et ſubito flores ſurgere monſtrat Amor.
Monſtrat Amor, lachrimaſque Deæ ſerit. aſpicit ille,
Albaque cum violis lilia mixta videt.
Quaque videt puros puerum ſparſiſſe liquores,
Hic videt & flores emicuiſſe novos.
Hæſit, & obtutu ſtupuit Deus ipſe, fidemque
Credibile eſt oculis non habuiſſe ſuis.
Chlorida gaudentem trahit ad ſpectacula; Nymphas
Illa ſuas: cunctos res movet illa Deos.
Aſtra ferunt illis Superûm caruiſſe diebus
Cœtibus, & cives non habuiſſe ſuos.
Convenêre Dei: lepidos ſubiere Penates:
Hoſpitium cunctis Cypridis aula fuit.
Ipſa Venus ſpectat (teneræ mens verſa Dionæ eſt)
Vlterius natam nec Dea mœſta gemit.
Colligit vndantes Zephyrus per paſcua rores,
Imbribus his pennas inficit illa ſuas.
Hinc Deus arentes, quoties volat, inficit agros,
Et lachrimis lætam nunc quoque reddit humum.
Nunc quoque humus ridet lachrimis (quis credat?) & optat
Sic Venerem lachrimas fundere ſæpe ſuas.
Cauſſa patet. ſacras Cythereïa movit habenas,
Et ſonitum niveas edere juſſit aves.
Omnia cognovi: nec enim Dea notior vlla eſt,
Inque meo quæ plus pectore juris habet.
Digna, Venus, noſtra res hæc mihi viſa Camœna eſt:
Nomina nam Roſſæ ros dedit ille meæ.

ELEG. III.

Fabula Siderum.

Ætheris è ſummo qui tollitis æquore vultus,
Dii vigiles noctis, noctis alumna cohors,
Currere quos toto juſſerunt numina cœlo
In ſtatione ſua, ſed magis ipſa Venus;
Ad dominam pergo, dum nox indulget amori,
Dum nox atra ſuos flectere pergit equos.
Vos quoque, turba levis, vos talia gaudia quondam,
Et ſimiles curæ detinuere meis.
Vos quoque luſit Amor. faciles advertite vultus,
Dum roſeas cœli curritis ante fores.
Cynthia permittit, nec inexorabilis illa eſt.
Endymion duram non ſinit eſſe Deam.
Nil mihi cum Phœbo: Venerem nam prodidit ille,
Iuncta ſuo Marti cum Dea noſtra fuit.
Baſia quæ figam lepidi cognoſcite Divi,
Aurea gens, vultus res decet illa tuos.
Vos quoque ſic quondam genuit pater ætheris alti,
Perque ſuam juſſit Iupiter ire domum.
Quæque cano, quondam mihi rettulit illa Cupido,
Iuſſit & in faſtos vera referre ſuos.
Omnia novit Amor, magnoque æquævus Olympo,
Et ſenior cunctis eſt puer ille viris.
Ante reluctantem Saturni legibus orbem,
Cum placidus nondum ſub Iove mundus erat;
Candida Simplicitas regnis habitabat in illis,
Hæc Dea tam miti tempore digna fuit.
Ipſaque vix notum fuerant tum baſia nomen,
Ipſaque vix notum fœmina nomen erat.
Iupiter antiqua ludebat parvus in aula:
Nondum illi notum fulmen & ægis erat.
Sed modo tendebat lepori, modo retia cervo,

Vel

Vel volucrem viſco decipiebat avem.
Viderat hic pulchram Cybeles de gente miniſtram:
Riſit, & hæc animo res ait apta meo eſt.
Quidque foret, patrem trepida vix voce rogavit,
Ille, cave dixit tangere, larva fuit.
Dulcius hac larva nihil eſt pater, inquit, & illi
Si liceat comitem me dare, ſalvus ero.
Scilicet hinc pulchras tacitus ſpectare puellas
Cœpit, & has larvas nunc quoque ſemper amat.
Mox ſequitur, ſubeunſque legit veſtigia furtim,
Et poſcit faciles baſia plura Deas.
Quoque magis placuit, placuit magis illa voluptas,
Gaudiaque hæc finem non habuere ſuum.
Biſque Deus voluit numerum præſcribere certum:
Bis voluit fruſtra, nec potuiſſe ferunt.
Ergo abiit, totidemque notas quot baſia, cœlo
Fixit: & has circum currere juſſit humum.
Sidera quæ tandem ſeri dixêre nepotes.
Hinc ſibi non duram mens mea ſpondet opem.

ELEG. IV.

Elegias aliquot amiſſas deplorat.

FLete nefas Muſæ: lepidi periere libelli:
Quæ modo condideram carmina, ventus habet.
Quod peperi infelix pro me tenet improbus Auſter,
Surripuit fœtum ferreus ille meum.
Ipſe Deus noſtros gemuit miſeratus amores,
Perditaque infelix carmina quærit Amor.
Invia perluſtrat, latebras ſcrutatur inanes,
Antraque percurrit ſaxaque cuncta Venus.
Scrutatur madido perfuſam nectare ſylvam,
Quam Veneres parvæ, quam colit omnis Amor.
Ah periit labor ille mihi. mea cura jocique,
Et mea cum ventis pignora mentis eunt.

Atthida

Atthida qui rapuit, noſtros quoque ſuſtulit ignes,
Vt quondam Boreas, nunc quoque crimen habet.
Quid tibi crudelis mecum eſt? quis carminis vſus
Eſt tibi? num luſus, num mea furta leges?
Dignior es raptam pelago jactare carinam,
Si quæ ſollicitas per freta quærit opes.
Perdidit inſontem rabies tua neſcia Muſam,
Innocuoſque modos & leve pacis opus.
Non mea ſudantes deſcripſit ſanguine campos
Pagina, nec verſas in ſua bella manus,
Sed faciles curas, & gaudia prima juventæ,
Et nocuit nulli quod male perdis opus.
Haud impune feres. ſcelerum plectêre tuorum,
Hippotadeſque tibi durus & aſper erit.
Perfide, ſex faxo claudare ex ordine ſoles:
Hoc precium, hæc culpæ pœna futura tuæ eſt.
Interea levibus roris pater aureus alis,
In vacua Zephyrus luxuriabit humo.
Ille meæ Vitæ tenues criſpabit amictus,
Inque Deæ niveo pectore ſolus aget.
Ipſa tamen cunctos quæſitum miſit amores,
Et volucres Divos, agmina parva, Venus.
Ite meæ parvum Veneris genus: ite puelli:
Qui mea reppererit carmina, mulſa feret:
Libaque Mopſopia, aut Phrygiis è collibus vvam,
Aut aliud mater Cypria dulce dabit.
Interea tamen hæc foribus præfigite noſtris,
Porticus aut ſi quæ publica forte patet:
SI QVIS HABES HEINSII TENERAS MONVMENTA TABELLAS,
BLANDAQVE FESTIVA CARMINA DVCTA MANV;
BASIA BINA VENVS ROSEIS FVRTIVA LABELLIS

SPON-

SPONDET, ET HIS SI QVID DVLCIVS ESSE POTEST.
ILLA REPERTORI LIMO ARRIDEBIT OCELLO,
PLVRAQVE SI POSCAS, NON GRAVIS ILLA DEA EST.
HEINSIVS INFELIX ELEGOS SEX REDDET HABENTI:
ILLE SVVM GRATO CARMINE CARMEN EMET.

ELEG. V.

De Muſis ſuis.

Regia, quam cernis nullo ſe tollere cultu,
Inſcriptam Muſis qua patet ipſa, mea eſt.
Ambitio triſtis faſtuſque hinc exulat omnis,
Curaque in hac partem non habet vlla ſuam.
Heinſius hic habitat. jocus hunc hilareſque lepores,
Et poſita parvus cuſpide cingit Amor.
Totaque Muſarum domus eſt. hac lætus in aula
Innocuos ducit, nec ſine laude, dies.
Vanaque deſpecti contemnit præmia vulgi,
Et dubios caſus, & grave mortis onus.
Imperii Rex ille ſui eſt, doctiſque libellis
Imperat & chartis, nec minus ipſe ſibi:
Et quoties blandos circumſpicit ordine cives,
Gaudet, & à populo nil timet ipſe ſuo.
Perlegit hic docti genium luſuſque Catulli,
Perlegit hic numeros, culte Tibulle, tuos.
Battiadenque ſuum, patriis qui ludit in Vmbris,
Quique ſuis Grajis cognitus ante fuit.
Hic leuibus curis par ludit Teïus: illic
Simichides Siculas carmine mulcet oves:
Hic lepidos Moſchus calamis invitat Amores,

Ir

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In choreas parvos dum docet ire Deos.
Scilicet hos cives habet Heinſius: Heinſius illic
Cum Phœbo & Muſis regna beata tenet.
Nec cuiquam debere poteſt, nec ſupplicat vlli,
Nec trepidat duras judicis ante fores.
Et regni ſibi cauſa ſui eſt, nil credulus vlli,
Et tantum menti deditus ipſe ſuæ.
Gaudentem doctæ circumſtant vndique Muſæ,
Hinc mihi ſpes omnis, hinc mihi fama venit.
Hæc domus, hæc res tota mea eſt. plorate tyranni,
Invideaſque opibus, regia turba, meis.
Si mihi non ficti circundant atria vultus,
Genſque terit noſtras ambitioſa fores:
Sed ſecura quies paſcit nocteſque beatæ,
Semotum à populo, grataque vita ſibi.
Sunt & opes opibus placide caruiſſe: nec vllum
Pauperies Muſis addita crimen habet.
Iupiter anguſtas penetravit Baucidis ædes
Exiguo fultas ſtipite: Douſa meas.
Ille ſub hoc tantum ſubmittit culmine civem,
Et Muſas audit, vel canit ipſe, meas.
Iupiter ille mihi eſt. nec enim pia ſacra domumque,
Aut tenues Heinsî præterit ille lares.
Vulgus abi ſterileſque animæ. mihi ſacra quotannis
Solvere ſit genio, maxime Douſa, tuo.
Tum quoque, quod nolim, ſi te vis invida fati
Surripiat nobis, munera grata feram.
Inſtituam feſtos, tumuli certamina, ludos,
Et ſimilis nobis cura Secundus erit.
Illius ad tumulum pariter, vir magne, tuumque,
Iunget amatori pulchra puella latus.
Hic qui purpureis melius premit ora labellis,
Pluraque figit ovans baſia, victor erit.
Scilicet hos novit mea quondam Græcia ludos,
Et ſua defunctis baſia munus erant.

Sic juvenum pulchræ cinxere Dioclea turmæ,
Qui docuit pueros baſia prima ſuos.
Interea, mea gens, lepidi ſalvete libelli,
Tuque domus, Muſis regia ſacra meis.
Heinſius hic nullum defendit mœnibus hoſtem,
Nec ſibi conſortem nec gemit eſſe parem.
Divitiaſque ſuas tacitus miratur amatque,
Et loquitur populo, vel ſine voce, ſuo.

ELEG. VI.

Ad Didericum Douſam è Poloniæ reducem, in prœlium abeuntem.

E Scythicis nivibus ſævique è frigore Ponti
Donatus patriæ vix, Diderice, tuæ,
Protinus è matris teneræ complexibus ibis,
Prœliaque audebis rurſus & arma ſequi?
Nec faciles Muſæ, nec te Venus aurea ſiſtet,
Nec tibi quæ ſaltem vincula nectat erit?
Sæpe Venus potuit quod non potuere Camœnæ,
Quodque novem nequeunt, vna puella facit.
Me tenet obſeſſum levibus mea Vita lacertis:
Militiæ titulum vindicat illa meæ.
Heinſius infelix, hac ſub duce, tendit ad arma:
Cum vocat illa, volat, cum vetat illa, manet.
Nec minor eſt Mavorte Venus: nec ſævior ille,
Nec magis immitis, nec magis arma movet.
Nec minor eſt Veneris quam ſævi gloria Martis.
Vos patriæ curam, nec minus illa, gerit.
Illa viros Marti, patriæ Mars tradit habendos:
Præſidio Veneris Mars juvat, illa ſuo.
Si deerunt homines, hominum quis bella movebit,
Aut referet junctas ad fera tela manus?
Cum vacuum miſit lapides Epimethis in orbem,
Triſtia pro patriis quis tulit arma focis?

Hoſtis

Hoſtis erat nullus, fuerat quia terra duorum,
  Cumque viro totus fœmina mundus erat.
Par dolor eſt nobis geminique pericula belli.
  Triſtia Mars ſpargit vulnera, ſpargit Amor.
Cumque dolor par ſit, non eſt conſtantia vobis:
  Horrida vos tremitis vulnera, ſperat amans,
Atque aliquis figi lepidis optavit ocellis:
  Atquis aliquis lædi vix putat eſſe ſatis.
Si tamen & teſtes res poſtulat, his quoque Cypris
  Vtitur: exemplis non caret illa ſuis.
Mucius æternæ meruit præconia famæ,
  Cum validam ſævo torruit igne manum.
Novi ego qui flamma medio gauderet in igne,
  Novi ego qui nullo nollet amore capi.
Si libet in mea caſtra veni, rurſuſque viciſſim
  In tua, ſi libeat, me quoque caſtra voca.
Aſpiciam triſtes aquilas ſævaſque bipennes,
  Telaque & ardentes in tua fata manus.
Tu faciles oculos, & ſæpe impune minaces,
  Pectoraque, & dominæ mollia colla meæ.
Mœnia tu cinges gladiis: ego colla lacertis.
  Nos precibus gremium, milite Douſa ſolum.
Si ſuperor, ſic in Peneïde victus Apollo eſt.
  Si fuero victor, cum Iove victor ero.
Omnia Mars domuit: ſed & hunc Cythereïa mater.
  A veſtro ſpolium præſide noſtra tulit.
Poſt ſuperas acies & triſtia bella Gigantum,
  Per Libycam Mauors ferreus ibat humum:
Vtque recens victor, ferrugine pectus Ibera
  Et galea vultum cinxerat ille ſuum.
Dextera præfixo quatiebat ſpicula ferro,
  Qui latus horrendum cingeret enſis erat.
Omnibus ille acies jactabat & arma Deorum,
  Se quoque, qui tantæ pars bona laudis erat.
Forte illi occurrit lepido Cythereïa vultu,

Quæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quæ, niſi quod talis eſſet, inermis erat.
Pone ſequebatur lepidæ veſtigia Divæ,
Parvaque geſtabat ſpicula parvus Amor.
Mars Venerem riſit puerumque: nec his ait armis
Enceladus matrem ſanguine tinxit humum.
Ruſticitas Mars quanta tua eſt ! ignoſce Dione,
Deliciis dignus vix fuit ille tuis.
Quid faceret? riſit lepido Venus aurea vultu.
Hoc ſatis, vt Martem perdere poſſet, erat.
Non clypeis validis opus aut crudelibus armis
Vt caderet validus Mars, ſed amore fuit.
Cede pater Mavors: niſi vincere, victus abibis :
Teque capi niſi vis, ſic quoque captus eris.
Quam bene neglectos Cythereïa vindicat ignes !
Vt doleant, hoſtes cogit amare ſuos.
Scilicet ex illo, ſocio Mars gaudet Amore,
Et Venerem, fruſtra quam prius odit, amat.
Tu quoque peccato ſic cum Mavorte, tuamque
Linque deam poſt hac, Douſa, vel adde meam.

ELEG. VII.

Ad Iovem.

SIve aliquod munus, Divûmque hominumque poteſtas,
Nunc vacat in regno, Iupiter alme, tuo,
Seu quoties erras alieno ſaucius igne
Exquiris ſubitam vulnere feſſus opem;
Dic precor. extemplo veniam terraſque relinquam,
Et referam ſedes ad tua tecta meas.
Forſitan & quæras, cui ſim magis vtilis arti,
Et mihi quod credi non male poſſit opus.
Sum lepidus, ſum blandus amans, quod ſæpe fuiſti.
Omnibus exemplo res placet illa tuo.
Ambitio ſedes hominum poſſedit & vrbes:

Impatien

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Impatiens hic eſt ſortis & ille ſuæ.
Hic dominos faſces ſibi vindicat, ille ſecures:
Aſt ego, quod potero, ſemper amator ero.
Hic ego ſim, vitamque meam mea vota ſequantur:
Non placet optanti ſors aliena mihi.
His merui ſuperis aſſcribi, Iupiter, oris:
Moribus his civem me decet eſſe tuum.
Exiguum poſco, nec quod committere nolis,
Officio vires non ſuperante meas.
Pocula prælibat tenero tua Dardanus ore,
Et monitu tutum te facit eſſe ſuo
Sic ego prælibem cum tendis ad oſcula primum,
Et primum guſtem baſia pacta tibi,
Sive aliquam cœlo Nympham ſpeculatus ab alto es,
Seu pepigit noctes illa vel illa tibi,
Me pete, me præmitte tibi, ſecurior vt ſis.
Iudicio nunquam decipiere meo.
Protinus os ore invadam, qua tangere fas eſt,
Labraque conjungam collaque pulchra meis:
Præludamque tibi, meditataque baſia primus
Experiar, ſi ſint grata futura tibi.
Dicere ſi nequeas quantum lubet, annue tantum:
Tutius haud poteris quam ſine voce loqui.
Omnia cognoſcam; ſi forte vel aſpera Iuno
Ætheris æternas excubat ante fores,
Sitne aliquis noſtros Superûm qui captet amores,
Sitne aliquis fluxa quem rear eſſe fide.
Crede ſupercilio, ſi forte vocabere, noſtro:
Crede meis oculis, ſignaque redde tuis.
Dulcia ſi fuerint, ſi te mihi digna videntur
Baſia nec labris diſplicuere meis;
Magne pater, dicam, venias: tibi cætera reſtant,
Hoc quoque ſi nequeam dicere, ſigna dabo.
Baſia ſufficient mihi, tu potiora tenebis:
Non ego promiſſæ fur tibi noctis ero.

ELEG.

ELEG. VIII.

Ad invidum pro dominæ ſtatura.

INvide, quid noſtros toties proſcindis amores,
  Quæque mihi placuit non placet illa tibi?
Ardua ſi non eſt, vetereſque imitata Latinas,
  Et nimio feſſam corpore pulſat humum,
Si gremio ſatis illa meo eſt, noſtriſque lacertis
  Convenit, atque aliquid corpore majus habet,
Si vigor & lenes faciunt cum corpore mores,
  Grataque mobilitas & lepor omnis adeſt,
Et faciles riſus, riſuſque ſuavior ipſa,
  Pluraque quæ ſenſus ſurripuere meos;
Quid Phædram Procrinque mihi, quid nomine jactas
  Cætera? gens priſci temporis illa fuit.
Andromaches memini: ſed militis illa mariti
  Sanguineo conjux Hectore digna fuit.
Militis hæc votum decuit: decet illa poetæ,
  Et vatem ſeſe quo tueatur habet.
Ille thorum poſitis victor repetebat ab armis:
  Omnibus hic armis durior vxor erat.
Quaque ibi mentitum Phrygibus mactavit Achillem
  Suſtinuit rigida conjugis ora manu.
Adde quod antiqui fuerant è rupibus orti,
  Et generis princeps vltima, ſylva fuit.
Sylva (quis hoc neſcit?) veteres genuiſſe parentes
  Dicitur. hæc mundo ſemina prima dedit.
Non juvenis blandos animo verſabat amores:
  Vix etiam notum fœmina nomen erat.
Horrida naſcentem fundebant robora turbam,
  Ipſaque vix natos excipiebat humus.
Ruſtica Saturno ſub præſide deſiit ætas:
  Iupiter excepit, qui nova jura tulit.
Cœpimus à pulchris aliquid ſperare puellis,

Et pla

Et placidas mentes junxit amica Venus.
Sic etiam priſco vix degeneravit ab ævo
Et ſoboles trunco digna parente fuit.
Aſpera dum ſenſim, ſic Dis volventibus ævum,
Mutata eſt feritas: parvaque turba ſumus.
Præcipue noſtræ, gens inſidioſa, puellæ,
Quas vigor & levitas non oneroſa decet.
Hoc quoque (ſic fama eſt) ſuperi laudare feruntur,
Et brevitas illos mobilitaſque juvat.
Iupiter è Divûm toties cur venerit aula
Quæritur, & nota conjuge: major erat.
Non placuit gravitas nec noſtra major imago,
Nec potuit lecti tædia ferre ſui.
Ad Semelen ſupplex, ad Naïda quamlibet ibat,
Et precium cœli parva puella fuit.
Sic modo Ledæis jacuit diffuſus in vlnis,
Et nivea formam diſſimulavit ave:
Et modo, ſed taurus, mediis erravit in herbis,
Et fuit armento, quod fuit ante polo.
Hoc mihi ſi placuit, non ſum ſapientior illo,
Et Iovis exemplo ſtultus amator ero.
Tu quoque, noſter amor, ſimilem tibi poſce maritum,
Ne ſubeas oneri blanda puella tuo.
Quantus eras Polypheme? tamen Galatea refugit:
Muſaque nil quicquam, nil potuiſtis oves,
Nec quæ Trinacriis errabant montibus agnæ,
Iungeret amplexus vt fugitiva ſuos.
Acidis illa tamen teneris hærebat in vlnis.
Parvus & exigui ponderis Acis erat.
Tu quoque, noſter amor, venias non dura roganti.
Non ego ſum teneræ pœna futura tibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. IX.

Ad Bohemum quendam amicum, de poëtria celeberrima.

SIccine cui tanti Batavos accedere noſtros,
Vt tibi ſorderet terra paterna, fuit,
Ibis, & hanc gentem pariter pariterque relinques
Gaudia tot, mecum quæ tibi Leida dedit?
Scilicet eſt aliquid patriis inſiſtere terris:
Eſt aliquid reducem poſſe venire ſuis.
Omnia ſunt aliquid. tamen his majora ſuperſunt,
Nec male nota mihi, nec male nota tibi.
Neſcio quæ veſtris (ſi fas ſit dicere) terris
Eminet ingenii dote puella ſui.
Ingenio cunctas ſupereminet illa puellas,
Atque aliquid ſexu, nomine majus, habet.
Invideo tua vota tibi. tu molliter illi,
Dulcia prætendens carmina, junctus eris.
Et modo donabis quem perlegat illa libellum,
Quodque verecundo poſſit ab ore cani.
Nunc Batavûm laudes referes ipſoſque poëtas,
Atque ita per cauſſas omnia tutus ages.
Forſitan hos inter dabitur tuus Heinſius illi,
Atque aliquo ſaltem nomine notus ero.
Vel Tragico nuper quæ fudimus auſa cothurno,
Vel potius bandus quæ mihi dictat Amor.
Quicquid id eſt, tantum precor vt commender ab illo,
Et referas, ſi quæ grata futura putes.
Plus quoque, quam verum vel fas eſt, adjice nobis:
Nec dubites laudes accumulare meas.
Non ego tot terris, non tot diſiunctus ab vndis,
Præripiam partes, docte poëta, tuas.
Omnia ſunt tentanda tibi. ſub mille figuris
Vivit, & occulte ludere gaudet, amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Illius ingenium tacite laudabis & artem,
Ingenio pluris ſit licet ipſa tibi.
Sub ſtudio communis amor celabitur vno,
Et facile immunis ſuſpicionis eris.
Forſitan adventus tibi nomine baſia figet.
Hinc venient animi vulnera prima tui.
Si metuis, nimiumque tuo diffidis amori,
Incipiam partes ipſe ſubire tuas.
Scaliger ignoſcas: non ſunt tua numina tanti:
Da veniam faſſo, Douſa: Bohemus ero.
Non ego ſum tardus, nec cui male credere poſſis.
Si dubites, poterit dicere Roſſa tibi.
Iam propero: jam Praga mihi, jam Cæſaris arces
Mœniaque apparent. terra Batava vale.
Protinus accedam, nec me via fallet euntem,
Atque aliquid majus Cæſare quæret Amor.
Aſpiciam vultum cujus tot carmina legi,
Quam prius aſpexi, quam mihi nota fuit.
Hic aditus molles & tempora prima per artem
Experiar, ſi qua poſſit ab arte capi.
Cætera de facili venient, & verba ſequentur,
Ipſaque quos jungunt carmina, junget amor.
Blanditiæ accedent feſtivaque turba poëtæ,
Auxilio flammis turba futura meis.
His ducibus cautus quid non auderet amator ?
Ingenio venient quælibet apta meo.
Sive leget Nemeſin, Nemeſis mihi fiet in illa:
Sive alios ignes, protinus illud erit.
Dicere ſi qua pudor prohibebit, perleget ipſa.
Subveniet voto charta benigna meo.
Tot mihi patroni, quot ſunt tibi Roma poëtæ,
Succurrent, quorum luxuriavit amor.
Omnibus his formis meus occultabitur ignis.
Inveniam flammis nomina mille meis.
Quo feror infelix? quo me temerarius error

Et male feſtini pectoris ardor agit?
Cætera quæ reſtant pro me tibi fanda relinquo.
Da veniam votis tu modo Roſſa meis.

ELEG. X.

Ad Petrum Hondium.

SI quis erit medio Veneris qui torpet in igne,
Et vitium mentis, quod ſit amator, habet:
Sit procul à nobis: ne nos damnemur in illo,
Ceſſet & exempli lege nocere ſui.
Ingenio viget omnis amans: Venus ocia neſcit,
Ocia feſtivus ducere neſcit Amor.
Tollimur, & cœlos ſubito tranſcendimus, Hondi,
Menſque novos motus, nec niſi magna capit.
Carmina cum cultus cum dulcia furta Tibullus
Scriberet, in gremio pulchra Neæra fuit:
Callimachoque ſuo, lepidos cum conderet ignes,
Cynthia de collo dulce pependit onus.
Baſia quot Naſo rapuit, tot carmina fudit,
Ingenio flammas eliciente ſuas.
Nos quoque cum blandæ tepefecit ſpiritus auræ,
Et dominæ mentem tangere cœpit amor,
Scribimus, & calamus ſperataque verba ſequuntur,
Dextraque feſtivum ſiſtere neſcit opus.
Alteraque vt collum tenuit, manus altera ceram,
Deficit in partes illa nec illa ſuas.
Nec ſolos elegos, nec ſolos ludimus ignes:
Omnia conanti ſufficit ora Venus.
Aſpicis Aſcræi calamos, & dulcia vatem
Qui Siculas inter carmina fudit oves.
Hæc quoque tentanti faciles accommodat alas,
Deque ſuis humeris ipſe miniſtrat Amor.
Porrigit erranti geminas Cytherea columbas,
Perque ſuam mentem ſedula ducit iter.

Cum

Cum dominam vidi, pudor eſt nil ſcribere poſſe:
 Ingenium vires jungit & illa ſuas.
Cum ſua Socraticis nata eſt ſapientia chartis,
 In genibus Phædo fuſus amantis erat.
Ille parens veri, rigidique inventor honeſti,
 Quem ſemper major reſpiciebat amor,
Hauſerat è pulchris pueri ridentis ocellis,
 Hauſerat è vultu purpureiſque genis,
Quicquid Ariſtonides divina cantat in vmbra,
 Qua platanus gelidam lymphaque reddit humum.
Talibus auſpiciis doctæ creviſtis Athenæ:
 Talibus auſpiciis Græcia nota fuit.
Impia poſteritas titulos tranſcripſit, & arti
 Præſidium juſſit cuilibet eſſe ſuum.
Divisêre Deos, & tot fecêre Camœnas,
 Quot ſapiens doctas nollet habere nurus.
Tu quoque, qui mecum ſtudiis communibus, Hondi,
 Sollicitas multas in tua vota Deas,
Qui pariter quondam crudelia juſſa magiſtri
 Et tragicos faſtus verbaque ferre ſoles,
Cum levibus primum ſub ſceptris duximus ævum,
 Temporis & vitæ prodiga turba ſuæ,
Nunc etiam noſtris non ceſſas tempora Muſis,
 Scilicet, & totos continuare dies;
Deſine tam multas pariter tibi poſcere Divas:
 Sufficit in curas vna puella tuas.
Sufficit vna mihi. multas coluêre Camœnas,
 Non bene queis notum numen Amoris erat.
Quod rapiunt Muſæ, totum debetur Amori:
 Quas tribuunt partes omnibus, vnus habet.
Nos Venus & natus Veneris mortalibus vmbris
 Surripit, & comites neſcit habere Deas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. XI.

SEu furor eſt ſeu morbus amor, ſeu mentis imago,
Sive aliquid magnos quod probat eſſe Deos;
Cogimur & Divos ſequimur, fatoque minores
Imus, & huic noxæ dedita turba ſumus.
Qui teneros vultus, qui lactea colla genaſque
Invidiam culpæ credit habere ſuæ,
Errat, & infelix cauſſas ſibi fingit inanes,
Errat, & autorem nil putat eſſe Deum.
Omnia neſcimus, cauſſam neque novimus vllam,
Et ſatis eſt, ſi quis non ſapienter amat.
Quam miſer eſt, quemcunque juvat quod comprobat alter,
Et facilem culpam quam tueatur habet!
Quem facies pulchræ quem frons abſolvit amicæ
Protinus, & quovis judice liber abit:
Qui ſibi rivalem pariter teſtemque furoris
Invenit, & prudens, ſed male tutus, amat:
Cunctaque commendat quæ commendantur vbique,
Et niſi quod nulli diſplicet illud habet.
Nos aliquis cœcos, aliquis nos dicat ineptos,
Iudicium tanti nec putet eſſe meum.
Atque aliquis quærat, quod non bene novimus ipſi,
Cur placet hæc, oculos cur rapit illa tuos?
Cynthia laſcivis animum tangebat ocellis,
Ingenii contra dote Corinna ſui.
Leſbia cantando, Nemeſis formoſa loquendo,
Gratior aſpectu pulchra Neæra fuit.
Nos neque formoſam neque dicimus eſſe diſertam,
Non facies culpæ cauſſa nec ora meæ:
Plus aliquid forma, plus eſt oculiſque geniſque,
Plus aliquid toto corpore, quicquid amo.
Si nihil eſt, tamen illa mea eſt: liceatque furoris
Dicere nec cauſſam nec reperire mei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Quam facile eſt pulchræ faciem laudare puellæ,
Quæ quia formoſam quiſque putabit, erit!
Quam facile eſt totas oculis aſſcribere culpas,
Atque aliquid pro ſe dicere poſſe ſibi!
Me nihil in tota plus ipſa tangit amica.
Hoc ſatis eſt: mentem detinet ipſa meam.
Cætera Divorum gremio commiſſa teguntur,
Atque aliquid cœcæ relligionis habent.
Sic Superis viſum, ſic qui regit omnia Divûm
Fataque noſtra ſuo numine condit Amor.
In Veneris regno locus eſt, vbi fata canuntur,
Et totidem Parcas mater Amoris habet:
In Syriæ lucis, qua ſe Cephaleïa conjux
Exerit, & primo lumine pingit humum,
Cypridis æternæ nemus eſt, vbi nulla ferarum
Nec niſi quæ Veneri ſacra, vagatur avis.
Aſſyrios Divæ thalamos & Adonidis hortos,
Si memini, pulchram Græcia dixit humum.
In medio ſylvæ, domus è violiſque roſiſque
Surgit, & hanc circum pura ſuſurrat aqua:
E lachrymis fluit illa Deæ, quas fudit in herbis,
Cum rigido læſus dente maritus erat,
Cum puer infelix animam exhalavit Adonis,
E dominæ pendens ſaucius ore ſuæ.
Ingenuæ frondes, virides fecere columnas,
Et Veneris myrti, pomaque digna legi.
Quæ teneri juxta ſemper glomerantur Amores,
Quot volucres æther ſylvaque nutrit apes,
Cypris odorato thalamum ſibi legit in antro,
Summaque divini culmina montis habet.
Paſithee juxta, juxta par dulce ſororum
Aurea formoſa ſtamina pingit acu,
Nominaque intexunt propere quos juſſit amantum,
Et juvenem ſequitur quæque puella ſuum.
Hos puer è turba vicino in cortice ſignat,

Et totidem ductus proxima myrtus habet.
Nos quoque, ſi qua fides, myrto fueramus in illa.
Vlterius non eſt cauſſa petenda mihi.

ELEG. XII.

AD IOSEPHUM SCALIGERUM.

QVid toties noſtræ commendas ocia Muſæ,
Et celebras luſus, Cæſare nate, meos;
Nec dubitas magnis componere ſæpe poëtis,
Quæ facili nobis numine dictat Amor?
Da veniam faſſo: minus eſt quod quæritur illis,
Et tua laus nobis ponderis inſtar erit.
Tyndaris antiquis impune arriſit Amyclis,
Cum placuit Diva judice, rapta fuit.
Nos quoque feſtivis ſatis eſt placuiſſe poëtis,
Nec nimium ſoli diſplicuiſſe tibi.
Et ſatis eſt pulchris aliquid dixiſſe puellis.
Defugiunt magnos carmina noſtra Deos.
Si nimium laudes, prima moriemur in herba,
Et nimium nobis invidioſus eris.
Eſt aliquid noſtros leviter vidiſſe libellos,
Eſt aliquid vultus applicuiſſe tuos.
Hactenus, vt gratus veniam dulciſque legenti,
Et tibi feſtivum ſcribere dicar opus,
Poſteritaſque meos aliquid putet eſſe furores,
Et leviter jungat tempora noſtra tuis.
Sic quoque nil magni diſcedet Cæſaris vmbræ,
Nil quoque diſcedet, Cæſare nate, tibi:
Nec minus emergit croceis Aurora capillis,
Si teneat partes nox quoque nigra ſuas:
Nec minus ardentem miramur in æthere Phœbum,
Si tacitæ regnum Cynthia noctis habet.
Nos quoque, ſi fas eſt, aliqui dicamur in illis,

Con-

Conſpectu lætis quêis licet eſſe tuo,
Tum quoque, cum Divos majoraque regna tenebis,
Scaligeros inter, non minor ipſe, Deos;
Non ego victrices aquilas Burdeniaque arma,
Nec Venetæ tangam ſeditionis opus,
Nec toties Verona tuos mutaſſe tyrannos,
Sceptraque vicina non bene ſumpta manu,
Non Arabas faſtos, accuſatoſque Quirites
Temporis, & juſſos certius ire dies,
Et totidem gentes intellexiſſe, tot vrbes,
Quot geminus cœli duplicis axis habet.
Hæc aliis. mihi pars miranda nepotibus olim
Materiæ veniet non aliena meæ.
Nam tibi nil Cypris nocuit, nihil vlla voluptas,
Nec tua qui cunctos pectora flexit Amor,
Nulla tuos vnquam corrupit fœmina mores,
Nec de te ſpolium pulchra puella tulit.
Et puto major eras, niſi Iupiter ipſe fateri
Nollet, & hoc ſciret dedecus eſſe ſuum.
Quem toties blandæ pueri læsêre ſagittæ,
Seu fuit in tauro, ſeu fuit albus olor.
Ergo ego tempus erit cum te, fortiſſime rerum,
Et tua per populos facta decuſque feram:
Effigiemque tuam pariter, pariterque Tonantis.
Iupiter hic, illic Cæſare natus erit.
Scilicet hæc olim patrio ſpectabis Olympo,
Adverteſque oculos ad mea ſacra tuos.
Terra parens olli domitos ſummittet alumnos,
Enceladémque ſuum mater habebit humus.
At tibi victores ſuccumbent ætheris ignes,
Et domitor magni fulminis ibit Amor.
Armaque quæ cœli ſpolium faſceſque tulere
Aſpicies regnis ſtare minora tuis.
Pendebunt fractique arcus fractæque ſagittæ,
Et quocunque Deos ſæpe ſubegit Amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Adjiciam: DOMITO BONA MENS VICTORE DEORVM
IVLIADES TEMPLIS DEDICAT ILLA TVIS.
Quod ſupereſt, ſummos cineri ſolvemus honores.
Nec tumulum Crete ſed tibi mundus erit.

ELEG. XIII.

In Amicam, quæ ſenem rivalem præferebat.

OMnia ſuſtinui: vix ſic patientia victa eſt.
Sæpe fuit magno crimine pulſus amor.
Atque aliquis dominæ ſperavit verbera linguæ,
Atque aliquis ſævos vellet habere Deos.
Quod juvat, immodicum eſt: dolor eſt ſperandus amanti.
Sic etiam medicam ſæpe paramus opem.
Nos quoque contemptos melior fortuna ſequetur.
Non alius tardi finis amoris erit.
Deſpicimur: canus nobis præfertur amator.
Quis putet hoc divæ poſſe placere meæ?
Eſtne aliquis paucos qui crimen dixerit annos,
Aut nimium juvenem non putet eſſe virum?
Dî faciant illum ſpes intemerata ſequatur,
Et pereat voti commoditate ſui.
Tu tamen infelix cui non ſat viximus vni,
Ætatis cui flos criminis inſtar habet,
Hunc ſperare potes, cui nox ſine crimine tota eſt?
Illius in noctem ſtulta vacare potes?
Serius hoc nihil eſt, niſi tantum funus & vmbra.
Scilicet in lecti parte cadaver amas.
Si placet hoc tantum, tumulos Scrutemur & vrnas,
Et quæ caſſa ſua corpora luce jacent.
Invenies numero quod complectaris in illo,
Et tibi quod malles ſuppeditabit humus.
Exiguum diſcrimen habet quem fata tulerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et quem jam magna parte tulêre ſui.
Spiritus in pœnas minimo pro tempore reſtat,
Vt doleat vitæ ſe ſupereſſe ſuæ.
Non ego tam ſegnes optarim ducere lunas.
Præveniat fatum talia damna meum:
Naufragus vt lecti jaceam, ſine viribus vllis,
Opprobrium tantum ludibriumque tibi.
Eſt aliquid plenis vitam poſuiſſe ſub annis,
Dum dominæ poſſis flendus abire ſinu.
Vlterius nihil eſt: pudor eſt quod reſtat ab illo,
Et ſtupor infelix difficiliſque Venus.
Quis pudor eſt, totam narrando fallere noctem,
Et proavos tantum poſſe referre ſuos?
Pergama cum Grajis primum peterentur ab armis,
Et Phrygiæ lentas Græcia ferret opes,
Dum decies flavas proſcindit meſſor ariſtas,
Dum decies triſti frigore torpet humus,
Argolicæ blandi tulerant diſpendia lecti,
Et tulerant voti tædia longa ſui,
Troïca res tandem fatis concedit Achivûm,
Ad patrias pergit quiſque redire domos.
Debita pro charis perſolvunt dona maritis,
Et jacet ante ſuos quæque puella Deos.
Quilibet amiſſæ penſabat damna ruinæ,
Quilibet, excepto Neſtore, fortis erat.
Scilicet infelix, qui tertia viderat ire
Sæcula, jam lecti triſte jacebat onus.
Pœnituit totas Pycimeden ſtertere noctes:
Hoc precio, tanto tempore caſta fuit.
Ille ſuæ demens jactabat facta juventæ,
Priſcaque laudando ſæcula fortis erat.
Parcite, ſicut opes, annos numerare puellæ.
Tempore dos creſcit, tempore vita perit.
Deficimus ſemper, ſpacio decedimus ipſo:
Et minus acceſſu, quam fuit ante, manet.

Diſpereat, quiſquis pariter cum dotibus annos
Supputat, & pœnam muneris inſtar habet.
Me vigor & levitas tumulum comitentur ad ipſum:
Excipiat cineres plena juventa ſuos.
Quæ dominam fallunt, morti debentur & vmbris
Tempora: torporem ſentiat vrna meum.

ELEG. XIV.

Ad Michaëlem Mandevylium, medicum.

SIve aliquid ſacris merito ſperamus ab herbis,
Seu falſum eſt, medicas plurima poſſe manus;
Confiteor morbum. mens ægra doloribus impar
Deficit, & veſtræ ſedulitatis eget.
Vrimur, & faſſi nil diſſimulamus in igne:
Vrimur, & veſtram ſollicitamus opem.
Non tamen vt morbi videam ſpeciemve genuſve,
Aut videam flammæ ſemina prima meæ.
Nil ego peccavi, niſi ſi vidiſſe puellam
Vincor, & ex illo tempore læſus eo.
Si fuit hoc tantum, melius ſperamus ab hoſte,
Ne titulum fati poſcat amica mei.
Saucius Atrides medicas confugit ad artes,
Et medicam ſenſit vulnere tardus opem.
Vulnus in Ænea felix tractabat Iapis:
Qui Paridis poſſet tollere, nullus erat,
Hoc pariter Troes, pariter ſenſiſtis Achivi;
Hectoris hoc tactus frater & Hector erat.
Et Phrygios quiſquis infecit ſanguine campos,
Et Phrygiam quiſquis dente momordit humum:
Totque animas vno percuſſit vulnere Cypris,
Totque animas vna cuſpide fixit Amor.
Iverat antiquas Priameïus hoſpes Amyclas·
Aſpicit hic vultus pulchra Lacæna tuos:
Protinus exarſit: ſi quod medicamen in herbis,

Admo-

Admoveas medicam quiſquis amicus opem.
Scilicet in flamma Paridis, ſedabitis vrbis:
Quo calet hoc pectus vulnere, Troja cadet.
Affer opem læſo: Thetidi reddetur Achilles,
Et Priamus natos cernet, vt ante, ſuos.
Pelias vmbroſo, ceu quondam, ſtabit in Hæmo:
Quas melius figat Teucer habebit aves.
Viderat intactam Chryſeïda ductor Achivûm,
Succubuitque oculis protinus ipſe ſuis.
Illa Dei lauros occultaque ſacra gerebat:
Implebat teneras infula pura manus.
Quid facis Atride? medicos adhibete Pelaſgi:
Quæ modo ſunt regis vulnera, gentis erunt.
Delius ignaras jaculo pecudeſque feraſque:
Et volucres miſſa cuspide tollit aves.
In populos mox ardor abit. nihil arte Machaon:
Profuit, aut herbis Græcia tota ſuis.
Corpora procumbunt, quot non periere ſub hoſte,
Atque aliquid majus Hectore morbus habet.
Scilicet ignavas ſero properatis ad artes.
Quæ tremitis Danai ſpicula, miſit Amor.
Solus Amor regem, populos invaſit Apollo.
Sævior è Troia nulla ſagitta venit.
Si licet & fas eſt, oculis periêre Pelaſgi,
Sive ſui regis, ſive, puella, tuis.
Solus Amor veſtras excludit fortior artes,
Solus Amor veſtri negligit arma Dei.
Iupiter agnoſcit, toties deluſus ab illo,
Qui puero certas ſentiit eſſe manus.
Delius, vt fama eſt, & qui regit omnia, quondam
Spicula certabat mittere parvus Amor.
Fabula priſca quidem, ſed non ſine numine certo,
Errat, & autores fertur habere Deos.
Aſtabant gemini comites; Podalirius illi,
Huic, ſocio junctus fœdere, blandus Hymen.

Nec mora, committunt volucres hinc inde ſagittas.
Prima volat Phœbi, tardior alter erat:
Dumque per immitis Zephyros libratur arundo,
Callidus inflexo poplite cedit Amor.
Cedit, & extemplo faciles ſuſpenſus in alas
Vertit in adverſi pectora nuda Dei.
Obſtupuit Phœbus, comites risêre gementem:
Exiguum primo tempore vulnus erat.
Vulnus erat primo ſine ſanguine: qualia ſæpe
Virginis è gremio pendula figit acus.
Mox fluit in nervos, tenueſque illapſa per artus
Et venas & cor oſſaque, peſtis abit.
Quid facerent? pallet Podalirius, itur in herbas:
Proxima Dictæi culmina montis erant.
Huc abit, & ſumma dictamnum carpit ab Ida,
Et Panacæa tuam ſæpius addit opem.
Nil tamen hic artes, nil mens potuere nec herbæ,
Carmine nil magico conſcia fecit anus.
Sic periit demens, dum poſt medicamina quævis
Auxilium læſo pulchra puella tulit.
Scilicet hinc ridet medicum, ſoluſque Deorum
Quid liceat vobis ſcire fatetur Amor.

ELEG. XV.

Ad Gerardum Tuningium.

OMnia, Tuningi, merito miramur in illo,
Seu fuit hoc fatum, ſeu rationis opus;
Qui potuit longas ſine conjuge ducere noctes,
Nec comitem ſomni curat habere ſui:
Nec timet infelix ne non videatur amari,
Aut ſocias partes, conjugis alter agat:
Sed vacuus toto jacuit multuſque cubili,
Ociaque ignavæ præmia noctis habet.
Hæc tua, ſi fas eſt, liceat veſtigia nobis,

Perque

Perque tuos paſſus protenus ire mihi.
Nec moveat noſtros quoties percurris amores,
Si videor votis blandior eſſe meis.
Cum lepidos verſus, cum mollia carmina cernis,
Et quæcunque aliquis dicere poſſit amans;
Quærimus abſentem. veniat cum dote, recedam:
Et fugiam leges ipſe poëta meas.
Me juvat in cunctis aliquid laudare puellis:
Hæc mihi libertas conjugis inſtar erit.
Cum video cunctas, cunctæ ſuperabitis, inquam,
Iudicio ne ſit triſtior vlla meo.
Hæc nimium pulchra eſt, ſed & hæc, ſed & illa, nec illa
Diſplicet: hæc etiam quo pereamus habet.
Moribus hæc primas ſibi vindicat, illa pudorem:
Omnibus hæc viſa eſt pulchior, illa mihi.
Omnia nec dentur nec ſurripiantur amicæ,
Et teneat partes quæque pulla ſuas.
Hoc nocuit Trojæ, geminiſque inviſa Deabus
Pergama, vix muros ſuſtinuêre ſuos.
Quid facient omnes quoties damnantur in vna,
Vnaque tam raræ præmia laudis habet?
Iudice me nullos Hecube ploraret ad ignes,
Nec Phrygiæ lentas Græcia ferret opes.
Si Venerem ſpectem, nihil à Iunone requiram:
Si Iuno veniat; hæc quoque Cypris erit.
Vt pariter junctæ pariter venere ſub Idam
Cum Paphia magni nata ſororque Dei,
Mollius obliquis Paphie ſubriſit ocellis,
Altera diffuſo pectore lata fuit,
Tertia conſueta nimium ſumebat ab ira,
Iupiter in cauſa, factus adulter, erat.
Iunoni imperium, vires aſſcribe Minervæ;
Invenies tales illa decere Deas.
Nec damnare meum nec ſit præferre puellam,
Nec teneat mentem firmius vlla meam:

Nec

Nec ſine laude ſua nec ſint ſine crimine cunctæ.
Hæc meruit naſci pulchra, quod illa fuit.
Pars faciem penſat genio, pars moribus annos,
Pars redimit verbis turpia membra ſuis.
Sic melius ſic ſemper agam, fugiamque videri
Ferreus, & nunquam ſtultus amator ero.
Qui perit in quavis, ſatis hoc, vt neſciat vnam,
Et numero tandem cedere diſcat amor.
Ah pudet, inſanos etiam mercamur amores:
Pro facie multas plurima vendit opes.
Dos juvat in fraudes animoſque expugnat inertes,
Et precium quivis accipit ipſe ſui.
Hoc emimus lites inſanaque jurgia lecti,
Et querulam ſemper difficilemque domum.
Aurea nunc demum meruit Cytherea vocari,
In Batavis ſedem nunc habet illa ſuam.
Iupiter è nobis aliquam ſi quærat amicam,
Quod fuit in capra virgine, rurſus erit:
Hoc ſine, non cœlum, non tertia regna juvabunt,
Nec ſatis in dotem fulmen & orbis erunt.
Sunt Danaæ centum poſtquam penetravimus Indum,
Et ſua, quod nollet, munera miſit Iber.
Ah melius quondam, cum navita pauper & inſons,
Nil veritus duras funibus eſſe manus,
Ibat in amplexum dominæ quo fata vocabant,
Humidus, & plenus rore fluentis aquæ.
Ibat inops, cymbamque ſuæ monſtrabat amicæ.
Forſitan in cymba remus & alter erat.
Has habuit dotes ſi quis poſcebat amari,
Has habuit quiſquis ducere vellet opes.
Pauperies primum, pietas mox excidit auro,
Legitimus tandem ſæcula ſenſit amor.
Hæc quoque pars nobis ſatis eſt, ſi cætera deſunt,
Ne videar leges velle movere tuas.
Non mihi dos vlla eſt, nec opus jurare Deorum
Numina:

Numina: contingit vatibus iſta fides.
Sic quoque liber ero, nec cæco vincar ab auro,
Nec thalamo leges ſcribet amica meo.
Tu quoque, Tuningi, vacua ſecurus in aula,
Ocia tranquillæ dulcia mentis agis:
Nec faciles horas nec ſomnum dividis vlli,
Et tua nox tota eſt, totaque vita tua eſt.
Invideat, ſi quis levibus ſuccumbit habenis,
Et miſerum laſſo corpore geſtat onus:
Somniaque vt demens alienis narret in vlnis,
Mancipium dominæ ſuſtinet eſſe ſuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII
ELEGIARUM
IUVENILIUM
LIBER. II.
FREDERICO SANDIO,
Fiſci Geldriæ & Zutphaniæ Præfecto, S.

*OMnium philoſophorum, Vir ampliſſime
ſuaviſſimi ſunt illi, quos Socraticos dici
mus. quorum exemplo libenter vtor. Ii ita
ab omni voluptate aberant, vt interim
deliciis honeſtioribus, à jocis, à ſalibus no
abhorrerent: &, quod præcipuum ego ar
bitror, ab* ἀναισθησίᾳ *longe abeſſent. Puer admodum
Xenophontem ita avide arripiebam, vt quæcunque exta
rent illus, quater aut quinquies continuo evolverem. Ad
Platonem ſerius acceſſi: cum fructu tamen eo majore for
taſſe, quanto hæc ætas plus videt plus percipit. In altero eo
rum Socratem videbam, cujus familiam mirabar, apud
Calliam, inter epulas iis de rebus diſputantem, quæ illiu
loci eſſent: & interdum pocula rorantia, ſi quæ inſtitueren
tur. minime recuſantem. In altero, eundem de Amore
diſſerentem, & cum Alcibiade ebrio temulentoque, cum
tæniis & floribus liberiuſcule, vt in illa vrbe, ad comun
veniente, ſuaviter argutantem. Poſtremo, ſub diluculum
reliquis ad ſe euntibus, ſolus cum Agathone & Ariſtopha
ne repertus eſt bonus Socrates, more Homerico, biben
ἐπιδέξια. Nimirum pectus liberale* καὶ τὸ ἐλευθέριο *
amat ſapientia. quæ & intendere animum & remittere
honeſte ſolet, neque è ſeveritate metitur virtutem. Poſt
quam enim è palliolo ſuo & barba cenſeri ſapientiam Græ
ce volue*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

i voluerunt, & indicium continentiæ fecerunt frontem,

Exillo fluere & tetro ſublapſa referri
Omnia.

Coloniam mutavit Dea illa, & ἐν τῷ δοκεῖν habitare cœpit non ἐν τῷ εἶναι. Quod ſi illud hominibus gravibus, & qui ſapientiam ætate jam propemodum elapſa profitebantur, apud homines prudentes fraudi non fuit, quod & tempori & occaſioni aliquid darent, nec perpetuo ſupercilium contraherent; quanto æquius nos veniam merebimur, ſi ætate prima Venerem cum Muſis conjunximus, & liberius paulo ſacris hujus Deæ initiati ſumus. Quod & ſobrie hic à nobis factum eſt, & parce; ne vſquam temperantiæ limitem excederemus. Nec difficilius, vt ſpero, à te quam à reliquis veniam impetrabimus, quod tibi, viro ampliſsimo, καὶ τὰ κοινὰ ἐπιτετραμμένῳ, ea offeramus, quæ fere ætatis ratione veniam merentur, ſi cogites de anteacto vitæ tempore, quod ſimul in ocio literarum tranſegimus, & familiaritate illa mutua, qua alterum alter eſt complexus. Quam quidem humanitatem tuam cum nova dignitate imminutam crederem, niſi vltro me nuperrime literis muneribuſque provocaſſes. Cum igitur tam graviter in ære tuo ſim, nunc ſufficiet, ſi beneficia tua agnoſcere me intelligas. alias de officio cogitabo. Elegiarum itaque mearum librum primum habe: quotieſque à foro tantillum tibi otii ſupererit, ſimul ad te & Heinſium tuum redi: ac pro admirabili ingenio & eruditione tua (quam ſemper in te veneratus ſum) Muſas noſtras fovere perge. Vale Vir Ampliſsime, Lugd. Batav. ipſis Kal. Iunii.

DAN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

DANIELIS HEINSII
ELEGIARUM
IUVENILIUM
LIBER. II.

ELEG. I.
IOSEPHO SCALIGERO
Muſas ſuas commendat.

QVid mihi barbaries faciles in carmin Muſas
Objicis, atque hederas, mollia ſerta (meas
Nil mihi vobiſcum eſt. ſatis eſt, ſi cætera deſunt,
Invidiam merui, nec pudet eſſe reum.
Degeneres animi, lepidis gens invida curis,
Nil mihi vobiſcum eſt: me meus ardor agit.
Me lepidos procul in ſaltus habitataque luſtra
Vatibus innocuis ruraque, ducat Amor:
Quo vocat accenſos Erato formoſa poëtas,
Et Veneri blandam jungit amica manum.
Ganda fave: tibi ſacra fero. ſternutat Apollo,
Ominaque à dextra candida reddit avis.
Ipſa Venus nuper niveo ſubriſerat ore,
Et tulerat numeros ad ſua tecta meos:
Lætaque viderunt mortales numina curas,
Carminaque attentos detinuere Deos.
Et mea nunc toto jactantur carmina cœlo,
Et mea feſtivus carmina diſcit Amor.
Scilicet audendum eſt. tenui tranſnabimus aura,
Summaque rademus littora. Livor abi.
Quam juvat anguſtis animam ſubmittere rebus,
Æquaque naturæ dicere poſſe meæ.

nocui luſus Muſarum, vmbroſaque tempe,
Et teneræ myrti, cauſſaque amoris amor,
maque, quæ doctæ Veneris non aſpera genti
Crederis æterna cingere fronde caput,
os ſequimur. via rara juvat, nec cognita vulgo.
Hoc ſatis eſt, arctum Muſa teramus iter.
at mihi ſit blandis aliquid dixiſſe puellis.
Hæc mihi gens judex, hæc mihi lector erit.
inc veniat laurus: ſatis hæc victoria nobis.
Militiæ maneat terminus ille meæ.
Ion tamen vt toti nequeam dare lintea vento,
Aut mea ſub duro pondere cymba gemat.
am mihi Burdenos mens eſt deducere Diuos
Altius, & laudes armaque prima virûm,
Ingenteſque in bella animos, & parta trophæa.
Nec tamen hic parvus nil ſibi poſcet Amor.
Dicam caſta tuos formoſaque Ruppia vultus,
Et teneros mores ingeniumque Deæ.
Ruppia ter felix animi: tibi maximus ille
Succubuit, quamvis victor ab hoſte foret.
Succubuit roſeiſque genis ſanctoque pudori,
Tantaque tam parvus pectora flexit Amor.
Ille, feros & adhuc ſtillantes ſanguine vultus,
Ibat in vberibus ponere Nympha tuis.
Ibat & audaces animi deponere motus.
Sic Phœbum didicit tactus amore pati.
Illinc Iuliades noſtro caput extulit ævo,
Virtutis patriæ gloria, gentis apex.
Dignior illuſtres inter vixiſſe Quirites.
Haud capiunt tantos ſæcula noſtra Deos.
O animæ, o Brenni genus, invictique nepotes,
Fortunæ o triſti fulmine tacta domus,
Fatorum o domitrix, æterni Cæſaris vmbra,
Hinc decus, hinc nobis ſurgere pergat honor.
Iam mihi mens circum trepidis ſubſultat anhela
Moti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Motibus,& primo laudis amore calet,
Scintillaſque animo nec lentos concipit ignes,
Et rapiunt pronam ventus & vnda ratem.
Livor abi: rege vela pater curſumque poëtæ
Iuliade. vates regia turba ſumus.

ELEG. II.

AD NICOLAUM HEINSIUM

è Gallia reducem.

ERgone tam gratas potuiſti linquere terras,
In Batavoſque, Heinſi, non abiture venis?
Hactenus in noſtris potuiſti hærere pruinis,
Nec tua mitis adhuc pectora flexit amor?
Livia jam mœſtis lachrimam deſtillat ocellis,
Et queritur fluxam ſola relicta fidem.
Dinumerat cunctas, miſeranda, ex ordine noctes,
Dinumerat cunctos, ſola relicta, dies.
Forſitan & pontum lachrimans proſpectat & vndas,
Quotque videt puppes, tot putat eſſe tuam.
Et modo crudeles cauſſatur neſcia ventos,
Et modo turbatas neſcia culpat aquas.
Et modo rumores populi ſcrutatur & horret,
Perfidiæque omnes damnat iniqua viros,
Et modo de Batavis ſcrutatur multa puellis,
Et formæ metuit tædia prima ſuæ.
Sæva Venus, quantis jactatur pallida curis!
Sæva Venus, quantum pectora verſat Amor!
Tu procul horrentem metiris perfide Rhenum,
Et nimio vinctam frigore curris aquam.
Hic vbi turba levis teneri glomerantur amantes,
Et ſequitur ſocium juncta puella virum.
Hei mihi, ſi neſcis, media Venus errat in vnda.

Mate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Materiem culpæ quam dabit illa tuæ!
Aſpicies pulchras celeri pede currere Nymphas,
Et cupies ſaltem jungere poſſe manus.
Ah miſer! atque, hic dum pedibus talaria nectes,
Officii precium baſia forte feres.
Interea longas queritur tua Livia noctes,
Et nimium tarde pergere Solis equos.
Scilicet ignorat Batavas tua Livia lymphas:
Vt Venus in mediis ignea regnet aquis.
Ah tibi cor circum glacies tenet: ah tibi pectus,
Quæ Batavis vinxit flumina, vinxit hyems.
Ferree, ſi te nec lachrimæ movêre, nec illa
Brachia, quæ collum detinuêre tuum.
Ferree, ſi te nec gemitus triſteſque querelæ,
Quæque ſuos poterant tangere verba Deos,
Cum male turbato nimiis ſingultibus ore
Defuit in voces vltima lingua ſuas.
Cum tibi pro verbis, tepido modo baſia vultu
Detulit, in vultus tota ſoluta tuos.
Sedula cum mœſtos genitrix vix ſiſteret imbres,
Adderet &: reducem jam feret ille pedem.
Ille pedem referet? media qui lentus in aula
Crudeles aquilas, Martia ſigna, gerit?
Iupiter! vt cuncti potius pereatis amantes,
Quam fundat lachrimas vna puella ſuas.
Scilicet hic gaudes patriis ſuccurrere Belgis,
Et ſpolium victo victor ab hoſte petis.
Hoc quoq; jam ſpectas, Veneris langueſcat vt ardor,
Eque tuo ſenſim pectore pulſus eat.
Falleris. audacem ſequitur Venus aurea Martem:
Semper amatori proxima Diva ſuo eſt.
Hic quoque. ſi neſcis, læſos vlciſcitur ignes,
Hic quoque, ſi neſcis, dura graviſque venit.
Dii faciant, ipſum cum jam contendis in hoſtem,
Hic ſubeat vulnus quod tibi fecit Amor.

Hic ſubeat vultus, ſubeant oculique genæque,
  Quæ prima ardoris cauſa fuere tui.
Hic ſubeat, qualis primum tibi viſa placebat,
  Cum rudis ignoto læſus ab igne fores.
Protinus occurrent anteactæ gaudia vitæ,
  Et fugiet firmam non ſatis haſta manum.
I licet, horrentem galea complectere vultum,
  Et ſubeat geſtus tota Meduſa tuos:
Læſa Venus juncto ſua fert veſtigia paſſu,
  Et ſequitur greſſus, corpus vt vmbra ſolet.
Nos, Veneris pia gens, faciles ſectemur amores,
  Et gremium dominæ ſint mihi caſtra mçæ.
Hic ego crudeles contemnam fortiter enſes,
  Cunctaque quæ fuerint ſpicula miſſa, feram.
Diva Venus, Veneriſque leves faveatis Amores:
  Hæc ſeries vitæ tota futura meæ eſt,
Gaudiaque, & mites obliquo lumine riſus.
  Invideant ſomnis claſſica rauca tuis.
Me tantum capiant inſani oblivia belli,
  Solaque pax Belgis nunc aliena veni.
Hoc mihi pro pietate mea concedite Divi,
  Rus procul vt patrium parvaque tecta colam.
Heic maneam, & mea Vita ſimul. ſic currite fata.
  Divitias alius ſperet, & arma gerat.

ELEG. III.

AD IACOBUM VISCHERUM.

QVid toties, Viſchere, meos inquiris amores,
  Nec pateris flammam diſſimulare meam?
Scilicet obductus melius conſumitur ignis:
  Vult ſua celari nomina cautus Amor.
Lesbia vix nota eſt teneri formoſa Catulli,

Et melius cœcum Cynthia nomen habet.
Sic referet Roſſam quam neſciet omnis amator,
Sic aliis olim, ſic ſibi verba dabit.
Hactenus inſtabis. de nomine deprecor vno,
Cætera ſi tacito non licet eſſe mihi.
Inclyta Lugdunum noſtros ſibi vindicat ignes:
Illa mei cauſas prima furoris habet.
Hic lepidi caſſes intentaque tela juventæ,
Primaque militiæ caſtra fuere meæ.
Cedite Pierides, veſtra Venus errat in vrbe.
Virgineas ſedes occupat hoſtis Amor.
Non ego peccavi, ſi me Deus abſtulit alter,
Alteriuſque oculi ſi rapuêre meos.
Phœbe pater, tuto ſi non licet eſſe poëtæ,
Da veniam, melius miles Amoris ero.
Douſa meus ſævos hic olim reppulit hoſtes,
Luminibus quamvis ſaucius Ida tuis.
Forſitan hoc fatum domini complectitur vrbem,
Et fuit exemplum civibus ille ſuis.
Me ſimilis languor ſperataque peſtis ademit:
Seu ſeries fati, ſeu fuit ira Dei.
Tertia jam meſſis, totidem ſe frigora laxant,
Cum, miſer, ignoto vulnere tactus eo.
Quos ego non gemitus, quæ non ſuſpiria fudi?
Oppoſuit ſolas queſtibus illa fores.
Obſtupui primum lepido percuſſus ab æſtu,
Et metui flammam ſollicitare meam.
Non aliter, charæ thalamis incluſa parentis,
Ad gremium matris caſta puella ſedet,
Quam nondum tetigit lentis Cythereïa curis,
Nec tepido ſtrinxit vulnere primus amor.
Dum recolit penſum, dum ſe miratur in illo,
Neſcia fallaci vulnera fecit acu.
Ingemit extemplo: nec adhuc de vulnere certa eſt,
Sed ſubitus primum pectora terror habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vix equidem ſenſi dubio correptus ab igne,
Ipſaque dum metuo ſpicula, vulnus alo.
Sic venit in caſſes quas non bene linquit alauda:
Ipſaque quæ vitat retia tangit aper.
Simplicitas nocuit, nocuit vicinia nobis,
Et volui damno proximus eſſe meo.
Quid tibi de vultu referam? quid cætera dicam?
Dii faciant ſoli pulchra ſit illa mihi.
Diſpliceat cunctis, ſatis eſt quod convenit vni.
Hac ſpecie formam vindicat illa ſuam.
Non Helenen laudo, de qua ſe jactat adulter
Atticus, & rurſum Troïcus hoſpes habet.
Quæ placuit, Menelaë, tibi, placet omnibus olim:
Nunc quoque rivali non caret illa ſuo.
Quis Paridem damnet, niſi ſit veſanus & excors?
Innocuas Theſei quis neget eſſe manus?
Si ſapis, Atride, quiſquis peccavit in illa
Conjuge, judicium comprobat ille tuum.
Nos ſapiens damnet, ſapiens nos culpet amator,
Nec facile abſolvat, nec, bene, dicat, amas.
Non mihi concordes ad publica verba Quirites,
Nec populus judex experiundus erit.
Rex Amor eſt: plebem Venus aurea negligit. odi
Alterius placitum, dum placet illa mihi.
Si brevis eſt multis, longa eſt quæ ſufficit vni:
Legitimus formæ crimina penſat amor.
Cætera conveniunt: aliquot ſuperamur ab annis,
Diſpereat vanas qui numerabit opes.
Non mihi ſors faſces, non dotes imputat vllas,
Nec volui cœcæ debitor eſſe Deæ.
Hæc quoque Dii præſtant, qui me fecêre poëtam.
Dos hederæ nobis, dos mihi carmen erit.
Cætera cognoſces. ſine nomine nomen habebis,
Nec poteris flammæ neſcius eſſe meæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

ELEG. IV.

AD IOANNEM FORESTIUM.

POſceris ad feſtas epulas cupiente puella.
Vlterius tuto non licet eſſe tibi.
Hactenus in ſolis, Foreſti, tempora Muſis
Omnia ponebas, & bene tutus eras.
Quid facis infelix? medios cur tendis in ignes,
Et properas fatum præcipitare tuum?
Deſine feſtivæ nimium confidere turbæ,
Dum rudis eſt ætas, & rude pectus habes.
Scilicet æquævi ſi ſperas vulnus Amoris,
Et pueri tentas tela cruenta Dei;
Non totidem tibi terga boum, quot ſuſtulit Ajax,
Non ſeptem geminum ſpicula ſiſtet onus.
Spicula, ſi neſcis, oculis ſparguntur ab illis,
Et melius Teucro pectora tangit Amor.
Perculit inſtantem patriæ Briſeis Achillem,
Seque oculis vlta eſt ipſa pulla ſuis.
Vulneribus nullis, nullo penetrabilis ictu,
Cum faciem Nymphæ vidit, inermis erat.
At tibi ſordebunt, doctorum gaudia, chartæ,
Et tibi tam longe carminis autor erit.
Nec bene deſuetam repetes ad carmina mentem,
Nec bene Muſarum ſollicitabis opem.
Omnia deficient: quid enim non perdit amator?
Ingenio ſenſim deſtituêre tuo.
Nec tibi deliciæ nec mollia carmina vatum,
Nec tibi tam gratus magnus Homerus erit.
Omnia mutantur: facies venit altera rerum,
Cum ſemel ignavus ſerpere cœpit amor.
Sic ipſi voluêre Dei, ſic ſidera: noſtrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In gremio fatum pulchra puella gerit.
Iupiter inſano toties percuſſus ab igne,
Fatidicas illic vivere dixit anus.
Delia narratur, de virginitate toroque
Tres dominas fati conſuluiſſe Deas.
Atropos aſſenſit, volvendaque fila ſorores
Penſaque fatales explicuere manus.
Venit, & exponens dubio ſua fata parenti,
In patrios vultus collaque lapſa fuit.
Iupiter arriſit, faciemque amplexus & ora,
Hic totidem Parcas, filia, dixit, habes.
Hoc quoque jus noſtris Superi tribuere puellis:
Materies illis ludibriumque ſumus.
Nec tibi, ſi vellent, Superi ſuccurrere poſſent:
Iupiter ardori defuit ipſe ſuo.
Fabula narratur (niſi quatenus omnia vati
Scire licet) magnis non niſi nota Deis.
Iupiter imberbis, nec adhuc à fulmine dictus,
Fulmine ſepoſito factus amator erat.
Tactus erat primo teneræ Iunonis amore,
Nec pro germana cœpit habere Deam.
Viderat hoc quondam ſenior Saturnus in illo,
Sed poterat caſto crimen amore tegi.
Sæpius accedens Cybele laudavit vtrumque,
Et pietas viſa eſt digna favore poli.
Sæpius amborum conſpexerat oſcula furtim:
Oſcula tunc ſignum ſimplicitatis erant.
Suſpicio nondum divoſque hominesque tenebat:
Vltimus erroris terminus ille fuit.
Nunc ſceleris metus in ſcelere eſt: diffidere gaudet
Inque alio mores quiſque timere ſuos.
Interea crebro ſuſpiria ducere cœpit,
Et lepidus cœpit tangere corda furor.
Quaque ſuos greſſus tacite germana ferebat,
Huc etiam greſſus contulit ille ſuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Iverat huc Iuno: ſubito conceſſit eodem
Iupiter. aſſedit: junxit & ille latus.
Oſcula poſcebat, ſed ſola quid oſcula poſſunt?
Nec ſatis è voto res ea viſa fuit.
Oſcula figebat: ſed quid poſt oſcula poſſet
Neſciit, & morbum cœpit amare ſuum.
Quid faceret? læſos macies exhauſerat artus,
Nec vigor in toto corpore priſcus erat.
Quid faceret? narrat Cybelæ ſua vulnera matri.
Nec mora, Saturno rettulit illa ſuo.
Protinus admovit ſenior ſua lumina Chiron,
Et trepidam cœpit ſollicitare manum.
Audiit hoc curva latitans in valle Prometheus,
Caucaſeam nondum paſcere juſſus avem:
Vtque fuit primum teneri conſultus amoris,
Riſit, & ad matrem juſſit abire ſuam.
Corycidas rupes, Themis, & loca dicta Camœnis
Poſtmodo, Bœotam forte tenebat humum.
Hic Superis reſponſa dabat: non Delphica ſaxa,
Scilicet, aut vlli cognita laurus erat.
Parüit infelix. Themidis delubra petuntur.
Templa Deæ, ceſpes ſtramine tectus erat.
Huc vbi perventum eſt, humilem complectitur ædem
Iupiter, & fulmen ponit ad antra ſuum.
Reddita vox luco eſt: vocem audivêre ſub antris
Naïdes, & vultus occuluere Deæ:
Hoc Iuno quod poſcis habet: gremioque ſub illo,
Quas petis hic ſortes & tua fata gerit.
Obſtupuit cœca perculſus imagine vocis
Iupiter: & qua tum ſimplicitate fuit,
Rurſus in amplexus Iunonis fertur, vt ante,
Et lepide vultum jungit, vt ante, ſuum.
Vtque nihil deſit, velamina ponere juſſit
Ad thalamum: veſtes juſſa reponit humi.
Sic pariter juncti jacuêre ſub arbore quadam:

Dum ſimul in ſomnum lapſus vterque fuit.
Nil tamen vlterius potuit, rurſuſque receſſit,
Et nondum didicit, quid ſibi vellet amor.
Nunc quoque neſciret, toties neque factus adulter
Impleſſet propio ſanguine turpis humum:
Capra viam monſtravit anus, fidiſſima nutrix:
Hoc cœlum officio fida miniſtra tenet.
Crimine nunc quivis proprios prætervenit annos,
Et metuit ſæclo caſtior eſſe ſuo.
Tu quoque, Foreſti, nimium peccabis in vna,
Si pereas ævi commoditate tui.

ELEG. V.
AD
IANUM DOUSAM.

NOrdvicum mea Vita petit. ſecedite Muſæ,
Sacraque Muſarum mœnia, Leyda vale.
A Douſa locus ille calet. non poſſumus eſſe
Criminis immunes hic vbi regnat Amor.
Credibile eſt illic veteres pendere ſagittas,
Credibile eſt parvi tela cruenta Dei.
Credibile eſt aliquos & nunc supereſſe calores,
Aut tenuem flammam nominis Ida tui.
Douſiades Muſæ, nimium male cognita nobis
Turba, meus vobis omnia debet amor.
Scivimus hæc primum per vos impune licere,
Et placuit crimen, ſi modo crimen habet.
Cætera diſtamus, genio diſtamus & annis:
Hic ſimiles erimus, maxime Douſa, tibi.
Atque aliquis noſtros pariter componet amores,
Et comitem Roſſæ ſe dabit Ida meæ.
Non animum aut faſces, non longi ſanguinis ortum
Priſcaque majorum nomina cenſet Amor.

Iupi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Iupiter aurato Danaës flagrabat amore,
Captus ab agreſti Naïde Daphnis erat.
Ille ſuum multo terrebat fulmine mundum,
Hic ſtipula ſparſas conciliabat oves.
Nec minor hic fuit arte ſua, nec major olympo
Iupiter: in partem pauper vterque fuit.
Defuit ambobus quantum ſperaret vterque,
Nec magis hic felix, nec minus alter erat.
Dite quid inferius, vel quid Iove celſius extat!
Hos quoque, qui jungit cætera, junxit Amor.
Iupiter, & toto Superis qui diſſidet orbe,
Incaluit quondam tactus amore pari.
Perſephone cunctos commoverat ordine Divos:
Inter amatores Pan quoque forte fuit.
Si qua fides Grajis, Graji cecinêre poëtæ,
Accedunt Cererem, ſuppliciterque rogant.
Diſcrimen Deus omnis habet, ſed Iupiter ingens:
Cui mare, cui cœlum, totaque paret humus.
Cætera gens ſurgunt animis, & quiſque minorum
Spe dominæ pro ſe, Iupiter eſſe putat.
Conſilium petiêre ſibi reſponſaque Divûm:
Pars Libyci quædam templa Tonantis adit:
Pars Clarias lauros, pars Delphica conſulit antra.
Omnia ſuſpenſos detinuêre Deos.
Riſit Amor, motaſque puer ſuſpenſus in alas,
Et mihi ſunt voces, & mihi laurus, ait. (quit,
Reſponſumq; dedit. SVPERI NISI VINCITIS, in-
TERTIA CVI SERVIT REGIA, PRIMVS ERIT.
Dixerat, & blandas teneræ genitricis in vlnas
Labitur: eventus res habuêre ſuos.
Prima Iouis ſors eſt: Cereris mox filia Diti
Nubit, & obſcuram nunc quoque ſervat humum.
Scilicet ex illo miſeri ſperamus amantes,
Nec bene diſcrimen ferre putatur Amor,
Invenit ex æquo ſimiles aut efficit omnes;

Cypridis & pueri vulnus & ira Dei.
Tu quoque nos fati comites aut accipe caſus.
Ingenium ſequimur, maxime Douſa, tuum.

ELEG. VI.

TErtia maturis exacta eſt meſſibus æſtas,
Tertia jam triſti frigore ſævit hyems,
Cum mihi crudeles primum placuêre furores,
Cum me, Roſſa, tuus tangere cœpit amor.
Et volui demens, & tam patienter amavi,
Et mihi mens conſtans & ſine labe fuit.
Interea duræ toties faſtidia linguæ,
Et gemui faſtus, ſæva puella, tuos.
Scilicet infelix, cui ſolo nomine notus
Eque poëtarum luſibus eſſet amor.
Sic aliquis fratrem ſequitur, ſic nupta maritum,
Sic ſequitur matrem filia parva ſuam.
Ah miſer eſt, quiſquis pietatem credit amorem,
Et ſimplex animi ſub juga prima venit,
Nec pariter cunctas quas aſpicit odit amatve,
Aut pariter cunctas judicat eſſe ſuas.
Æthera ſic quivis, ſic pulchri lumina Solis,
Sic aliquis totam cernere gaudet humum,
Sideraque, & magno quicquid miramur in orbe:
Omnia quæ quivis, ſingula nullus habet.
Cur dominæ quiſquam, non, vt videt omnia, vultum
Aſpicit? anne oculi crimen amantis habent?
Cur aliquis ſolam ſibi demens ſpectat amicam,
Et ſua privato lumine cenſet amor?
Cur aliquis pro ſe formoſam judicat vllam,
Nec furias omnes aut putat eſſe Deas?
Cur aliquis nomen dominæ diſtinguit ab hoſte,
Et placet hæc nobis, diſplicet illa magis?
Scilicet anguſto nimium concludimur orbe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Iudicio peccat qui patienter amat.
Hinc furor eſt. quivis cunctas impune puellas
Diligit aut cunctas negligit: vna nocet
Nil poterunt omnes, nec ſunt in crimine centum
Vt pereas. cauſſas vna furoris habet.
Deſpicias vnam, centum prudenter amabis.
Vt valeas nullas excipe: ſanus eris.
Priamides nondum fatali tactus ab igne,
Pauper erat: tectum monſque nemuſque dabant.
Hic faciles Divas & numina ruris amabat,
Et totidem dominas quot numerabat oves.
Dum periit quavis, nunc hanc nunc ibat ad illam;
Nec fuit infelix, nec ſine mente fuit.
Vnius aſpectu, bellum ſibi vexit & vrbi,
Atque eadem patriæ flamma virique fuit.
Quis furor eſt multis aliquem præponere vultum,
Et tibimet voto velle nocere tuo?
Sic pereunt omnes: ſic Lesbia torſit amantem,
Et quæcunque aliquod carmine nomen habet.
Gaudia de multis rapuit ſibi quiſque puellis:
Exitium cuivis vna puella fuit.
Hoc meruit, quiſquis Venerem concludere primus,
Et volucrem voluit vincula ferre Deum.
Errat & exultat, levibuſque innititur alis,
Nec modico claudi limite gaudet Amor.
Legibus anguſtas noſtris ſibi ſumpſit habenas,
Et quæ non didicit vincula ferre, tulit.
Nunc furit in quemvis, pariterque vlciſcitur omnes:
Omnibus in pœnas vtitur ille ſuas.
Nos ſumus immunes ſceleris. cur plectimur vna?
Alterius cur nos crimine fata premunt?
Si merui pœnam, pœnam non deprecor vllam.
Si placet, exemplum ſolus amoris ero.
Hoc quoque ſi plus eſt, placeat mihi quælibet, oro.
Da numerum ſaltem: non placet vna mihi.

Cur magis hæc minus illa mea eſt ? non deprecor o-
mnes,
Et ſatis eſt domina poſſe carere mea.
Tot mihi ſint gratæ quot ſunt vbicunque puellæ,
Et veniat multus, ſed minus vrat, Amor.
Omnibus opponit miles ſua pectora telis,
Et melius cunctas navita ſulcat aquas.
Nos quoque, ſi fas eſt, ſuperi, flagremus vbique:
Non alius noſtri terminus ignis erit.

ELEG. VII.

Fabula ex occaſione phallorum, qui in littore Batavico reperiuntur.

PLurima neſcimus. Deus eſt quodcunq; videmus:
Diſſimulant cauſas omnia nata ſuas.
Nec fluvii dulces, nec ſunt ſine numine piſces:
Et Thetis, & Thetidis littora numen habent.
Plus tamen occultis medici vidiſtis in herbis,
Miraque Naturæ ſemina ſervat humus.
Nec modo gens Nili toties redeuntis eodem,
Nec modo fœcundus munera mittit Arabs.
Nos quoque ſideribus quamvis damnataque cœlo
Et prope Neptuno ſubdita terra ſumus;
Eruimus phallos Batavi. vel littora cerne,
Qua ſuus à Cattis nomina vicus habet;
Invenies, hoſpes, patriæ miracula noſtræ,
Et tacitæ plenam relligionis humum.
Quæſieram cauſas: lepido Venus annuit ore,
Notaque quæ neſcis jam tibi dixit erunt.
Tempus erat cum nox albenti cedit Eoo,
Pallidiora ſuo cum facit aſtra die,
Cum dubia feſſi luduntur imagine ſenſus,
Veraque vel vero proxima ſomnus habet;
Conſtitit arridens demiſſis leniter alis,

Parvaque

Parvaque ſuccinctus ſpicula, parvus Amor.
In manibus myrtus myrtique è fronde corolla,
Et, bene ſi memini, parva tabella fuit;
Annales Cytherea tui: qui priſca Deorum
Sæcula, per faſtos continuata, dabant,
Primaque narrabant ſurgentis tempora mundi,
Sideraque, & cœli cuncta tegentis opus.
Omnia quæ primo ſenior Saturnus habebat,
Et facilem nulla lege regebat humum:
Donec terra ſuo ſenſim deflexit ab auro,
Et ſocios vitæ non meruêre Deos.
Iupiter interea Dictæo crevit in antro,
Et miſeræ furtum dulce parentis erat.
Quæ bene tam nato quam non bene fida marito,
Fecit ad hæredem ſceptra venire ſuum.
Blandus Amor victum paulatim venit in orbem,
Et Venus è ſpuma nata parente fuit.
Ad Venerem natam bis ter tria ſæcla feruntur,
Et totidem menſes, bis totidemque dies.
Nam neque tum leges ſocialia pacta maritæ,
Nam neque tum caſtæ conjugis vſus erat:
Sed pariter tellus hominem plantamque ferebat,
Atque eadem puerum pomaque ſylva dabat.
Quilibet infantem pariter glandemque legebat,
Et genitrix quercus vna duobus erat.
Pulchra Venus tandem pecudes, homineſq;, feraſque,
Et placido mixtas fœdere junxit aves:
Pulchra Venus feros fecit ſupereſſe nepotes,
Et ſimilem docuit quemque creare ſibi.
Venerunt teneræ genialis turba puellæ,
Spiculaque occulte ſpargere cœpit Amor.
Omnia ceſſerunt (quid enim non cederet illi,
Blandius & quo nil fortius orbis habet?)
Omnia ceſſerunt: cedit Cythereïa mater.
Quæque ſolet cunctos lædere, læſa gemit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Mulciber hanc cœpit Siculis præferre caminis,
 Et calidum toto pectore vulnus alit.
Plus Lipare, tota plus hoc accenditur Ætna,
 Et veteres curas pectore pellit amor.
Omnia ceſſabant, flammamque extinxerat ignis,
 Nec ſolitum quiſquam continuabat opus.
Sub pedibus fruſtra folles jacuere ſoluti,
 Forcipe cum lapſo lapſa jacebat aqua.
Iam metuit furvus, metuit jam claudus haberi,
 Et vitium mallet diſſimulare ſuum.
Illa quidem nollet, quoties fuligine pectus
 Aſpicit & nigras ignibus eſſe genas:
Sed veteres miratur opes. & regia Iuno
 Adfuit, & mentem conciliabat anus.
Dicta dies aderat: thalami de more petuntur,
 Quos Charitum docta pinxerat arte labor.
Sponſus erat Bronte nudoque Pyracmone cinctus:
 Cum reliquis Veneri juncta Thalia fuit.
Adveniunt, dominoque ſuo deducitur vxor.
 Vix Superi riſum continuêre ſuum.
Oſcula pacturus, Venerem fuligine tinxit:
 Ad choreas voluit pergere, claudus erat.
Vix lachrymas tenet illa ſuas: ſed proximus illi
 Mars fuit, & priſcam ſpondet amator opem.
Iam novies pulchræ defecerat orbita Lunæ,
 Et novies plenis Luna redibat equis:
Cypria fit mater. puerum pulcherrima Nymphe
 Excipit, & caſta fertque fovetque manu,
Oſtenditque Deæ. nihil eſt formoſius illo,
 Et poterat natum dicere Diva ſuum.
Ora rubent illi, vultus ardere putares:
 Hoc habuit patris, cætera matris habet.
Vix tribus exceptis completus menſibus illi
 Et tribus exceptis ſolibus annus erat;
Averſatur humum levibuſque innititur alis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et volucri veras corpore vincit aves:
Nec gremio Nymphæ, nec jam mar et ille parentis,
Sed volat, & ſylvas ruraque ſola petit.
Proſpera lux aderat Saturni nomine dicta,
Qua veterem mendax Græcia cantat Opem.
Feſta petunt Divi. Cretenſem Mulciber arcum,
Et pharetram puero telaque Cypris emit.
Arripit ille arcum cupide tractatque ſagittas,
Et propera verſat terque quaterque manu.
Sic abit, & primum defigit in arbore telum,
Qua ſpoliata ſuis frondibus arbor erat.
Vt tetigit, tacti frondeſcunt vndique rami,
Et ſterilis circum gramina fundit humus.
Paulatim majora petit: pecudeſque feraſque
Et volucres certa cuſpide figit aves.
Mox petit & Divos. fiducia creſcit ab vſu,
Et faciles ipſa firmat ab arte manus.
Mox etiam tectus, mox cœcus mittere cœpit
Tela. ſagitta ſuum miſſa cucurrit iter.
Sæpe vbi per cœlum graſſatus & aëra, quemvis
E ſuperis vellet lædere, læſit avum.
Iupiter in cygnum vel ſe convertit in aurum,
Et Superi regem non habuere ſuum.
Sæpe vbi vel Nympham vel credidit eſſe puellam,
Protinus emiſit ſpicula: mater erat.
Sæpe ſui Cypris gemuit de vulnere nati,
Sæpe fuit nati cuſpide læſa Venus.
Plus tamen infelix miſerum dilexit Adonin.
Hunc amat, hunc ſolum nocte dieque videt.
Quis puerum neſcit, natum pariterque nepotem
Patris, & è miſto ſanguine crimen avi?
Exuerat pondus pariterque in ſtipite formam
Myrrha, ſimulque eadem mater & arbor erat.
Natus Adonis erat. pariture ex arbore Myrrhæ
Fœmineam Dryades ſponte tuliſtis opem.

Excipiunt

Excipiunt teneris naſcentem Naïdes vlnis,
 Et lachrymis tingunt mollia membra ſuis.
Omnibus occurrit fatum miſerabile matris,
 Et furor & facinus, & maleſanus amor.
Sed puer hæc neſcit. tenera eſt & debilis ætas,
 Nec quicquam pœnam quo mereatur habet.
Ergo abeunt, Nymphaſque vocant è montibus: illæ
 Continuo cunis impoſuêre ſuis.
Sic abeunt anni (nihil eſt velocius illis)
 Et puer exiguo tempore virque fuit.
Et facies ſupra genus eſt, & moribus annos
 Antevenit: ſcires poſſe placere Deæ.
Et ſtudio Nymphas teſtatur, & ore parentem,
 Et latebras ſolas antraque ſola petit.
Mox ſequitur Phœben, humeriſque è mollibus arcus
 Et pharetra à tergo non grave pendet onus.
Æſtus erat, curruſque Dei qui temperat horas
 Plus media cœli parte tenebat iter,
Arvaque torrebant violenti terga leonis,
 Et nimio curſu feſſus Adonis erat.
Fons erat illimis, qui ſummo è culmine montis
 Exiguam prono rore trahebat aquam,
Quæ Satyro nulli, non ipſi pervia Phœbo,
 Finitimas tantum laverat ante Deas.
Arborei circum donabant frigora rami,
 Cingebat gelidam pinus & vlmus humum.
Hanc petit infelix, gelidaque vt ſedit in vmbra,
 Ponit humi veſtem: cætera pinus habet.
Mox dubio ſummam prætentat corpore ripam,
 Et tangit gelidas & pede tentat, aquas.
Aſpicit aſtantem poſito velamine furtim
 Cypris, & vt ſtanti proxima forte fuit,
Protinus exarſit, nec enim Dea mollior vlla eſt,
 Et flammæ veniam Mulciber ipſe daret.

Viderat

Viderat intonſos pueri pendere capillos,
Et teneros vultus collaque digna Deo,
Oraque quæ primo ſignabat flore juventus
Aurea: nec pubem diſſimulabat aqua.
Talia ſunt primum decuſſa cydonia ramis,
Aſpera quæ nondum ſollicitavit hyems.
Vlterius nequiit ſua gaudia ferre Dione,
Sed puerum poſito victa pudore petit.
Addidit & fraudem, ſummæque in margine ripæ
Conſtitit, &, ſalve, quiſquis es, hoſpes, ait.
Da veniam nobis: ſæpe hic meus eſſe Cupido,
Sæpius hac fertur tingere corpus aqua.
Et memini nuper profugum reperire ſub illa
Arbore: qua ſteterat forte cypreſſus erat.
Scilicet ex illo facilem poſſedit Adonin,
Nec puer agreſtis difficiliſque fuit.
Sed fugit & refugit luditque potentia fati,
Et dubios caſus alea ſortis habet.
Invida Perſephone ſimili ſuccumbit amori:
Mars odii veteris ſemina læſus alit.
Perſephone quod Cypris amat, Mars odit Adonin.
Plus odio nocuit quolibet alter amor.
Perſephone nigro puerum tranſcribit Averno,
Nec renuit Mavors: inguina rumpit aper.
Excidit infelix animo Cythereïa mater,
Inguinaque vt fuerant ſaucia mandat humo.
Inguina ſuccreſcunt, vt erant, veteremque figuram
Quæ fuerat phalli, nunc quoque bulbus habet.
Dicitur hic ſævos animorum avertere morſus,
Et rabiem dentis livida turba tui.
Quod propera legiſſe manu Medea putatur,
Sub ſterili clauſum cum tegeretur humo.
Vtque erat in cœlum levibus ſublata quadrigis,
Cum fugeret terras hoſpite læſa ſuas;
Excidit è medio pyxis ſcelerata lacerto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Excidit, & noſter cuncta recepit ager.
Quæ memores ſervant Batavi, quos publicus hoſtis
Turpiter obliquo lumine ſpectat Iber.
Hactenus: & ſomnus pariter pariterque Cupido
Effluit ex oculis viſaque cera meis.

ELEG. VIII.

De quadam.

SIt procul hinc, ſi quæ nimium concedit amanti,
Nec meminit munus pulchra puella ſuum,
Nec negat infelix, & ſi quid forte rogabis,
Annuet, & tanquam brachia victa dabit.
Sic ego vix capto ſubduxi vincula collo,
Sic mea libertas pene ſepulta fuit.
Deperii quandam (res eſt notiſſima multis)
Quæ formoſa ſatis, nec male culta fuit.
Oſcula tentavi; dedit oſcula: plura; negavit:
Conjugii texi nomine: dixit, erit.
Obſtupui, nimiumque, inquam, pudibunda dediſti.
Incipiam partes ipſe ſubire tuas.
Hoc ſatis eſt, ſi ſperat amans. tu diſce negare,
Et melius formæ jura tuere tuæ:
Aut ego nil poſcam, vel tu nil redde petenti.
Hoc ſatis eſt, partes ſervet vterque ſuas
Si dederis nunquam, ſatis eſt promittere ſemper:
Sic ſtabilis certa lege manebit amor.
Si dederis ſemper, nil jam concedis amanti,
Nec mihi quod poſcam, ſi nihil obſtet, erit.
Omnia ſi poſcam, veniat pars altera tantum:
Quod ſupereſt, donis ipſa relinque tuis.
Si cupiam noctem, ſatis eſt ſi baſia reddas:
Oſcula poſcenti bis duo, deme duo.
Sic mihi ſit ſemper quod amem, quod ludere poſſim.
Materies operis ſit precor illa mei.

Cur ego nil optem niſi quod concedere poſſis,
Nec veniat votis vlla repulſa meis?
Eripies nobis cum carmine carminis anſam.
Si dederis nobis omnia, mutus ero.
Si Nemeſis nunquam vel Delia pulchra negaſſet,
Quis legeret luſus, culte Tibulle, tuos?
Naſo diu fuerat ſine carmine. plurima cœpit
Poſcere: ſic totum ſcribere cœpit opus.
Plurima dum poſcit, dum nunquam blanda Corinna
Annuit, hoc ipſum grande volumen erat.
Quæ facilis cuivis quidvis permittit amanti,
Ruſtica vel ſtulti militis vxor erit.
Hoc decet vxores. ſatis eſt formoſa puella,
Si dare juſſa, negat, non dare juſſa, dedit.
Nuper eram, memini, lepidæ conviva puellæ:
Hoc etiam præſens tempore Roſſa fuit.
Baſia poſcebam pauciſſima: Roſſa negavit.
Nil petii: vultus junxit amica ſuos.
Sclicet hæc voto gens eſt contraria noſtro.
Fac blandam & facilem, protinus ibit amor.
Hoc teneros vates tenuit ſemperque tenebit
Quod nocuit. damnis turba beata ſumus.
Sæpe ego cum poſſem facilem exorare puellam,
Difficilis mentem cœpit habere meam:
Pomaque cum poſſem demiſſis carpere ramis,
Altius aſcendi: cauſaque nulla fuit.
Quam miſer eſt quem paſcit amor, qui pinguia fata
Poſſidet, & nunquam quo crucietur habet.
Si licet & fas eſt, plus eſt ſperare puellam.
Iudice me voto res minor illa ſuo eſt.
Cur aliquis limen formoſæ ſervat amicæ,
Sævaque cum nota conjuge bella gerit?
Nempe quod hæc tantum ſperatur, & altera noſtra eſt.
Illa ſuis grata eſt moribus: illa fuit.
Eſt mihi quæ placeat, quam non contemnere poſſis:
Sit

Sit facilis, dotes deſtruet ipſa ſuas.
Tu quoque vel differ, vel ne concede, quod opto:
Si mea jam nolis eſſe petentis, eris.
Diximus, erubuit: blandoſque vt flexit ocellos,
Nolueram leges ipſe tuliſſe meas.

ELEG. IX.

In obitum Iani Douſæ.

HActenus, vt decuit, lepido ſuccumbimus igni,
Et ſequitur ventum noſtra carina ſuum.
Da veniam, Cytherea, novum vel quære poëtam,
Cui ſua feſtivus vela miniſtret Amor,
Cui faciles curſus, cui lenes præbeat auras:
Hoc ſatis eſt nobis dicere, Douſa fuit.
Hæc operis pars ſumma mei eſt, hic carminis ordo:
Non alio poſt hæc nomine notus ero.
Sed tumulum ſtatuam, tumulumque altaria juxta,
Et viridi circum ceſpite ſurget humus.
Huc veniam, tectumque meum, mea limina figam,
Huc referam ſedes, maxime Douſa, meas.
Hic tibi perſolvam, quæ poſtera ſæcula jurent
Vatibus à priſcis ſcripta fuiſſe tibi.
Roſſa comes veniet, pariterque habitabimus illic,
Et cineri dabimus debita juſta tuo.
Votaque, cumque ſuis ſolvemus baſia votis,
Inque tuo noſter nomine ludet amor.
Nec mihi nox ſine te, nec te ſine tempora lucis,
Te ſine nil noſtræ gaudia mentis erunt.
Sic peragam, ſic ſemper ero: dum debita vitæ
Stamina rumpantur deficiantve meæ.
Tum pariter tecum tumulo diſſolvar eodem,
Noſtraque ſubrepent oſſibus oſſa tuis.
Atque aliquis canus, cinerem dum ſpectat, amator,
Temporibus ſolvet florea ſerta ſuis,

iſque duo fundet ſpumantis pocula Bacchi,
Et ſacram lympha virgine tinget humum:
Gandaque Nordvicumque tuos componet honores,
Noſtraque confundet nomina, Douſa, tuis.
Cætera quæ reſtant., procul hinc deducet in altum
Ad ſedes alias regnaque parvus Amor.
Hic etiam tecum per roſcida rura vagabor,
Hic quoque juncta tuis manibus vmbra ferar.
Eſt locus, extremo qua pulcher ab æthere Phœbus,
Æthiopum primo lumine pingit humum,
Fulmine quem tactum Graji cecinere poëtæ,
Seu quia gens ſacra eſt, ſeu quia ſacra colit.
Curia ſtat Veneris, roſeis innixa columnis,
E violis circum lapſa ſuſurrat aqua.
Hic ſedet, & cauſas tenerorum tractat amantum,
Blandaque cognoſcit jurgia, Douſa meus.
Douſa meus cauſas tenerorum tractat amantum,
Sceptraque feſtiva geſtat eburna manu.
Vndique conveniunt Veneris per gramina turbæ,
Et ſtrepitu leni tota reſultat humus.
Hic queritur lentum dominæ fallacis amorem,
Blanditias alter nil valuiſſe ſuas.
Hic tacitum limen, duraſque ad limina voces:
Vulnera priſca refert alter, & alter habet.
Aſſidet, & noxas juvenum, totidemque tabellis
Cuncta puellarum crimina ſignat Amor.
Douſa meus pœnas vel debita præmia ſolvit,
Præmia vel pœnas, vt meruêre, ſuas.
Et modo conſiſtit, geminis modo rura columbis
Circuit, has Veneris munere ſemper habet:
Ex quo ſævus Iber Phœbeam clauſerat vrbem,
Dictaraſque ſuis omnia miſit aves.
Huc ſequar, huc rerum veniam pars magna tuarum,
Et referam laudes, magne poëta, tuas,
Geſtaque cuncta tibi. quoties fruſtraverit ignes,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Et quoties votum luſerit Ida tuum :
A foribus duris quoties excluſus abires,
Et quoties felix, diſſimiliſque mihi.
Non ego ſum vanus, nec cui male credere poſſis:
Nec mea Muſa tibi cauſa ruboris erit.
Si mihi laus Grajæ non detrectanda Camœnæ,
Et mea Romanum gloria currit iter.
Iuliades Brenni deductum ſanguine nomen
Digna ſuo proles Cæſare, à teſtis erit.
Vos etiam ſanctæ, toties quas plangimus, vmbræ,
Officii teſtes poſtulat illa ſui.
Quod supereſt, coram peraget, cum fata vocabunt,
Quæ ſpatium vitæ finiet hora meæ.

MANES DOUSICI.

Ad Manes.

INnocui Manes, & magni nominis Vmbra,
Et quicquid non ſervat humus, nec ſubtrahit vrna
Sedibus æternis Superûm, mundoque Deorum;
Quicquid adhuc Douſæ ſuperes; ſeu certa pererras
Aſtra, polumque tuum, qua cœlum dividit ardens
Circulus, & puro ſtellarum colligit orbe
Errantes heroum animas; ſeu liber & expers
Corporis, immenſi pars jam non vltima mundi;
Accipe crudeles gemitus & flebile murmur,
Nec vultus averte tuos: ſi candidus adſto
Pectoris, innocuuſque animi, ſimplexque ſacerdos
Muſarum Phœbique, & primis integer annis
Privatam merui toties decerpere laurum,
Iudice te tanto. quam, ſi modo fata ſuperſunt,
Poſtibus infigam patriæ, tumulumque quotannis
Manibus extollam ingentem, & certamina condam.
Hic quoq; quicquid ero, Batavorum extrema ſecutus

Fataque

Fataque fortunaſque, & non ignobilis exul,
Vocibus inſueſcam ſolemnibus, &, tua clamans
Nomina, ſupremos indicam liber honores.

I.

Ad Academiæ Lugdunenſis membra.

DVlces amici, quos ab extremo ſinu,
Quacunque puram celat aut promit facem
Titan ab vndis, prævizque puppibus
Vultum minores exerunt Atlantides,
Excelſa virtus Douſicique nominis
Fulgor ſerenus luce pellexit ſua;
Habet, peractum eſt. Funus ingentis viri
Orbis fatetur, conſciuſque criminis
Mundus, Batava pallet & languet die:
Totumque nubes induit cœlum ſuas,
Ætherque mœſto triſtis incumbit ſolo.
Nec neſcit illud, ſi quis ignotum ſecat
Pinu profundum, dupliceſque turbidæ
Noctis tenebras nauta percuſſus pavet:
Douſamque toto pallidus cœlo videt,
Erratque in vndis. Sancta Lugdunum tacet,
Clauſitque mœſtus templa Muſarum pavor.
Nec tota luctum percipit tellus ſuum,
Adhuc ſtupeſcit. Haga defunctum tenet,
Tantumque funus vna concludit domus,
Multoſque fallit. Talis erepto Hercule
Feralis Oetæ triſtis eluxit rogus:
Priuſque Divum ſenſit Alciden polus,
Quam terra raptum. Laudibus toto jacet
Diviſus orbe. civitas artus habet,
Munduſque Douſam. terminos nomen viri
Et Sol eoſdem, patriam luctus tenent
Adhuc recentes. Ibit in cunctos tamen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Genteſque ſenſim tardus invadet dolor,
Et dignus illo. neminem luget ſimul
Quem novit orbis. Prima nos tangunt mala,
Primaſque mundo lachrimas Douſæ damus
Mœſtaſque voces. cæteros junget dies
Quos cauſa jungit. Longus à tergo meo
Orbis ſequetur: quaque tellurem tegit
Dolore tactus Douſico ſtabit polus.

II.

Ad Muſas Lugdunenſes.

QVis me querulæ procul hinc Divæ,
Quis vobiſcum dulcia tollat
Lugdunenſes numina Muſæ?
Vbi per frondes Zephyrus leni
Murmure lapſus, ſtrepitu triſtem
Vindicat Hagam:
Vbi Douſa meus, procul inviſa
Liber ab vrna, docuit ſolas
Reſonare ſibi carmina ſylvas:
Recubanſque aliqua tutus in vmbra,
Litibus æger, plenuſque fori,
Procul inſana fugit ab vrbe.
Lachrimas illic, lachrimas illic,
Lugdunenſes lachrimas illic
Fundite Muſæ.
Et cum lachrimis dicite veſtris:
Quæ te noſtris rebus ademptum
Invida fati ſuſtulit aura,
Rex Pieridum, Themidis proles,
Optime Douſa?
Tibi ſimplicitas, tibi mens recti
Conſcia, nullis labefacta fuit
Sordibus ævi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Non ambitio cæca futuri,
Non promiſſi purpura fallax.
Non è voto peritura ſuo
Vana cupido mentem dubio
Polluit auro. ſed tutus amor,
Speſque arcta, ſui limine tecti
Poſitura modum, nunquam vanos
Miſit in auſus; placidos inter
Secura tenens regna libellos.
Hic modo conſul, modo Cæſar eras :
Dominumque ſuum lepido ſemper
Invadebant agmine Muſæ,
Et chartarum juſta ſuppellex.
Ergo aut tenero tranquilla dabas
Iura Catullo, vel quem pulchris
Cynthia prima cepit ocellis :
Populoſque tuos hilari circum
Lumine cernens, felix ſemper
Votique tui certus abibas;
Solus tanta liber in vrbe.
Regem, Muſæ, plangite veſtrum:
Qui non crinem Perſide gemma
Poſt Pellæum condidit aurum,
Qui non cunctas vndique ſolus
Quas aurato videt aſpectu
Maximus æther, poſſedit opes;
Sed contempſit: melior regni
Idemque ſui certior autor.

III.

Threnus.

QValis pampinea pendens è fronde cicada
Æſtivi placide tempora ſolis agit,
Et modo cum Zephyro ſuſtollitur hinc atque illinc,
Et levi-

Et leviter motis erigitur foliis,
Nunc læto ſtrepitu, concuſſis leniter alis,
Ebria nocturnis roribus, intremuit,
Innocuamque vna ſolatur voce ſenectam,
Deliciæ ruris, deliciæ domini.
Tum ſi illam pedibus ignarus forte viator
Conterit, & priſcis excutit è laribus;
Languet humus, gemit amiſſam longævus arator,
Et viduus noto murmure torpet ager:
Sic te, Douſa, tuam ſolantem carmine gentem,
Improba mors noſtris abſtulit ex oculis.
At nobis ſuperant triſtes lachrimæ & ſingultus,
Et vidua eſt doctis patria carminibus.

IV.

Ad Solem.

AVriga lucis, ignei poli curſor,
Metator æthræ, temperator horarum,
Ævi miniſter, circulator æterne,
Luſtrator orbis, diſſipator vmbrarum,
Currus perennis igneæque quadrigæ
Frænator ingens, qui diem vehis purum,
Rurſuſque vultum ſurripis tuum mundo,
Et candicantis occulis comæ flammam;
Cras è lacertis Tethyos tuæ rurſus
Redibis. at nox occupat meum Solem.

V.

Ad Sidera.

DVlces alumni noctis, ignei fratres,
Parvæ cohortes, aurei poli cives,
Qui per ſerenos ætheris vagi campos
Molles choreas ducitis levi planta,

Cum membra noſtra molliter reclinata
Victoſque ſenſus occupat ſopor lenis;
Quid nunc, vt ante, per domum poli pictam,
Et è latebris fornicisque inaurati
Puris feneſtris, tollitis ſacrum vultum?
Abite tandem. non videbitis Douſam.

VI.

Threnus.

QValis primæva jam vix ætate puella
  Cypridis haud vllis ſaucia vulneribus,
Sollicitæ primos genitrici devovet annos,
  Caſtáque dilecto conditur in thalamo,
Tum quoties ſomnus victos expugnat ocellos,
  Languida materno labitur in gremio,
Intendenſque ſuos conſueta in colla lacertos,
  Deficit, & dulci victa ſopore jacet,
At matrem ſubito Parcæ, nil tale timenti,
  Abreptam tenebris involüere ſuis,
Illa manet, ſervatque orbum deſerta cubile,
  Et necdum matrem credit abeſſe ſuam,
Sed modo mœſta jacet, modo per thalamum nequicquam
  Candida protendens brachia, deficitur
Optato prius amplexu, nec colla genaſque
  Sentit, ſed ſolas corporis exuvias:
Has premit infelix, has toto corpore tangens
  Anxia mens, triſtes ſolvitur in lachrimas:
Donec ſollicitam lento ſopor interventu
  Paulatim dubiis fallit imaginibus,
Turbantem ſomnos, & adhud in matre jacentem,
  Dum croceo rurſus Lucifer exit equo.
Sic nos, Douſa, tui percuſſos vulnere fati
  Attonitus toto pectore jactat amor,

Cunctaque turbantes gemitu, pater, ac languentes,
Separat à doctis mors tua virginibus.

VII.

Ad Echo Douſicam, quam ipſe ſcripſit.

PRoles aëris, vltimæque vocis
Semigarrula ſemimuta cuſtos,
Quæ tantum loqueris taceſque juſſa,
Et ſequi potes, & nequis præire,
Vox tantum neque tota, quæ quod audis
Reſpondere potes, loquique neſcis,
Douſæ deliciæ jocuſque noſtri,
Et ſolatia deſidis ſenectæ,
Docti paſſere gratior Catulli,
Quam doctis numeriſque garruliſque
Ciens vocibus entheæ Camœnæ
Haganis animavit in ſalictis;
Dum ſemper canit, accipitque ſemper,
Nec quicquam, niſi ſit locutus, audit;
Quæ, Douſa præeunte, verba ſumma
Extremaſque ſoles referre voces;
Nil illo præeunte, nil ſonabis.

VIII.

Ad Muſas ſuas.

HEinsî deliciæ decuſque, Muſæ,
Quas plus Douſa ſuis amabat olim,
Non illis oculis, profana Parca
Quos jam condidit abſtulitque nobis,
Sed Muſis propriis, ſuis Camœnis,
Camœnis teneriſque lacteiſque,
Plenis nectare Cyprio faviſque,

Et ſuperſtitibus ſuo poëtæ,
Quas primis ſatur ebriuſque flammis
Idæ dulcibus hauſit è labellis;
Vobis inferiaſque lachrymaſque
Solvit Heinſius, Heinſius ſuperſtes
Et Douſæ ſimul, & ſuis Camœnis.
Actum eſt ilicet: ilicet valete.
Quis vos jam colet expetetque Muſæ?
Quis vos poſtmodo deperibit vnquam,
Heinſi deliciæ decuſque, Muſæ?

I.

Iano Douſæ fabularum in Hiſtoria Batavica exterminatori, & veritatis aſſertori.

CVm vaſta proles imminens olympo,
Centumque freta brachiis juventus,
Proſtrata cœlo, viribuſque fractis
Dejecta, totam conderet parentem,
Fuſuſque longam ſuſtineret Ætnam,
Et membra lato ſpargeret Peloro
Ingens Typhœus; deſides Camœnæ
Dignum triumpho condidêre carmen,
Victoriæque magna pars Apollo
Lyram ſoluto colligebat arcu.
Nos crimen audax matris inſolentis,
Puerperamque parturire Terram
Novo Gigantes vidimus duello.
Dibualdus audax, impotenſque Lemus,
Arundilique ſæva vis minacis,
Omnes vel Oto vel pares Mimanti,
Impune faſtos preſſerant Batavos.
Hos Douſa, collo cruribuſque ruptis,
Suis, vt ante, reddidit tenebris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Ergo Camœna perpeti quotannis
Adoreaque, muſicoque rore.
Nouaque lauru, cymbiiſque ſacram
Bacchi liquentis irrigamus vrnam.
Vterque victor, hic & hic, Gigantum:
Vterque mactus Douſa Iupiterque eſt:
Hic fulmine audax, ille veritate.

I I.

Iano Douſæ libertatis vindici.

ARdua cum ſævo tremeret ſub milite Leyda,
  Templaque Muſarum ſollicitaret Iber,
Et pariter ferrum pariterque inſtaret egeſtas,
  Nec fugeret partes illa vel illa ſuas;
Douſa, tenens dextra calamum ſcutumque ſiniſtra,
  Conſtitit, & clauſa liber in vrbe fuit.
Et, Manus hæc famam patriæ, dabit illa ſalutem,
  Inquit, & eventum res habuêre ſuum.
Nam modo crudeles animum vertebat in hoſtes,
  Et modo victurum concipiebat opus.
Audiit, & Douſæ celebrari carmine poſcens,
  Cœruleas Nereus volvere cœpit aquas.
Continuo turpis latebras vix invenit hoſtis,
  Vix bene qua fugiat mollis Iberus habet.
Prodigii laus, Douſa, tua eſt. qui namque nec armis
  Nec potuit vinci tempore, vicit aquis.

I I I.

Eidem, de columbis, quibus in obſidione vſus eſt.

Τὴν Βαταβῶν ὅτε πᾶσαν Ἄρης ἐφόβησεν Ἴβηρος
  Τείχεα Λουγδούνου πάντα περιπλόμενος,

Δουσιάδης δόρυ πάλλεν, ἑῇ δ' ἤμυνε πόληι,
  Ῥινοτόρῳ μίξας Φοῖβον Ἐνυαλίῳ.
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ὁμοίϊον ἤρατο κῦδος.
  Τῇ μὲν ἔπη γράψας, τῇ δὲ μαχεσσάμενος.
Ἤδη πάντα λέλοιπε, κακὴ δ' ἐστρεύγετο γαστὴρ,
  Πάντα δὲ καὶ λιμῷ τεῖρετο, καὶ πολέμῳ.
Οὐδ' ἔτι τις μερόπεσσι παρῆν ὁδὸς, οὐ δ' ἔτι νηυσὶν,
  Οὐδὲ δι' ἐκ γαίης, οὐδὲ δι' ἐκ ποταμοῦ.
Τῶν δ' ἀτὰρ οὐκ ἔτι μέλλεν ἐς ὕστερον ἔμμεν ἄπυστος
  (Ἀΐε γὰρ δεύπων αἰὲν ἐπορνυμένων)
Μειλιχίη Κυθέρεια· φίλον δ' ἐλέαιρεν ἀοιδόν·
  Ὤιχετο δ' εἰς Κύπρου τείχεα καὶ τεμένη.
Ἅρματι δὲ σφετέρῳ ταχινὰς ζεύγνυσκε πελείας,
  Οἰέτεας· μικρὸς δ' ἡνιόχευεν Ἔρως.
Αὐτίκα δὲ μάστιγα καὶ ἡνία λάζετο χειρί.
  Δὺ δὲ διὰ πτυλέων, δῦ δὲ διὰ προμάχων.
Δοῦσα δέ μιν γίνωσκε μάλ' αὐτίκα, πολλάκι κεῖνου,
  Παιδνὸς ἐὼν, λυγροῖς ἕλκεσι τειρόμενος.
Τὰς δὲ λαβὼν ἀφέηκε δι' ἠέρος εὐθὺ πέτεσθαι,
  Σήματα καὶ φίλων γράμματα δεξομένας.
Αἱ δὲ μάλ' ὦκα φέροντο, πάλιν δ' οἰκόνδε νέοντο.
  Ταῦτα δὲ νόστησαν πολλάκι μελπόμεναι·
Κλεῖσον κλεῖσον Ἴβηρ περὶ χθόνα, καὶ μέλαν ὕδωρ.
  Ἄμμε μετ' ἠερίων ἐκπετόμεσθα νότων.

IV.

Eidem de iiſdem.

PErfidus invictam veſano milite Leidam
Cinxerat, & toto robore, miles Iber.
Terra, ſalumque, inquit, mea ſunt. via nulla ſalutis,
Nulla patet puppi ſemita, nulla viro.
Douſa meus, medio, ſpe libertatis, in hoſte,
Liber, & invicto pectore tutus erat.
Ille, polus, dixit, dominum non novit Iberum:
Aëris & nobis jam via ſola patet.
Hinc quoque fas nobis patriæ ſperare ſalutem:
Ille mihi Minos hac fugiendus erit.
Quid patriæ non præſtat amor? qui falleret hoſtem
Douſa virum nequit mittere: miſit avem.

V.

Iano Douſæ Victori.

TVrpis nænia, præficæque queſtus,
Et triſti pretio redempta lingua,
Et ſuſpiria, turbidique luctus,
Et ſingultibus impedita verba,
Tyrrhenuſque tubæ frementis horror,
Et quicquid cinerique, funeriſque
Pompæ, muneris imputatur vſquam;
Monemus procul eſte. Nemo ponit
Sepulchrum tibi, Douſa, ſed trophæum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

VI.

Iano Douſæ, viro beatiſſimo, votum pro felicitate, ad Manes ejuſdem.

FElix, qui medio ſuppoſitus polo,
Fortunæ potuit tangere terminum:
Qui tanquam proprium conſpicit aërem,
Et quicquid facies conſpicit aëris
Nec ſperat cupidus, nec male poſſidet;
Sed ſecurus habet. ſic volucris vaga,
Sic piſcis medio vivit in æquore.
Nobis ſors miſeris vltima contigit,
Queis ſperare licet: curaque limites
Privatos poſuit, quos ſcelus abſtulit:
Non gemmæ precium fingit, & inſolens
Rubri divitias amplificat maris:
Non plauſum numerat plebis, & ambitum
Incertus trepidi ſollicitat fori.
Non victi lachrimas vendit, & atrio
Importuna locat tempora, nec fores
Pulſatæ dubiis faſcibus intonant:
Sed ſomnos patitur nox, adimit dies,
Et Muſæ faciles. colligit otio
Quod ſpargunt alii tempus, & invenit
Quæ vel ſolus agat. ſic taciti dies,
Et conceſſa ſibi tempora diffluunt.
Sic me, Douſa, tuis manibus additum
Fatalis veniens occupet exitus;
Nec vitæ ſaturum, nec timidum mori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

VII.

Iano Douſæ, Venerum & Cupidinum ſacerdoti.

CVm Douſa victus ægro
Langueſceret dolore,
Et membra jam ſupremo
Sopore concidiſſent
Perfuſa, qualis olim
Flos imbribus, novumve
Auſtro cadit papaver;
Mites repente venti,
Per aërem leveſque
Poli feruntur oras,
Favoniuſque, blandus
Cupidinum ſatelles,
Et Cypridis viator,
It nuncius, domumque
Et limen obſeratæ
Foreſque pulſat aulæ:
Quas janitor puſillus
Semper tenet Cupido:
Qui territus, Quis, inquit,
Has impulit Deorum?
Mox pandit, ocyuſque
Admittit, intimumque
Deducit in cubile.
Illic miſella Cypris,
Patentibus labellis,
Errantibuſque ocellis,
Et ſemihiante dulcem
Spirabat ore ſomnum.
Vix excitata, mollem
Deterſerat ſoporem;
Cum nunciantis atra

Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Percuſſa voce, rurſus,
Vt ante, ſemipreſſum
Defecit in lacertum.
Mox convocat Senatum,
In curiamque parvos
Iubet venire Patres.
Stabat puſilla turba,
Et parvoli Quirites,
Deique puſiones;
Pars ignibus, minutis
Armata pars ſagittis;
Nec dignitate cuncti
Pares, nec ore cuncti.
Hos Spes leves, at illos
Circumvolant Timores:
Hos ſola Cypris, illos
Caſtæ tulêre Nymphæ.
At pars novo quotannis
Repullulant ab ovo:
Quot ſiderum ſerenis
Nox fulgurat choreis,
Apeſque purpurantem
Circumſtrepunt Hymettum.
Tum ſic profata Cypris,
Quis, ô Dei, quis, inquit,
Hic ocyus jugales
Frænaverit volucres?
Vix dixerat, repente
Auriga parvus, ambas
Sub aureis jugarat
Præſepibus columbas.
His Diva vecta ſummam
Delabitur per æthram,
Et ſpiritum cadentis
Intercipit poëtæ.

Mox rurſus ad priores
Delabitur Penates.
Hic, fabricata quondam
E liliis roſiſque
Amaracoque, pulchræ
Stat civitas Dionæ:
Quam, ſacra gens, amantes
Circumvolant poëtæ.
Hic, ebrius novoque
Semper madens Lyæo,
Anacreon, perennes
Exultat in choreas,
Et myrteo bacillo,
Tremenſque ceſpitanſque;
Cupidines fugaces,
Parvumque cogit agmen.
At legibus beatam
Regitque judicatque
Rempublicam Secundus:
Suamque tradit artem,
Leges, modumque blandorum
Et jura baſiorum,
Vivitque in ore caſtæ
Et ſpiritu Neæræ.
Hunc Douſa conſpicatus,
Quid, o, moramur? inquit;
Triſtes abite curæ,
Sordeſque pallidorum,
Et lachrymæ reorum.
Sic fatus, Hagienſem
Amplectitur poëtam:
Et nunc vterque pactis
Ius dicit in labellis,
Et nectare vuidorum
Et rore delicato,
Paſcuntur oſculorum.

Eidem.

VIII.

Eidem.

RVſticus Æneas miſeram cum fugit Eliſam,
Süavibuſque baſiis
Humentes Hyadas, nudumque Orionis enſem,
Et triſte prætulit ſalum;
Allapſus tumulo ſolemnia ſacra parenti,
Ludoſque reddidit ſuos,
Curſibus & cæſtu, ductiſque ad pectora tonſis,
Et ſpiculis velocibus.
Nos, melius tibi, Douſa, tuis gens dedita Muſis,
Nec Cypridis læſæ rei,
Dulcia ſolvemus certamina: qualia nunquam
Alpheus Eleo Iovi.
Concurrent lepidæ juvenum, me judice, turmæ,
Mixtique virginum chori,
Inter odoratas myrtos & amœna roſarum:
Tenacibuſque brachiis,
Colla per obvia, labraque hiantia, melleaque ora,
Figent süave baſium.
Tum qui mollius os ſperato admoverit ori,
Amabilis luctæ ſatur,
In gremium dominæ læto clamore redibit,
Feſta coronatus dape,
Perfuſuſque thymoque, & pallidulo narciſſo,
Noſtro ſonandus carmine.
Hic pereat, qui me vel non putat eſſe poëtam,
Vel judicare neſcium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

IX.

Eidem, de puro ejus jambo, ex Hipponacteis puris jambis.

IAmbe pure, purior tenellulæ protervis
Roſillulæ papillulis, & Idulæ labellis,
Puellulæque ſimplicis, puellulæ venuſtæ,
Qui per ora primulum novi micant rubores,
Meroque flore Liberi trementibuſque guttis,
Quibus decora luminis parens ſerenat arva:
Iambe pure, Douſicæ cor & medulla, famæ,
Tuo lepore ſaucius ſtat Heinſius ſubinde,
Vaguſque fertur huc & huc, vaguſque fertur illuc,
Velut, ſtupore myſtico repente tacta, Mænas,
Abit reditque millies, gravi ſubacta thyrſo:
Sibique vulnus intulit, nec impedita ſenſit.

X.

Epitaphium.

SIſtas Viator, Douſici manes rogant
Tempus exiguum, moramque parvam:
Quem terra novit, Troïcique pallida
Mater Memnonis, integerque Phœbus,
Quique emerentem ſurripit terræ diem.
Non iſti, gemituſque tibiæque
Inane murmur, ſordidamque næniam
Mendicant cineres, vagumque leſſum,
Fractique raucos æneatoris modos;
Sed totas tibi lachrimas remittunt.
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Vnius pudor eſt ciere voce.

In har-

XI.

In harmoniam, quam paulo ante obitum audire ſibi viſus eſt Douſa.

IMproba cum terræ contagia, viribus ſolutis,
Turbidaque humani pelagi freta, naufragumq; pontum,
Tenderet, exuuiis poſitis, meus enatare Douſa,
Ingentemque animam, neque ſordibus improbiſque curis
Turpiter affixam, patriæ dare deſtinaſſet aulæ;
Occurrêre Dei: quæque æthera tinnulo rotatu
Sidera percurrunt, celereſque feruntur acta in orbes,
Exhibuêre ſimul ſua carmina maximo poëtæ,
Quæ gelidi nubes animi ſolet invidere nobis;
Et civem fecere ſuum. Probat annuitque Olympus,
Hærentemque animam circumſtrepit, evehitque mentem
Matutæ thalamos ſupra procul, & cubile Lunæ;
Aſſcribitque ſibi, nondum licet exuiſſet atram
Corporis antiqui nebulam tamen, efficitque Divum,
Et prius è terris quam pergeret, ætheris Quiritem.

XII.

In Orationem Petri Bertii, manibus Iani Douſæ conſecratam.

INclyta Lugdunum, tutelareſque Camœnæ,
Quæ vindicatæ turpe conculcant jugum,
Auſpiciis ſervata tuis gens, maxime Douſa,
Nondum ſubacta voce perſolvit tibi
Inferias triſtes, nec adhuc famulata tyranno
Conclamat vmbram ſancta Libertas tuam.
Bertius exſolvit quicquid debetur ab vrbe,

Tantuſque

Tantuſque neſcit ore privato loqui.
Vix tamen hoc Douſæ ſatis eſt quod poſſumus omnes.
Obſtricta tellus ſoſpitatori ſuo
Plus nequit hoc vno : gratis licet eſſe, nec vltra:
Reditque totum munus autori ſuo.
Quas ferimus Muſas, prius hic accepimus illas.
Quæ dantur aliis, Douſa, redduntur tibi.

Nobilißimis & Clarißimis Viris, Stephano, Franciſco, Diderico, Douſis; paternæ virtutis hæredibus.

QVæ pietas quæ ſancta fides, quæ Manibus illis,
Scribere conantem debilitavit amor;
Accipe, divino ſtirps non indigna parente,
Noſtraque conjungas triſtia fata tuis.
Cunctorum ex æquo dolor eſt, qui ſpectat ad omnes:
Cauſaque ſi qua venit pluribus, æqua venit.
Nec magis hic quenquam fas eſt lugere minuſve.
Sanguinis auguſti vincula tranſit amor.
Quis prior hic? nulli pater eſt qui naſcitur orbi.
Aëra quis, ſolem quis putat eſſe ſuum?
Græcia cum fixum Paridi ploravit Achillem;
E numero Tethys pars quotacunque fuit?
Hectore ter rapto, Priamo plus turba gemebat.
Maluerat nato quiſque carere ſuo.
Quis ſibi non patrem raptum aut deplorat amicum?
Quis non in proprio funere juſta facit?
Plus aliquid Douſæ perſolvitur. occidit orbi.
Quilibet ex illo funere vulnus habet.
Vos etiam Douſam, ſed ne lugete parentem,
Plus proprio cuivis Douſa parente fuit.

Ode in

Ode in Iohannem Gernandum filium, cum XXII. *ætatis anno Baſileæ Philoſophiæ & Matheſeos magiſter crearetur.*

NOn vſitatis vectus oloribus,
Dircæa qualem progenuit palus,
Phæbeïo dilecta Nicro
Rura petam, præeunte Rheno,
Qui de Batava ductus origine
Longe ſuperbus per populos trahit
Vim cærulam vndarum, Gradivi
Certus amor, Semeleſque nati:
Primuſque terris dicere proſequar,
Gernande, quis te ſuſtulerit Deus
Supraque mortales caducæ
Legis, & immemorem juventæ
Æquiſque mecum conditionibus
Ævo minores ire per impetus,
Annoſque vitæ negligenter
Et ſteriles agitare Lunas.
Iam nunc paternæ debita purpuræ
Aſſurgit ætas, Socraticam domum
Emenſa, virtutiſque duræ
Conſiliis veniens in ævum
Munita pectus, nixaque ferrea
Antiquioris vi ſapientiæ:
Quali vel incompti Catonis
Cor, rigidi patiens honeſti,
Victore majus Cæſare, fataque, &
Neceſſitatem rupit aheneam;
Sortem recedentem, & ſuperba
Mente, Deos toties labantes
Avertere æquo lumina dedocens
Puroque juſto, cui patriæ comes
It ſancta libertas, fideſque, &

Propo-

Propoſiti ſtudioſa virtus.
Fortuna juſtis juncta ſecuribus,
Semperque recti mens ſibi conſcia,
Senſimque radices ſub imo
Pectore agens animoſa virtus,
Rem civitatis promovet inclytæ;
Primum beatis fixa ſcientiis,
Converſa mox altos in vſus,
Et populum vitio faventem.
Sereniori qua tamen ocio
Alterna rerum tempora divides,
Occulta cauſarum & negatæ
Invenies numeros arenæ.
Quo Capricornus, quo melior Leo
Fluctu paventes ſollicitet rates:
Quas nymbus Hædorum, feroxque
Æmonio jaculator arcu
Intentet atras æquoribus minas,
Tortoque cautes gurgite vis ſali
Impune circumſultet, vndæ
Imperio dominæque Lunæ.
Sic arduis mens functa laboribus
Solvi viciſſim gaudet, & in ſinu
Vitare Naturæ parentis
Sollicitos populi tumultus.
Spes innocenti maxima curiæ,
Legumque cuſtos & ſceleri pavor
Venture, fallaciſque turbæ
Conſilio patriæ ruenti,
Vtcunque cœli miſſus ad invios
Terræque tractus gentibus imperas,
Nec vocis expertes lyræque
Nec cytharæ vacui ſequemur.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In Natalem

IOSEPHI SCALIGERI.

HEtruſca magnæ progenies domus,
Vinci dolentis gloria Cæſaris,
Per regna Muſarum, per amplos
Iuliade proavûm triumphos
Regeſque Divos, parce pater pater,
Canumque curis ſubtrahe verticem.
Eſt meta, ferventemque mentem
Herculeæ prohibent columnæ.
Sæpe obligatus muneribus tuis
Recurrit annus, nec domino ſuo
Indulget ætas, invidumque
Tempus abit properante curru.
Nobis juventus plenaque ſanguinis
Vis prima pulſat pectus, & aureus
Lanuginum pictor, virentem
Flore novo ſubiit genarum
Autumnus orbem. temporibus tibi
Inobſequentes ingenio nives
Spargit ſenectus, auſaque alta
Et patrios animi calores
Includit ætas. jamque Deûm preces,
Et gens avorum regia cœlitum
Poſcunt Olympo : jam ſupremum
Scaligeri repetunt tyranni
Humi morantem. Quod ſupereſt, tibi
Rebuſque lætis, nec minus ocio
Securus indulge, & minores
Conſiliis adhibe Camœnas.
Qnalem, vetuſtis temporibus nihil
Ceſſura, noſtri littora Nerei,
Groti, invidentem, nec Pelaſgis,

Nec

Nec Latio, genuêre Muſam.
Parcus bonorum commoda ſæculi
Certis reſignat temporibus pater,
Nec cuncta non æquus ſub vno
Exhibuit ſua dona cœlo.
Te nec nepotum cura, nec anxia
Spes liberorum pectora dividit,
Iam tela prætervectum, & acrem
Cyprigenæ pueri pharetram.
Beate, quamvis nec thyaſi potens,
Nec ſub juvenco diſſimules Deum,
Grajuſque dextra fulminator
Enceladi ferias parentem.
Si nec moranti ſegnis inertia
Virtutis ingens opprobrium, neque
Ignobili ſerpens veneno
Pieridum violator Evan
Olim patentes pectoris ignei
Invaſit arces; integer arduos
Viſure Divos, heic corollas
Heic tepidas tibi ponit aras
Devota Muſis Heinſiadæ manus,
Seriſque natus Douſa nepotibus.
Hic, hic, pater, lætus quotannis
Propoſitique reus Lyæi
Diem morabor. Vos comitum manus
Pulſate fauſtis ſidera vocibus,
Totumque ſervare immerentes
Iuliaden prohibete Divos.

Ioſepho Scaligero in Manilii Aſtronomicis occupato, cum illi Heſiodum adoleſcens offerret.

HActenus ignavo mens oblectata labore
Imbelles ſequitur curas, & gaudia vulgi:

Mox

Mox me ſidereas tecum tranſcendere ſedes,
Viribus innixum ingenii & ſublimibus auſis,
Iuliade pater aſpicies, totque æthera pulchris
Diſtinctum ſignis, & magni mœnia mundi.
Qui me cunque Deus mentiſque arrecta cupido
Et ſanctæ virtutis amor popularibus auris
Altius evectum extollet; pernicibus alis
Temporis excedam contagia. non ego ſanguis
Degener, aut mentem imbelli percuſſus amore,
Mollibus inſueſcam latebris ignobilis otî.
Sed levibus rerum ſtudiis deſueta teneri,
Paulatimque imitata ſuos mens altior annos,
Altum inſiſtet iter. ſeu me fortuna reductum
Plauſibus excipiet populi fremituque ſecundo,
Inter opes priſcas proavorum & dulcia rura,
Gandavumque meum, magni incunabula quondam
Cæſaris, & noſtros nunquam tacitura dolores,
Aſpiciet pulchras patriæ dare jura per vrbes:
Sive eadem vitæ ſeries atque aſpera fata,
Fata, quibus jamdudum oculos avertit Apollo,
Detineant procul à patria amplexuque meorum.
Interea primæ dent hæc ſolatia Muſæ,
Securæ majorum operum. dum cætera deſunt,
Parnaſſum ſatis eſt facili luſtraſſe chorea.

AMI-

AMICO LECTORI.

Extemporaneis quæ ſupra dedimus, addantur iſta, quæ ad manum tum non erant.

In Praxin Auream Ioannis Stockeri Medici, ab Adriano Tollio Medico Lugdunenſi ſanitati reſtitutam.

COæ Tollius artifex palæſtræ,
Claræ ſanguine faſcibuſque gentis
Proles inclyta, cum novem Deabus
Lugduni genitæ, nec involutæ
Cæcis, omnia quæ tegunt, tenebris,
Poſt morbos toties tot ante pulſos,
Et partam toties ſuis ſalutem,
Ne quæ gloria reſtet aut ſuperſit
Qua claret medicæ peritus artis,
Quam quondam medicus paravit ægris,
Ægris nunc medicis parat ſalutem.

In illuſtres viros Dordrdtenos IOANNIS BEVEROVICI.

VRbs non ſubactæ quæ Bataviæ prima,
Tot inter amnes inclytum caput tollis,
Tot clara alumnis, quot reponit in luce
Vitaque donat, quam retexit ac confert
Poſt fata, gentis Æſculapius noſtræ;
Quem non profanus circulator è turba,
Non ſucci inertis proletarius myſta,
Necis propola, proxeneta fatorum,
Sed Cous, artis anteceſſor, antiſtes,
Et Pergamenæ ſummus arbiter ſectæ,
Primam medentis educavit ad palmam;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Vt, Diva, alumnos, vt recenſeas cives,
Quotquot tuliſti, nemo major eſt vno,
Vno tuorum nemo clarior vivit,
Cui claritatem quiſque debet & vitam.

Eidem, in Academia olim Lugduno-Batava de Apoplexia diſputanti.

DIgne Machaonias juvenis feliciter artes
Diſcere, quem virtus ad ſua ſigna vocat,
(Sic tibi ſit facilis, ſic tempora longa miniſtret
Quæ Dea depoſitis ferre putatur opem,
Fataque producat Lacheſis, repetatque laborem
Atropos exhauſtum, difficilemque colum)
Incipe jam magnis animum componere rebus,
Et non abruptum currere laudis iter.
Eſt tibi Phillyrides facundi Vorſtius oris,
Conſultus Medicæ, quæ tibi cura placet.
Hoc duce percuſſam tentabis ſidere mentem,
Si quando vitium corporis illa trahit.
Grande rudimentum, quo vix majora ſuperſunt,
Vix aliquid curſum quod remoretur erit.
Percurrant alii tardantes corpora morbos:
Mens ſana auxilium deficientis habet.

In quendam ſuaſu aliorum, Principis Auriaci vita fruſtra inſidiatum.

PRincipis invicti generoſam abrumpere lucem,
Et patriæ ſacrum ſollicitare caput,
Inſtiterat jurata manus. dextram obtulit vnus,
Quod vix crudelis ſuſtinuiſſet Iber.
Libertas ſceleri ſæviſque inſcribitur auſis,
Romano quam nunc more Batavus amat.
Res ſtolide tractata ducem ſocioſque fefellit.
Cauſam vltra noli quærere: Brutus erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In effigiem Erycii Puteani.

Quem legis ſtupeſque, lector, hactenus, ſemel vide.
Talis ore, major ævo, doctor orbis, omnium
Temporum fax Puteanus, & ſui compendium.

In effigiem Principis Mauritii Naſſovii.

HIſpanæ domitor gentis, fortiſſime rerum,
Et quo nil cœlo dignius orbis habet,
Sic valeas ſemper, ſic te tua ſentiat ætas,
Sic ad pacta tibi ſidera ſerus eas,
Nec niſi ſuccedat conſors generiſque piique
Sanguinis, & magno nata parente domus,
Sic faveant terræ, ſic ſe, dum elabitur, hoſtis
Felicem hoc vno ſentiat eſſe modo:
Vt nuper ſperata ferox cum mœnia liquit,
Spe ſola adventus mœnia tuta tui.
Ille metu, nos invicto certemus amore,
Materies laudis juſtaque parque tuæ.
Regem habeant alii. plus eſt regnare ſub illo,
Sub quo libertas omnibus æqua datur.

Ad Gilbertum Iacchæum, cum VVillebrorde Snellio Mathematico ſummo parentaret.

DIlecti comites, quos Snellî nomen amicos,
Et virtus meruit, nec ſimulatus amor,
Deſinite accenſum gemitu producere luctum,
Et lachrymis, quamvis ſit pietatis opus.
Tuque, licet patrone ingens virtutis ademtæ,
Invidiam juſto parce movere Deo.
Sideribus ſemper totique immerſus Olympo,
Quas coluit terras, neſciit eſſe ſuas.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

In amores Pierii VVinſemii Friſii, Hiſtorici clariſſimi.

QVi Belgas acies, ferumque Martem,
Et primordia civici cruoris,
Iam fuſi toties, nec expiati,
Primis condidit ediditque ab annis,
Par Grajis gravitate, par Timavo;
Dulces nunc canit & fatetur ignes
Blando carmine. Sic parens Deorum,
Miſſis, cum vacat, ignibus Cyclopum
Vel paulum poſitis, nec abdicatis,
Diverſos patitur. nec imminutum
Gens vatum queritur decus Deorum.

In Philippi Cluveri librum de tribus Rheni alveis.

VIctores Batavos, quêis quondam maſcula virtus
Nunc quoque ſucceſſus vix dat habere pares,
Laudarunt veteres, laudarunt ſæpe recentes,
Nec notum eſt toto nomen in orbe magis.
Quis tamen hoc credat? Batavus ſine ſede domoq; eſt,
Et fruſtra patriam quærit vbique ſuam.
Laudabunt alii victorem ſæpe Batavum:
Cluvero patriam dante Batavus habet.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 F 23 [1]